Institutiones practico medicae pyretologiam complectentes / Valentini Nobilis ab Hildenbrand ; quas continuavit, ac usui academico adcommodavit filius Franciscus Nobilis ab Hildenbrand.

Contributors

Hildenbrand, Johann Valentin von, 1763-1818.
Hildenbrand, Franz Xaver von, 1789-1849.
Royal College of Physicians of Edinburgh

Publication/Creation

Viennae, Austriae : Impensis J.G. Heubneri, 1833.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/tfdcwcmy

Provider

Royal College of Physicians Edinburgh

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Royal College of Physicians of Edinburgh. The original may be consulted at the Royal College of Physicians of Edinburgh. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

F5.31

R53129

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b21915313

VALENTINI NOBILIS AB HILDENBRAND,

CAES. REG. AD REGIMEN AUSTRIAE INFERIORIS CONSILIARII, PRIDEM PRAXEOS CLINICAE IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORIS, DIRECTORIS NOSOCOMII UNIVERSALIS, BREPHOTROPHEI, etc.

INSTITUTIONES

PRACTICO MEDICAE

PYRETOLOGIAM COMPLECTENTES.

QUAS

CONTINUAVIT, AC USUI ACADEMICO ADCOMMODAVIT

FILIUS

FRANCISCUS NOBILIS AB HILDENBRAND,

PRAXEOS CLINICAE IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSOR.

BIBLIOTH. COLL. REG. MED. MIN.

TOMUS PRIMUS.

Editio altera emendata.

VIENNAE AUSTRIAE 1833.

IMPENSIS J. G. HEUBNERI.

PRAEFATIO.

Exhausta primae editionis institutionum practico-medicarum penus alteram curandam jussit. Hanc vero potioribus, quae elapsum interea decennium scientiae medicae adtulit, incrementis locupletare suasit scopus operis, juniorum maxime medicorum atque tironum eruditioni dicati.

In generalem pyretologiam, — pie defuncti Parentis simulque Praeceptoris nulla unquam oblivione delendi laborem, — meas immiscere manus, religioni habuissem. Quare intactam exhibeo. Alioquin universalia tan-

tum exponit praecepta, castae et annosae experientiae innixa, vix aliis obnoxia vicissitudinibus, quam quae formam respiciunt, ideoque cuivis aevo facile adcommodanda.

Specialem contra febrium doctrinam, propriae industriae fructum, — licet et hic paterna principia amussim suppeditassent praecipuam, — diligenter revolvere, emendare, variaque singulis tractatibus intexere additamenta non omisi; perquam necessarium esse ratus, ut memorabiliora duntaxat hodiernae aetatis medicorum in morbis rectius dignoscendis, tutius curandis, eorumque originibus revelandis conamina, et quae ars salutifera inde cepit, augmenta innotescant. Verum et hic opus erat delectu, ne superfluis vel plane inanibus impleantur pagellae; namque enchiridia didascalica nonnisi necessaria et utilia complectantur oportet.

Nihil me impulit, quo rerum ordinem operisque dispositionem permutarem. Imo ne-

que in ratiociniis atque theoriis hinc inde obviis mens annis maturior, majorique experientiarum numero armata mendas invenire potuit, quae, ut a calcato prius tramite desciscerem, suasissent. Quod si nonnulla quibusdam fortasse displicuerint lectoribus, hauddum vindicat errorem. Nec mihi placet cujuslibet ratiocinandi modus, quin tamen ideo memet veritatem acu tetigisse, gloriose unquam jactarem. Auctoritas in medicina non dictat leges, refragante natura. Alius de alio judicat dies. Quare obtrectatoribus, qui Aristarchum agunt invocati, non majorem, ac merentur, tribuere consuevi valorem. Matura ex adverso censorum consilia, justasque animadversiones me grato accepisse animo, emendati passim loci testabuntur.

Utinam liber nova indutus veste, quem aequo peritorum judicio committo, juniori-bus medicinae cultoribus, caris discipulis, ipsique scientiae eam adferre possit utilita-

tem, quam ardenter exopto, ac pro viribus, donec spiritum duxero, promovere adnitar. Ter quaterque beatus, cui hancce adire licet Corinthum!

Viennae Calendis Januarii MDCCCXXXIII.

PYRETOLOGIA GENERALIS.

PROLEGOMENA.

1. Quae de morbis in genere tractat, doctrina, de eorum causis, symptomatibus, signis ac terminationibus universim, Pathologia, aut satius Nosologia generalis dicitur.

2. Huic superstruitur methodus aliqua aeque generalis, morbis universim, quacunque sub indole aut forma occurrentibus, medendi, quae Therapia generalis vocatur.

3. Utraque haec doctrina, utut ad perdiscendam artis theoriam pernecessaria, ad praxim tamen medicam ita adplicari non potest, ut singulis morborum speciebus exacte cognoscendis, iisque sanandis aut rite tractandis perfecte sufficiat.

4. Hinc lectos aegrorum adeuntibus illa adhuc doctrina desideratur, quae morbos in praxi occurrentes specifice enumerat, eorum in specie largas descriptiones pandit, differentias eorum, signa characteristica et diagnostica, causas ac terminationes pensiculate ac speciatim pertractat, atque propterea specialis Pathologia, aptius Nosologia specialis nominatur.

5. In hac speciali morborum cognitione unice fundatur methodus morbis in specie medendi, singulas, in praxi obvenientes, eorum species, ubi fieri potest, sanandi, aut ubi sanationis impossibilitas, rite saltem curandi; sive Therapia specialis.

6. Quoniam autem et Nosologia et Therapia specialis, dum absentibus objectis traderentur, ad inutiles tantum ducerent speculationes, hinc utraque doctrina optime praxi clinicae jungitur, ut morbi speciatim descripti, me-

dendique rationes speciales expositae, statim ad lectos aegrorum, quantum fieri licet, practice demonstrari possint.

7. Ad hanc jam Nosologiam Therapiamque specialem diserte tradendam, confert quammaxime, ut omnium primo ingens morborum numerus in aliquem ordinem, quo distincte pertractari possit, redigatur, atque ut morbi ergo ita dividantur et ordinentur, prouti a se invicem essentialiter differunt.

8. Deinde quilibet in specie morbus ita describendus erit, ut ejus ab aliis differentiae, ut signa ejus diagnostica, decursus per omnia stadia, causae ejus, exitus, atque prognosis inde petenda exactissime adnotentur. Ex quibus omnibus indicationes therapeuticae vel sponte saepe fluunt, vel experientiae superstructis regulis erunt adducendae.

9. Primo igitur definitio morbi, quantum fieri potest, dabitur. Adsignabuntur analogi morbi, et characteres illi essentiales, quibus ab aliis consimilibus differt; exposita simul synonimia et omni nomenclatura, sub qua apud alios celebriores auctores occurrit. Sequetur fusior descriptio per omnia stadia, et quidem tam in decursu regulari, quam in anomalo et complicato (Nosographia). Inde Symptomatologia specialis et ipsa Diagnosis habebitur.

10. Adnotabuntur porro causae, quae morbum producunt, sive Aetiologia specialis exponetur. Ex illis explanabitur generatio et constructio morbi, Nosogenia specialis, unde simul ipsa eruitur morbi specialis Theoria, quam diversam, diversorum etiam auctorum adsignare, aut breviter saltem recensere non pigebit.

11. Docebuntur terminationes et exitus, atque ex numerosis cadaverum sectionibus plura adferentur momenta, quae ad naturam morbi exactius explanandam conferre possunt. Inde Prognosis specialis, adsignatis regulis prognosticis tum rationalibus, tum empiricis ex multiplici et fida observatione desumtis.

12. Haec omnia simul momenta constituunt Nosologiam specialem cujusvis morbi.

13. Denique adsignabitur cuivis morbo, in specie

descripto, specialis Therapia, et quidem rationalis, quantum limites artis arctiores concedunt, aut saltem practicis nitens animadversionibus, ex copiosa experientia sumtis, empirica. Enumeratis ex omni adparatu medente auxiliis, pharmaceutico, chirurgico, diaetetico. Ad finem adducetur Prophylaxis.

14. Atque hic erit ordo in singulis speciebus morborum exponendis. Citatos inter Auctores plerique tantum monographi.

DIVISIONES
ET
SYSTEMATA MORBORUM.

15. Ut ille obtineatur ordo, qui anima perdiscendarum scientiarum est, omnium primo morbi, in praxi occurrentes, atque in Nosologia speciali describendi, juxta characteres suos essentiales in Systema aliquod sunt redigendi.

16. Hoc autem unice praestabitur divisione tali, quae habito ad proximas eorum causas, ultimasque differentias respectu, morbos ita disponet, ut in series, quantum fieri potest, naturali ordine locatas, distribuantur.

17. Quousque tamen plerorumque morborum proximae causae ignotae, ac universim firmiora artis physiologica et nosologica fundamenta non erunt posita, eousque, perfecta talis divisio morborum non habebitur.

18. Lustrabimus interim illas praeprimis, quas hucusque habemus varias et vulgares, morborum divisiones, ac valorem earum ponderabimus.

19. Deinde harum meliores et proprias, quantum praestare licet, subjungemus, et videbimus, an superstrui hisce divisionibus possit systema morborum tale, quale diu exoptatum est, atque maximam utilitatem in practica et scientifica medicina haberet, illumque, quem desideramus, gradum perfectionis artis rationalis adtingendum unice promitteret.

20. In Nosologia generali dividuntur morbi: ratione sedis, in morbos solidorum et humorum, in morbos internos et externos, in idiopathicos et sympathicos; ratione originis, in protopathicos

et deuteropathicos, in haereditarios, congenitos et adquisitos; ratione subjecti, in morbos infantum, puerorum, juvenum, adultorum et senum, in morbos virorum et feminarum, atque posteriores in morbos virginum, gravidarum, puerperarum, vetularum; ratione effectuum, in morbos salubres, benignos, malignos, perniciosos; in morbos sanabiles, insanabiles, lethales; ratione anni temporis, in vernos, aestivos, autumnales et hyemales; ratione causarum, in sporadicos et populares, posteriores in contagiosos, epidemicos, endemicos; ratione situs partium, in morbos capitis, thoracis, abdominis, extremitatum; ratione organi adfecti, in morbos ossium, membranarum, musculorum, nervorum, glandularum, viscerum etc.

D. Hartung. Diss. de generali morborum divisione. Aug. Trev. 1772.

21. Omnes hae divisiones habent quidem suum qualemcunque usum practicum, pro debite ordinandis autem morborum speciebus minime sufficiunt; quoniam nonnullae illarum generalissimae sunt, ad ulteriores subdivisiones ineptae, nonnullae econtra merae generaliorum divisionum subdivisiones.

22. Antiquissima quoque, ab Asclepiade Bithyno jam introducta, atque illo a tempore summe vulgaris morborum divisio est in chronicos et acutos; posterioribus serius in acutissimos, peracutos, et acutos ex decidentia divisis.

23. Haecce autem divisio velocitatem tantum decursus, ad summum, morborum periculum, nequaquam autem eorum naturam et indolem veram respicit, ideam proinde practicam et directricem in medendo nullam includit, atque limites certos et definitos inter acuta et chronica mala statuere non valet.

24. Longe melior et magis practica morborum divisio ab aliquibus observatur, in febriles, et non febriles, a priori plane abludens. Est enim magna differentia inter morbum acutum et febrilem, inter chroni-

cum et afebrilem. Apoplexia, haemorrhagia v. g. potest esse acutissimus morbus absque febre, phthisis econtra diuturnus et chronicus morbus cum febre est.

25. Haecce in febriles et non febriles morbos divisio eo magis adridebat practicis medicis, quod febris sistat momentum, in quovis morbo maxime considerandum, ac ad medelam dirigendam contribuens.

26. Sed si denuo consideramus, vix aliquem morbum dari, qui non stiparetur febri aliqua, vel ab initio, vel in decursu, vel in fine suo; si consideramus afebriles in regula morbos, chlorosin v. g. aut hydropem, tamen febrim comitem accidentalem non raro habere, minorem iterum hujus divisionis in praxi utilitatem perspicimus. Essent enim stricte loquendo vix non omnes morbi febriles. Nam febricula symptomatica vix non unicuique morbo se adsociare potest, qua profligata tamen ipse morbus persistit. Exemplum in rheumatalgia, lue, scorbuto etc.

27. Communis etiam, et ab ipso Celso jam memorata, multisque recentioribus non displicens, habetur divisio morborum, in universales et topicos. Ast universalium morborum idea adeo adhuc diversa est diversis medicis, viriumque omnium ac organismi universales mutationes morbosae adeo obscurae adhuc sunt in plerisque morbis, ut illo, quem promittere videtur, haec divisio adhucdum destituatur usu practico.

28. Universim erit difficillimum et vix possibile, ex obpositis principiis et adtributis, in duas tantum classes morbos omnes redigere. Plures enim quam duae morborum familiae sunt, quae diversissimis suis characteribus, therapiaeque necessariae diversitate se distinguunt.

29. Hinc etiam de logica morborum divisione fere desperamus.

30. Imo, quousque firma Philosophia medica caremus, omni, principiis medicinae rationalis superstructae, morborum divisioni scientificae, quae utilitatem practicam polliceri valeret, supersedendum erit.

31. Minimam autem fidem practicam habere possumus illis divisionibus morborum, quae futilibus tantum hypotheticis theoriis nituntur.

32. Carentes igitur scientifica morborum divisione, ac hypotheticam nolentes, illas potius morborum classificationes praeferimus, quae ex eorum diligenti observatione, ex constantioribus eorum phaenomenis, sub omni decursu animadversis, atque causarum non neglecta simul consideratione, ergo ex omni morborum habitu, praevalentem characterem constituente, ipsamque therapiam dirigente desumuntur. Has merito practicas dicimus.

33. Tali divisione, qua morbi, ordine fere naturali, in distinctas familias dispertiuntur, utilissimum nosologicum et vere practicum morborum systema exstrui posse, maximam spem habemus.

34. Cujus in praxi utilitatem ac necessitatem omnium aevorum medici agnoverunt. Sistet enim non tantum perutilem morborum omnium elenchum, in quo obvius quisque reperiri, et juxta characteres ibi adsignatos ac descriptos incognitus quisque determinari potest, sed et adfinitatem atque differentiam morborum distincte indicabit, diagnoseos proinde ac ipsius therapiae morborum basin dabit optimam, nec non reddet uniformem terminologiam medentium, adeo adhuc confusam.

35. Plurimi quidem medici systematis hujus aedificium tentarunt, ast fructu hucusque insufficiente, ob insufficientes adhuc divisiones morborum. Conamina tamen mirari, laudare, imitari oportet.

36. Inter antiquissimos medicos ipse Hippocrates jam pauca quaedam verba de morborum rite dividendorum necessitate protulit (1), atque illorum distinctione ipse occupatus, doctrinae Empedoclis de quatuor elementis adhaerens, correspondentes illis quatuor qualitates morbosas agnovit.

(1) In libro περὶ φύσων.

37. Quod itidem serius, intermixtis Platonis principiis philosophicis, a medicis dogmaticis observatum fuit. Hocce fere aevo prae ceteris tamen Mnesitheus magno molimine in classificatione morborum jam desudavit.

38. Fundata dein ab Epicuro corpusculari Philosophia, dogmaticorum Pathologia humoralis mox derelicta

fuit, atque a Methodicorum secta solidis organismi partibus major dignitas addicta. Praevalens in morbis strictum et laxum primariae illorum distinctioni fundamentum praebuit. Cujus quidem distinctionis auctor Themison Laodiceus fuit.

39. Seriori tempore in explanandis morborum differentiis strenue adlaboravit, atque morborum rite dividendorum necessitatem maxime agnovit Cl. Galenus. Medicos, male in hoc negotio procedentes cum pravis coquis comparavit. Errores, qui in aegrotantium curatione a multis medicis committuntur, pravae morborum distinctioni adscripsit. Quidam enim, ut juste adnotat, in primis et supremis generibus stant, quidam usque ad aliquid dividunt, non tamen usque ad finem perveniunt; nonnulli vero etiam vitiosis utuntur divisionibus.

40. Ejus divisio morborum doctrinae quidem Dogmaticorum de elementis plurimum innititur, Methodicorum tamen simul principiis haud neglectis, proprioque ingenio disposita est. Dispescit morbos primo in morbos qualitatum seu partium similarium, et in morbos temperiei seu partium dissimilarium, illi dictarum instrumentalium. Priores, more antecessorum, in calidos, frigidos, siccos, humidos, mixtosque subdividit; posteriores vero in quatuor itidem genera subdistinguit, quo vitia formae, numeri, voluminis, ac ipsius organicae compositionis mutationes refert.

Cl. Galenus de differentiis morborum.

41. Haec morborum divisio per quindecim fere secula, quibus Galeni auctoritas venerata fuit, illaesam defendit dignitatem. Arabes enim et Arabistae, caeca fide Galeni verbis adhaerentes, hanc nosologiae spartham plane non excoluerunt.

42. Tandem vero deposita a medicis observatoribus seculi decimi sexti et septimi servitute Galeni, ideae morbos practice ac ad melioris therapiae principia distribuendi, magis magisque fuerunt explanatae. Quo plurimum contribuerunt conatus fere primi Fel. Plateri, et summi in arte perficienda viri Th. Sydenhami, qui contendit, incrementum medicinae plurimum in eo consistere, ut ex

descriptionibus graphicis morbi omnes ad definitas ac certas species revocentur, eadem prorsus diligentia et ἀκριβεια, qua id observatur a phytologis.

43. Hoc exemplo tracti, plures dein alii et magni in arte viri insudarunt gravi operi, morbos omnes cognitos in systema quoddam naturale et practicum ordinandi. Cumque Botanicorum systemata ordine suo prae aliis placuerint, atque observatum fuerit, quod Joan. de Gorter dicit, morborum species in natura adeo stabiles esse, uti species plantarum; hinc plerique fere Botanicorum methodum in concinnandis morborum systematibus sequi voluerunt, ac obvios quosvis morbos in certas classes, ordines, genera et species distribuere, quo juxta characteres ibi descriptos referri, debito ubi in loco inveniri, atque proinde natura et nomine determinari possint.

44. De hisce morborum systematibus, saltem praestantioribus, nec non de vario eorum pretio et valore disserendum praevie erit, antequam illud, quod maxime nobis convenire videtur, in specie adnotetur.

45. Utilia jam fragmenta ad construendum nosologicum systema contulerunt Fel. Plater (1), qui juxta functiones laesas et qualitates corporis vitiatas morbos in ordines sat naturales redegit; atque serius J. E. Hebenstreit (2), qui idem, respectu ad causas habito, praestare adnisus fuit.

(1) F. Plateri praxis medica. Basil. 1625. T. III.

(2) J. E. Hebenstreit ordo morb. causalis. Lips. 1754.
— — — — de gener. morbor. ad artis usum constituend. Lips. 1754.
— — — — Progr. sistens limites gener. morb. Lips. 1756.

46. Primus tamen systematis ipsius aedificium tentavit Franc. Boissier de Sauvages, Professor Monspeliensis, in edito Anno 1731 tractatulo de classibus morborum (1), laudante conamen summo viro H. Boerhaavio.

(1) Fr. Boissier de Sauvages Traité des classes des maladies. Par. 1731. in 12.

47. Post assiduas per 30 annos meditationes et practicarum observationum collectiones, tardo ac cauto passu

ingrediens, omnesque vires perficiendo huic operi intendens, magnam suam Nosologiam methodicam typis primum edidit Anno 1763 (1).

(1) Fr. Boissier de Sauvages Nosologia methodica sistens morborum classes, genera et species. Amst. 1763. T. V. in 8.

48. Quae comprehendit non solum morborum classes, ordines et genera, sed et species eorum copiosas. Classes autem sunt numero X. Distinguuntur scilicet I. Vitia externa. II. Febres. III. Phlegmasiae, cum inflammatione interna aut exanthematica. IV. Spasmi. V. Anhelationes. VI. Debilitates. VII. Dolores. VIII. Vesaniae, errores scilicet judicii, imaginationis, et adpetentiarum. IX. Fluxus. X. Cachexiae. Genera morborum sunt numero 295; species circiter 2400. Qui autem numerus in seriori et posthuma operis editione (1) adauctus est.

(1) Fr. Boissier de Sauvages Nosologia methodica. Amst. 1768. T. II. in 4.

49. Hoc systema vitiis quidem non caret. Familiae morborum nimis multae enumerantur. Symptomata minus diagnostica, ac indolem morbi non ita, quam formam designantia, ad construendas morborum classes adhibentur. Species morborum cum varietatibus commiscentur, ac nimis multiplicantur. Universim symptomatum minus essentialium nimia et tanta ratio habita, ut Symptomatologiae potius, quam Nosologiae methodicae nomine opus dignum sit.

50. Ast hujusmodi errores vix evitari possunt in classificatione morborum; et ipsum Linneanum systema vegetabilium, adhucdum indiget emendationibus, quo non obstante praestantissimum hactenus censetur. Negotium est nimis arduum, nec viri unius, nec unius aevi, omnes morbos juxta essentiales suos characteres, vix omnes notos, atque debito ad causas respectu, vix cognitas omnes, in ordinem naturalem et catenam collocare.

51. Quare etiam huncce laborem non ingrato animo medici susceperunt, imo plerique nonnisi perficiendo huic systemati summis conaminibus insudarunt. Facile enim ex

mendis ejus perdiscere potuerunt, quid pro meliori ordine ac simpliciori observandum sit, statuendumque.

52. Eodem adhuc anno 1763 ipse Car. Linneus, in classificandis vegetabilibus adeo felix et immortalis, in systemate quoque morborum hocce perficiendo vires suas, ast fructu longe minori, tentavit (1). Compendiosum autem systema, et solummodo genericum exstruxit, adeoque practico usui, et vero scopo minus aptum, utpote qui is est, ut per nosologiam facilior ad formandas indicationes therapeuticas in specialibus morbis sternatur via.

(1) Car. a. Linné genera morborum. Upsalae 1763.

53. Classes morborum posuit XI, atque distinxit: I. Morbos exanthematicos, febres scilicet cum efflorescentia cutis maculata. II. Morbos criticos, febres cum urinae hypostasi lateritia. III. Morbos phlogisticos. IV. Morbos dolorosos. V. Morbos mentales. VI. Morbos quietales. VII. Morbos motorios, seu motus involuntarios. VIII. Morbos subpressorios. IX. Morbos evacuatorios. X. Morbos deformes internos. XI. Morbos vitiosos externos. Istae classes in varios ordines, atque genera numero 325 subdivisae sunt.

54. Et etiamsi non tanta felicitate, nec tanta simplicitate et naturae studio, ac vegetabilium systema, haecce morborum classificatio exstructa fuerit, ad diversas tamen systematum nosologicorum contulit emendationes.

55. Anno 1764 edidit systema generum morborum Rud. Aug. Vogel (1), Medicinae Professor Gottingensis, a Linneano non multum declinans, continensque pari modo XI morborum classes; sed genera 560. Omissae autem sunt tres classes systematis Linneani, scilicet exanthemata, critici et phlogistici morbi, ac loco illarum tres aliae positae, nempe Febres, Hyperaestheses seu sensationes auctae, et Cachexiae. In ordinibus vero subdivisis et generibus plurima mutata sunt.

(1) Rud. Aug. Vogel definitiones generum morborum. Gotting. 1764.

Ejusdem praelectiones acad. de cognoscendis et curandis praecipuis corpor. humani adfectibus. Gott. 1772.

56. Anno 1771 maximus vir Guil. Cullen, Professor Edimburgensis, edidit systema morborum (1), quod nonnisi pro Sauvagesiano repurgato ac simpliciori reddito divulgavit. Modo simplicissimo posuit solummodo IV morborum classes; scilicet: I. Pyrexias. II. Nevroses. III. Cachexias. IV. Locales morbos. Totus autem numerus generum morborum non excedit 133. Ex quo compendiosi hujus systematis simplicitas abunde elucet.

(1) W. Cullen synopsis Nosologiae methodicae. Edimb. 1771. First lines of the practice of physic. By W. Cullen. Edimb. 1784. T. IV.
Dasselbe Werk deutsch. Leipzig 1789. Th. IV.

57. Ast anno eodem 1771 Joh. Bapt. Sagar, Physicus in Moravia, systema morborum symptomaticum (1), numero illorum multum adaucto, communicavit. Non solum classes morborum posuit numero plures, scilicet XII, addendo ad Sauvagesianas classem Exanthematum peculiarem, et Subpressionum excretoriarum; sed etiam generum morborum numerum adauxit, dum scilicet usque ad 351 genera ad scenderit, et ad species 2500.

(1) J. B. Sagar systema morbor. symptomaticum. Lips. 1771. T. II.

58. Dav. Macbride (1) anno 1772 edidit tabulas nosologicas. Deflectit autem ab omni antecessore, et classes morborum IV. statuit sequentes: I. Universales. II. Topicos. III. Sexuales. IV. Infantum morbos. Ordines 23, genera 180 habet.

(1) D. Macbride methodical introduction to the theory and practice of physic. Lond. 1772. T. II.

59. Anno 1778 systema Sauvagesianum repurgare voluit C. Vitet (1). Classes morborum enumerat IX, et quidem: I. Febres. II. Inflammationes. III. Dolores. IV. Morbos convulsivos. V. Morbos mentis. VI. Debilitates. VII. Evacuationes. VIII. Errores loci. IX. Morbos ex materiebus retentis. Ordines sunt 48, genera 478, species 1547.

(1) C. Vitet Table méthodique de Classes, Genres et des Espèces des maladies. Par. 1778.

60. Sam. Gottl. Vogel (1), ex paucis, quas exposuit, morborum classibus, Febrium, Exanthematum,

Inflammationum et Profluviorum, ad methodum quoque Sauvagesianam inclinare videtur.

(1) S. G. Vogel, Handbuch der pract. Medicin. Stendal 1781. Th. V.

61. Fr. L. Bang (1), Professor Hafniensis, in praxi medica, systematice exposita, V morborum classes adsignat: I. Pyrexias. II. Dolores non febriles. III. Nevroses. IV. Morbos excretionum. V. Cachexias; labore, ut ipse auctor fatetur, incompleto.

(1) Fr. L. Bang, Prax. medica system. expos. Hafn. 1789.

62. Annis 1790 et sequentibus, C. Fr. Daniel (1) systema nosologicum Sauvagesii castigatum emendatumque edidit classibus auctoris relictis, speciebus autem numero auctis.

(1) Fr. Boiss. de Sauvages Nosologia methodica. Cura C. Fr. Daniel. Lips. 1790 — 1797. T. V.

63. J. Petr. Frank (1) ordine, non penitus a Sauvagesiano declinante, morbos in sequentes classes locavit: I. Febres. II. Inflammationes. III. Exanthemata. IV. Impetigines. V. Profluvia. VI. Retentiones. VII. Nevroses.

(1) J. P. Frank, epitome de curandis hominum morbis. Manh. 1792 — 1811. T. VI.

64. Summus quoque Nosologus Curt. Sprengel (1) ordine naturali et practico morbos, in Pathologia speciali traditos, proposuit: I. Febriles. II. Inflammatorios. III. Cutaneos. IV. Excretorios. V. Dolorosos. VI. Nervosos. VII. Cachecticos.

(1) C. Sprengel Handb. der Pathol. Leipz. 1795. Th. III.
— — — Institut. medicae T. IV. Amst. 1814. (Dolorosi omissi.)

65. Anno 1796 Moraviae Protomedicus Mich. de Valenzi (1) systema nosologicum Sauvagesianum, adjecta quoque morborum therapia, edidit locupletatum, classes morborum XIII adsumsit, addiditque classes Phymatum, Plagarum, et Subpressionum.

(1) Mich. de Valenzi completum et methodo botanica propositum systema morborum. Brunae 1796.

66. Ph. Pinel (1), Professor Parisiensis, minime

deflectens ab ordine practico, VI classes in sua morborum divisione exponit: I. Febres. II. Phlegmasias. III. Haemorrhagias. IV. Nevroses. V. Lymphaticos morbos. VI. Anonymos.

(1) Ph. Pinel Nosographie philosoph. Par. 1798. Tom. II.
— — — Nosographie philosophique. Edit. 1810. T. III. (V. classis comprehendit morbos substantiae organicae, VI. omissa.)

67. Ipse inter recentissimos Chr. W. Hufeland ad practicum quoque inclinat ordinem in explananda Therapia speciali (1), exponens: I. Febres. II. Inflammationes. III. Exanthemata. IV. Toxicationes, quo et miasmaticos morbos refert.

(1) Chr. W. Hufeland System der practischen Heilkunde. Leipz. 1800.

68. Atque ordini consimili adhaeserunt in morbis exponendis G. W. Consbruch (1) et A. F. Hecker (2).

(1) G. W. Consbruch klinisches Taschenbuch. Leipz. 1804. Th. II.

(2) A. F. Hecker, Kunst die Krankheiten der Menschen zu heilen. Erf. 1804. Th. II.

69. Exinde videre licet, viros plures, et maximos in arte, fructu quidem inaequali, sed aequali conamine et fervore, divisiones morborum practicas largiri, practicumque nosologicum systema Sauvagesianum perficere contendisse, cujus prae aliis valorem vix non omnes agnoverunt.

70. Alii autem in suis aedificandis morborum systematibus proprio genio struentes, Sauvagesianum divisionem penitus dereliquerunt; inventores potius propriae classificationis, quam systematis hujus reformatores.

71. Praemiserunt jam varii pretii labores Chr. A. Mangold (1), J. G. Junker (2), et J. Arnemann (3).

(1) Chr. A. Mangold, regulae condendi systematis medico-practici. In opusc. med. phys. Altenb. 1769.

(2) J. G. Junker de causis aegritudinum, iisque superstruendo systemate. Hal. 1783.

(3) J. Arnemann, synopsis nosologiae. Gott. 1793.

72. Passiones seu symptomata (πάθος) a morbo ipso et proxima ejus causa (νόσος) astute jam distinxerunt suo

tempore adseclae Herophili; atque distinctionem hanc ad divisionem morborum egregie adplicavit Chr. Fr. Daniel in proprio systemate aegritudinum (1). Ad ipsam et solam morborum naturam respiciens X eorum classes adsumsit: I. Nevroses. II. Sepses. III. Saburras. IV. Plethoram. V. Pyogeniam. VI. Catarrheuma. VII. Cachexias. VIII. Conjunctiones. IX. Dystrophias. X. Anonymos morbos.

(1) Chr. Fr. Daniel systema aegritudinum. Lips. 1781. T. II.

73. Hoc ipso fere morborum respectu proposuerunt etiam divisiones eorum Chr. G. Selle (1) et A. Assur (2).

(1) Chr. G. Selle rudimenta Pyretologiae. Berol. 1786.

(2) A. Assur animadversiones ad systemata nosologica usitatiora. Regiom. 1794.

74. Hicce morborum contuitus, qui primis in classibus formam aegritudinum et passiones ipsas negligit, indolem econtra ac naturam veram, qua therapia dirigitur, primo considerat, utilissimas sane ac vere practicas morborum divisiones largitur. Debita igitur diathesium morbosarum consideratio, qua universales morbi a se invicem, iique a topicis prudenter distinguuntur, utilissimam sane in futurum, ipsis quondam diathesibus melius cognitis, divisionem morborum promittit.

75. Ex morbosis virium vitalium deflexionibus C. G. van den Heuvell (1) exstruere voluit systema aegritudinum, minus tamen perfectum, quam ingeniosum; cum vitalitatis ipsius ratio in sano ac morboso statu sufficienter cognita adhuc non sit.

(1) Van Heuvell tentam. nosolog. sistens morbor. a vitio vis vitalis divisionem practicam. Lugd. Bat. 1787.

76. Etiam ex irritabilitate corporis diversimode alterata, ideam systematis morborum proposuit Chr. Girtaner (1), adplicatis simul et chemicis principiis; oxygenium scilicet pro principio irritabilitatis agnoscens.

(1) Journal de Rozier Juin 1780.

77. Firmiorem autem basin statuens, ipsasque functionum organismi laesiones respiciens, quae ipsos omnino morbos constituunt, et optima simul eorum criteria sis-

tunt, omnes morbos in series sat naturales redegit God. Ploucquet (1), Professor Tubingensis, in delineatione systematis nosologici. Classes morborum habet VII, quae sequentes sunt: I. Nevronusi (nervosi morbi). II. Peritropenusi (circulationis). III. Anapnoënusi (respirationis). IV. Trophonusi (nutritionis). V. Eccrisionusi (excretorii). VI. Genonusi (sexuales). VII. Alloeoses (mutationes qualitatum sensibilium).

(1) G. G. Ploucquet delineatio systematis nosologici. Tubing. 1791. T. IV.

78. Nulla autem morborum divisio ita nuper adridebat medicis, quam illa ab J. Brown (1) elementariter jam Anno 1780 proposita, serius per Italos (2) in Germaniam divulgata, ibique ab adseclis diverso genio dein elaborata, dolosa simplicitate se commendans.

(1) Joan. Brunonis elementa medicinae. Lond. 1780. 12. 1787. 8. T. II.

(2) J. Brunonis elementa medicinae. Cum praefat. Petr. Moscati. Mediol 1792.

79. Adsumtis binis pro vita sustentanda conditionibus, organismo videlicet, ac vi, in illo latente, incitabili, accedentibus potentiarum incitantium actionibus exoriunda creditur incitatio vitalis; a qua ad normam peracta, sanitas pendet, deflectente autem a sanitatis norma, morbus producitur.

80. Exinde primaria morborum divisio derivatur, in morbos scilicet organismi seu locales, et in universales seu incitationis morbos, tum etiam in mixtos.

81. Incitationis morbi autem dividuntur in illos ex incitatione fortioribus stimulis adaucta, hypersthenicos, aut econtra ex incitatione imminuta asthenicos; qui posteriores directo aut indirecto modo asthenici habentur, prouti incitatio aut insufficientibus stimulis languet, aut praegressis fortissimis exhausta est.

82. Simplex quidem morborum conspectus, sed ob nimiam simplicitatem non sufficiens practico medico. Generalissima enim tantum divisio, ad speciales casus non adtemperanda, nec apta pro subdivisione specierum, quoniam ad causas incitationis unice, ad symptomata vero,

ceu formam morbi, nullus penitus respectus habetur. Totum inde systema incompletum, superficiale prorsus, ad effectus secundarios ultra incitationem nullibi penetrans, miserrimae Physiologiae superstructum, ab ipso auctore non finitum, post mortem ejus ab aliis alio sale elaboratum.

83. Huic systemati in morborum divisionibus adhaeserunt M. A. Weikard (1), J. Arnemann (2), et A. Röschlaub (3).

(1) M. A. Weikard medic. practisches Handbuch. Heilbr. 1796. Th. III.

(2) J. Arnemann Handbuch der practischen Medicin. Gött. 1800.

(3) A. Röschlaub Lehrbuch der Nosologie. Bamb. 1801.

84. Ingenio quoque stupendo, sed fructu vel nullo, vel exiguo, morbos ex motibus fibrosis dividere satagebat Er. Darwin (1), distinguendo scilicet motum irritabilium partium, motum sensibilium, motum voluntatis, et motum adsociationis.

(1) Zoonomia, on the law of organic life. By Er. Darwin Lond. 1794. 4.

Er. Darwin Zoonomie. A. d. Engl. von Brandis. Hannover 1795. 8. Th. VIII.

85. Ipsius Chemiae repurgatae principia ideam pro exstruendo nosologico systemate dederunt illis, qui vitalem organismi processum pro chemico habuerunt. Ejusmodi tentamen instituit J. B. Beaumes (1), dividens morbos in V classes: I. Oxygenisationis. II. Calorificationis. III. Hydrogenisationis. IV. Azotisationis. V. Phosphorisationis.

(1) J. B. Beaumes Essai d'un système chimique de la science de l'homme. Nism. 1798.

86. Demum ex hoc chemismo animali, intertexta theoria incitabilistarum, ac advocatis simul principiis Philosophiae criticae et transscendentalis, distinctionem morborum nuperrime proposuerunt Physici speculabundi, ad tres dimensiones irritabilitatis, sensibilitatis ac reproductionis primario morbos referentes. Quorum quidem ingenia admirari, venerarique oportet conamina, imperfectam autem et plane adhuc insufficientem in praxi doctrinam sequi non licet.

F. W. J. Schelling Entwurf eines Systems der Naturphilosophie. Jena 1799.

C. J. Kilian Entwurf eines Systems der gesammten Medicin. Jena 1802. Th. II.

D. Troxler Ideen zur Grundlage der Nosologie und Therapie. Jena 1803.

87. Illa tantum morborum divisio ac classificatio ad aedificandum systema nosologicum firmam basin, aut in tradendis morborum specialium historiis ordinem securum saltem largiri poterit, quae pro causarum, symptomatum constantiorum, ipsiusque therapiae necessariae differentia eos in practicas series distribuit, et quidem omnium primo characteres generaliores exquirendo, eos in certas familias ordinat, dein vero specialiores et magis singulares observando, genera ac species subdistinguit, nec non ad ipsas penetrat varietates.

88. Dum animo revolvuntur prius memoratae diversae morborum divisiones, facile concedi debet, nullam hucusque desideratis hisce penitus satisfecisse; imo nec spem esse, exspectandae in futurum. Quem sequi? Alius ex meris symptomatibus, ex unicis causis alius primas morborum divisiones instituit. Priora saepenumero infidelia sunt, posteriores plurimum incognitae.

89. Ignotis adhuc plerarumque physiologicarum functionum rationibus, ac incognito morborum cum causis suis nexu, deficiente igitur adhuc scientifica morborum distributione (§. 30.), sufficeret quidem pro arte medica, empiricus morborum distinguendorum contuitus.

90. Sed nec illa adhuc habetur observationum morborum empiricarum securitas, qua opus est in hoc negotio. Quousque enim characteristica morborum signa non ita feliciter detecta erunt, uti antherae et stigmata pro ordinandis vegetabilibus, eousque nec empiricam habebimus morborum classificationem, quae ex adfinitate characterum praevalentium constantiorum, familias eorum ordinaret.

91. Liceat ergo interim illud morborum systema arripere, quod plurimis requisitorum adtributorum gaudet, defectibus plurimis caret; quod saltem in distinctas proprio habitu familias, morbos omnium primo dispertit.

Sic et Botanici primo nonnisi ad arbores, frutices et plantas omnia vegetabilia, posteriores ad gramina, arundines etc., retulerunt.

92. Hac ex ratione sequemur in Nosologia speciali ordinem quemdam practicum, respecto morborum habitu in ipsa Therapiae differentia fundatum, ab omni hypothetica speculatione liberum. Praeplacet propterea ordo Culleniano-Sauvagesianus.

93. Adrideret hic omnium primo praemittenda morborum divisio in morbos cum diathesi universali, et in locales. Sed divisionem hanc magnis adhuc difficultatibus esse subjectam, dictum fuit (§. 27). Relinquenda nepotibus.

94. Potius igitur statim reducemus omnium primo morbos, in praxi obvios, ad quinque familias, seu summas classes. Quarum sequentes ponimus: I. Febres. II. Cachexias. III. Nevroses. IV. Eccrises. V. Localia vitia.

95. Quam distributionem morborum, utut a pluribus lustris nobis propriam, etiam observavit F. Swediaur.

Novum medicinae rationalis systema. Auctore F. Swediaur. Halae 1812, T. II.

96. Debitas cuivis classi subdivisiones subjungemus, in ordines, genera, species. Imo ad ultimum usque ramulum dividere animus erit.

97. Hae quinque classes seu familiae morborum generalissimos, sed adeo stabiles, ac a se invicem essentialiter distinctos et facile distinguendos characteres offerunt, ut quivis, in praxi occurrens, morbus ad unam harum reduci possit.

98. Prima Classis, Febrium, includit morbos virium, ex pluribus invasionibus compositos, qui incipiunt ab horrore, decurrunt cum acutie, periculo praecipite et singulari versabilitate, cum caloris et circuli humorum alteratione, ac nisu in repentinas mutationes, naturae viribus praestitas, seu crises.

99. Ad hanc classem ex aliis systematibus referri possunt et debent: classes pyrexiarum, inflammationum

et exanthematum, quae cum febrili charactere incedunt, ac febrium ipsarum symptomata sunt.

100. Secunda Classis, Cachexiarum, comprehendit morbos totius substantiae organicae vitiatae, ex habitu corporis externo mutato, ac externis qualitatibus, manifeste laesis, cognoscendos, qui lento passu ac periculo non praecipite decurrunt, versabilitate vix gaudent, nec repentinis, naturae vi praestitis, mutationibus obnoxii sunt.

101. Ad hanc classem ex aliis systematibus referri potest impetiginosorum morborum magna pars, pars non exigua retentionum morbosarum.

102. Tertia Classis, Nevrosium, continet morbos systematis nervosi genuinos, qui febres non sunt; ejusque in diversis suis functionibus, viribus, facultatibus, laesiones.

103. Ad hancce nevrosium classem ex aliis systematibus numerari possunt morbi dolorosi, mentales, quietales et motorii, hyperaestheses, spasmi, anhelationes, debilitates et vesaniae.

104. Hujus et prioris classis, cachexiarum, morbos potest quidem febris symptomatica comitari; sed a febre morbo, quae classem propriam constituit, haec febris, quae merum symptoma circuli adaucti est, penitus et essentialiter differt.

105. Quarta Classis, Eccrisium, sive excretoriorum morborum, complectitur excretiones morbose laesas, tum auctas, tum impeditas, tum qualitate alteratas, ad priores tamen familias, seu symptomata, non pertinentes.

106. Ad hanc classem ex aliis systematibus reduci possunt morbi evacuatorii et subpressorii, profluvia et retentiones.

107. Haecce classis, utut ad alia morborum systemata recepta, in systemate Culleniano quidem non habetur, neque, si veritatem fateri oportet, propriae morborum classis dignitatem meretur; nam symptomata potius morbosa, quam ipsos morbos includit. Nimis autem inveterata est medicorum consuetudo, omnes excretionum morbos a symptomatico hoc charactere denominare ac ordinare. Quod minime injustum, quoniam hic character

saltem summopere praevalens est, ac ipsam therapiam dirigens.

108. Hinc illas saltem excretionum laesiones reducere huc liceat, quae aliorum alius classis morborum symptomata non sunt, atque ad reliquas hic expositas morborum familias recenseri nullo jure possunt.

109. Quinta Classis, Vitiorum localium, illos denique continet morbos, qui singulares tantummodo corporis partes in ipsa organica structura manifeste adficiunt, virium conditione penitus illaesa, ac diathesi universali morbosa nulla peccante.

110. Ad istam classem recenseri possunt ex aliis systematibus classes deformitatum (in quantum functiones laedunt, et morbi nomine dignae sunt), phymatum, plagarum, et magna pars impetiginum.

111. Hasce jam quinque morborum familias essentialibus characteribus a se invicem distinctas esse, concedi facile debet. Fors tamen earum plures habentur in enormi morborum agmine, fors et eae ad pauciores redigi possunt. Omnibus numeris expeditam hanc divisionem non collaudamus. Sufficiat haec, quousque melior non habebitur.

112. Minime animus est ac arrogantia, systema aedificandi nosologicum perfectum, cui exstruendo incassum insudarunt tot viri in arte maximi. Unica est potius intentio, Elenchum morborum offerre talem, quo genera et species eorum in ordine quodam pertractari, morbi, ad lectos occurrentes, ad certas quasdam partes in hoc catalogo referri possunt, aut illis locus saltem adsignari, ubi plenius descriptos invenire licebit.

113. Celebres sunt scriptores medici, et insuperabiles in doctrina practica praeceptores, quorum scripta tironibus legenda decies, deciesque relegenda commendamus, qui tamen ordinem systematicum in exponendis ac describendis morbis non observarunt, aut et promiscue morborum fere universorum explanationes proposuerunt.

114. Splendent inter hos, silendo de antiquioribus numerosis, tum ipse Herm. Boerhaave (1), ac ejus Commentator (2), immortalis uterque; tum alii plures,

quorum nomina cum veneratione memorare oportet, inter quos Chr. G. Ludwig (3), Jos. Lieutaud (4), J. G. Brendel (5), J. Kämpf (6), Ant. L. B. Störk (7), Chr. G. Selle (8), J. B. Burseri de Kanilfeld (9), W. F. Dreyssig (10), et alii.

(1) H. Boerhaave Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis. L. B. 1709. 1734.

(2) Ger. L. B. van Swieten Commentaria in H. Boerhaave aphorismos. L. B. 1745. T. V. in 4.

(3) Chr. G. Ludwig institut. medic. clinicae. Lips. 1758.

(4) Jos. Lieutaud précis de la medécine. Par. 1759.
— — — Synopsis medic. pract. Amst. 1765.

(5) J. G. Brendel Praelect. academ. de cognoscendis et curandis morbis. Opus posthum. Lips. 1792.

(6) J. Kämpf enchiridium medicum. Fr. 1778.

(7) Ant. Fr. v. Störk practisch-medicinischer Unterricht. Wien 1780. Th. II.

(8) Chr. G. Selle Medicina clinica. Berol. 1781.

(9) J. B. Burseri institut. medic. pract. Mediol. 1785. T. IV. 4.

(10) W. F. Dreyssig, Handwörterbuch der pract. Medicin. Erf. 1806. Th. II.

CLASSIS PRIMA MORBORUM

FEBRES.

FEBRES.

AUCTORES MONOGRAPHI.

Chr. G. Selle rudimenta Pyretologiae methodicae. Berol. 1773.
Max. Stoll Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vien. 1786.
J. Cl. Tode pract. Fieberlehre. Kopenh. 1786.
J. Chr. Reil über die Erkenntniss und Cur der Fieber. Halle 1797. IV. B.
J. F. Ackermann de construendis, cognoscendis et curandis febribus epitome. Heidelb. 1809.
F. W. van Hoven Versuch einer practischen Fieberlehre. Nürnb. 1810.

115. Febres sunt frequentissimi omnium morborum, qui in praxi occurrunt. Numerosissimae enim ac universalissimae, nulla fere evitandae humana prudentia, sunt causae, quae febres producunt.

116. Indole quoque sua insidiosa generi humano infensissimae sunt, atque maximam inter omnes morbos inducunt mortalitatem. Exemplo sint febris variolosa et pestilentialis, atque castrenses typhosae febres, quae plures saepe milites in exercitu necant, quam fervidissimae bellantium pugnae.

El. Camerarii de nequitia febrium Diss. Tub. 1732.

117. Sed eaedem febres, quod mirandum, sanationis interdum optima instrumenta sunt, quibus inveterata mala, quae nullis cedunt auxiliis aliis, feliciter nonnunquam tolluntur.

118. Unde patet, cognitionem febrium medico practico summe necessariam esse.

119. Quodsi perpenditur simul, febres ob celerem decursum, tempus diu deliberandi, alios medicos librosve

consulendi non semper concedere, neque ex juvantium aut nocentium usu eum largiri fontem indicationum, quem chronica mala; facile liquet, non dari morbos, quorum doctrina medicis in praxi utilior sit, quam illa febrium.

120. Hinc Nosologia et Therapia specialis a classe febrium ordienda.

121. Occurrunt autem in doctrina de febribus, uti in omnium morborum expositione, duplicia momenta, quorum nonnulla generalia, alia vero specialia sunt. Ad haec specialia nonnisi praemissis generalibus transeundum erit.

DE FEBRIBUS IN GENERE.

ETYMOLOGIA.

122. Vocabulum Febris vel a ferveo, quod incalescere significat, vel a februo, quod expurgare designat, derivandum videtur. Pleraeque reliquae linguae, italica, gallica, anglica, denominationem febris ex eodem desumunt etymo, et simili voce utuntur. Ipsa vox germanica Fieber inde deducta.

123. In linguis orientalibus expressio febris non tantum a caloris, sed ab ignis potius sensatione desumitur. Ita apud Hebraeos et Graecos, qui posteriores per vocabulum πῦρ febrim exprimunt. Inde veniunt voces pyrexia, quod idem cum febre, apyrexia, seu absentia febris, apyretos, qui febrem non habet, et pyretologia, seu doctrina de febribus.

NOSOGRAPHIA FEBRIUM IN GENERE.

124. Logica definitio febris dari non potest, quoniam causa ejus proxima ignoratur. Hinc pro idea febris explananda, descriptio rhetorica potius requiritur.

125. Quo confert, ut ex innumeris febrium phaenomenis illa exquirantur, quae constantissima sunt, in nulla

febre absunt, in omni absolute adsunt, quibus praesentibus omnes unanimiter medici defendunt, febrim adesse, quibus absentibus unanimiter, aegrum febre carere, pronunciant. Haec proprie sistunt febrium characterem essentialem.

126. Si jam percurrimus innumera illa phaenomena morbosa, quae in febribus observari possunt, quatuor solum constantiora sunt, quavis fere in febre deprehendenda; circulus humorum sano velocior, calor animalis alteratus, aucta sitis, et lassitudo spontanea.

127. In solo circulo humorum morbose aucto, plerique medici essentiam febris posuerunt. Inde antiqua et vulgaris definitio, febrim esse pulsuum adauctam velocitatem cum functionibus laesis. Velox enim sine laesa functione circulus non est morbus, et febris debet ideam morbi includere.

128. Vane igitur obposuerunt nonnulli, circuli auctam velocitatem etiam in sanis hominibus, ac ex levidensi causa, ex motu corporis, pastu etc., obtinere posse, quin febris reapse adsit. Respondetur illis, velocitatem circuli sine functione laesa (uti v. g. in infantibus, quibus pulsus semper velociores sunt), non esse morbum, propterea etiam non febrim; ubi autem functiones physiologicae laesae sunt, quemadmodum respiratio anhelosa, sitis, sudor etc., post motum corporis validiorem, ibi omnino febris temporaria adest; atque ipse cordis ac arteriarum acceleratus et laesus motus morbum jam indicat.

129. Majori sagacitate alii objecerunt, in ipsis febribus, unanimiter ita dictis, interdum arteriarum pulsus velocitate non peccare, imo illis sanorum etiam tardiores esse nonnunquam; quae exempla in febribus pituitosis, typhosis et putridis non infrequentia sunt. Et utut hoc quidem non in omni stadio febrium harum accidat, tardi tamen pulsus tunc omnino observari possunt, quum alia phaenomena febrem, certo latentem indicant.

130. Hinc constantissimum febrium phenomenon in unico pulsu arteriarum non habetur, et character febrium essentialis in hoc solo momento eo minus erit quaerendus,

quod tempore febris non unicum systema circulatorium est morbose adfectum.

131. Calor animalis alteratus, qui cum circulo humorum alioquin in magna ratione est, in febribus quidem plerisque observatur, frigore aut aestu morboso sese manifestans. Sed etiam non in omni febrium stadio, nec in omnibus absolute febribus adest haec caloris alteratio. Imo hoc phaenomenon febrile, priori adhuc, inconstantius est. Minime vero in solo aucto calore essentiam febrium esse ponendam, docent febres algidae.

132. Sitis quoque, utut vulgatissimum febrium symptoma, tamen interdum deest in singulis febribus, et stadiis earum diversis. In aliis vero morbis, qui febres non sunt, frequenter adest. Nequaquam igitur penitus inseparabilem a febri, ac fidelem soli febri satellitem sistit.

133. Quod etiam valet de lassitudine. Haec quidem in nulla febri abest; sed in plurimis aliis morbis adest. Hinc characterem constantissimum solarum febrium omnino non constituit.

134. Quaesiverunt illum propterea alii medici non in solis et singulis hisce phaenomenis expositis, sed in complexu omnium quatuor simul.

135. Cum autem et tales febres dentur, quae in stadio saltem quodam, nec pulsu morbose veloci, nec alterato calore, nec siti stipentur, hinc principem ac essentialem febrium characterem in aliis adhuc quaerere momentis omnino oportet.

136. Exactius igitur febris idea erit explananda, ut ad lectos aegrorum praesentia illius tuto determinari possit. Celso enim jam testante, non est expeditissimum scire, quando aeger febricitet.

137. Febris occurrit in duplici sensu apud medicos; qua symptoma scilicet morbi cujusdam, et qua morbus ipse. Hinc febris symptoma, et febris morbus caute distingui debent.

138. Unanimiter omnes medici hominem febricitare contendunt, qui calorem adauctum et pulsum sano velociorem habet. Haecce febris idea ex alterato humorum

circulo unice desumitur. Atque hocce intuitu febris est tantum symptoma circuli humorum laesi; est tantum pars morbi, forma morbi, effectus morbi cujusdam, non ipse morbus. Sed febris in morbo est.

139. Alia vice autem sub febre intelligitur morbus sui generis, propriis adtributis, praeter circuli et caloris alterationem, donatus, in unico ergo symptomate circulationis laesae minime consistens. Per omnem decursum talis morbus febris dicitur, etiamsi non semper accelerati sint pulsus arteriarum.

140. Haecce distinctio summe necessaria est pro exactiori febris descriptione. Neque nova, sed et antiquis, praesertim arabis medicis nota et aestimata.

FEBRIS SYMPTOMA.

Dan. Sennert Dissert. de febribus symptomat. Witteb. 1619.

141. Febris alterius morbi effectus aut comes, qua ablata morbus princeps non tollitur, symptomatica dicitur.

142. Febris scilicet, unice qua circulus humorum acceleratus considerata, est symptoma, quod omnibus fere morbis adsociari potest, prouti alia cujuscunque functionis laesio.

143. Imo haec circuli velocitas, separatim considerata, in ipsa febri morbo, pro symptomate haberi potest. Unde intelligitur, cur medici nonnulli aegrum non febricitare defendant, si pulsus in certis ipsarum febrium stadiis normales sunt.

144. Quidquid irritando aut stimulando systema circulatorium ad validiores et frequentiores actiones provocat, febrem hanc symptomaticam, ceu laesam circuli functionem in morbis quibuscunque producere valet.

145. Ejusmodi irritamenta, hanc febrim in aliis morbis facientia, vel interna sunt, in ipso aegrorum organismo ex principe morbo generata, quo spectant heterogenea irritantia diversissima, vermes, calculi, acria absorpta etc.; vel externa et adventitia, pravo regimine diaetetico, aut causis externis aliis adducta.

146. Imo et primario modo, in ipsis sanis hominibus, ex stimulis diversis, solas vias circulatorias laedentibus, febris symptomatica, seu morbus, cujus potissimum symptoma in unico circulo latet, oriri omnino potest. Exempla praebent traumatica, et ipsa gastrica legitima febris.

147. Talis febris symptomatica etiam vocatur febris ex irritatione, febris irritativa, febris vasorum, febris simplex.

148. Nullus fere morbus est, cui symptomatica febris adsociari non possit. Duplici autem modo (§. 141.) morbis jungitur.

149. Nonnullis morbis absolute et essentialiter adhaeret, ut iis durantibus continuo adsit. Hi morbi febriles dicuntur, quo nomine distinguuntur a febribus ipsis. Stipantur febre pathognomica, ex ipsa eorum natura proficiscente. Exemplum in tabe purulenta, in qua febris essentiale, sed mere symptomaticum phaenomenon est.

150. Aliis autem morbis accidentaliter febris jungitur, et laterali ex causa. Adesse vel abesse potest, quin morbi principis natura mutetur, quoniam ex natura ejus non fluit, sed a circumstantiis mere accidentalibus pendet, circulum frequentiorem stimulo suo inducentibus. Ita febris symptomatica in rheumatalgia, chlorosi, hydrope etc.

151. Huc quoque pertinet febris artificialis, auxiliis medicis ex industria eo scopo provocata, ut organa circulatoria ad fortiores ac velociores actiones invitentur.

152. Imo interdum febris symptomatica spectat fere ad statum physiologicum hominis sani. A pastu, a motu etc., pulsus fiunt quidquam velociores, laesa simul respirationis aliarumve functionum integritate, quin stricte morbus adsit, aut saltem perseverans aegritudo.

153. Hujus omnis febris symptomaticae natura non est adeo abscondita, uti febris morbi. Nosogenia et theoria ejusdem elucet ex cognitione stimulorum, qui organa circulationis ad vehementiorem impetum irritarunt.

154. Symptomata ejus quoque functiones plurimum circulatorias et secretorias laesas exhibent; alia systemata,

dermaticum, glandulosum, nervosum etc., modice, ac nonnisi indirecto modo alterata designant. Hinc pulsuum velocitas, calor auctus, praegresso vel nullo vel exiguo et minus solemni horrore, sitis, respiratio quidquam citata, transpiratio aucta, levis urinarum alteratio, ac modica lassitudo virium muscularium, vulgaria constitutiva febris symptomaticae phaenomena sunt, quae habitum aegrorum externum, inturgescentia partium excepta, non mutant manifeste.

155. Decursus hujus febris pro diversitate causarum, harum intensionis, durationis etc., diversus. Plerumque brevis, ephemerus, nisi causae irritantes diutius agant. Quo in casu versabilitas symptomatum, etiam in longiori decursu, non magna. Si vero ex repetitis causis iteratae invasiones redeunt, phaenomenorum febrilium quidquam major versabilitas est.

156. Febris symptomatica non destituitur quidem omni nisu critico et salubri, imo vitales circulatoriae vires, in stimulum inimicum excandescentes, hunc non raro vel expellunt, vel subigunt et enervant. Sed quoniam praeter circulatorias aliae vires vitae in hac febre non insurgunt, nec quodvis irritamentum solo circuli impetu devinci potest, ideo etiam plerumque conamina critica minus sufficientia, ipsaeque crises in phaenomenis et levamine minus solemnes sunt, quam in febri morbo. Atque alia molimina non sunt, quam quae ex legibus irritabilitatis concipi et explicari possunt.

157. Levatur tamen non raro haemorhagiis, vomitu, diarrhoea, sudoribus, urinis criticis. Infausta vero terminatione stasibus, in organo quodam vitali ortis, vitam obprimere potest.

158. In Therapia symptomaticae hujus febris major ratio causarum, utplurimum manifestarum, haberi potest, quam in febre morbo, cujus causae plurimum occultae sunt. Hinc vel directis indicationibus ipsa causa amoveri potest, vel indirectis saltem reddi minus laedens. Universim, si merum symptoma alius morbi haec febris est, symptomaticam etiam medelam unice requirit. Exactior autem, et specialior febris hujus descriptio, ac The-

rapiae ejus explanatio, dabitur in doctrina febrium speciali.

FEBRIS MORBUS.

159. Febris morbus est morbus sui generis, per omnem decursum propriis characteribus donatus, in solo humorum circulo morbose exagitato ac aucto calore non consistens, imo hisce symptomatibus interdum in certis stadiis carens.

160. Ad hujus morbi ideam concipiendam omnia illa in complexu phaenomena sunt consideranda, quae constituunt characteres ejus essentiales. Quod nonnisi fusiori descriptione obtineri potest.

DESCRIPTIO.

161. Hacce descriptione utendo, febris est morbus omnium organismi virium ac facultatum, nec non ipsius substantiae organicae, e pluribus invasionibus compositus, incipiens ab horrore et lassitudine, decurrens acute et periculose, cum pulsu ac calore alterato, sub magna in symptomatibus versabilitatae, cum nisu ad repentinas mutationes, et finiens per crises, ipsis vitae conatibus praestitas.

162. Hi VII characteres sunt essentiales et vere constitutivi febrium: I. Laesio omnium virium, facultatum, ac totius substantiae organicae. II. Compositio e pluribus invasionibus. III. Initium ab horrore et lassitudine. IV. Decursus acutus cum periculo. V. Alteratio pulsus ac caloris. VI. Versabilitas in decursu. VII. Nisus ad improvisas mutationes per ipsos vitae conatus, seu crises.

163. Febris est morbus omnium organismi virium, facultatum, ac ipsius massae organicae. Organismus scilicet humanus vivus non tantum in viribus, quibus pollet, in facultatibus, quibus gaudet, sed et in ipsa materie morbose laeditur sub febri morbo.

164. Virium organismi morbosa conditio prae omnibus aliis febrium phaenomenis princeps est. Hinc febres proprie dicuntur morbi dynamici.

165. Et quidem vires organismi, quae actiones vitae exerunt, manifeste laesae deprehenduntur omnes. Nam non tantum suprema, quam vitalem nominamus, vis, et quae fere in concreto designat vim organicam, aegre adficitur in febre; sed et singulae ac subalternae vires, tum nervosae, tum irritabiles musculorum, tum contractiles membranarum ac textus cellulosi, tum et physicae, adtractivae, elasticae etc., morbosam ostendunt conditionem in febribus, qua ab actionibus normalibus plane aberrant.

166. Inde laesae deprehenduntur functiones vitales in motu cordis et arteriarum, in respiratione, in debito nervorum ad vitalia viscera officio; laesae functiones naturales, in digestione, chylificatione, sanguificatione, nutritione, in secretionibus et excretionibus; laesae functiones in motibus voluntariis; laesae denique sexuales functiones, et quidem peculiarius uterinae in feminis.

167. Vetat autem ignorantia de virium vitalium rationibus in sano statu, aegre in febribus adfectas exquisitius determinare.

168. Facultates organismi, quae impressiones percipiunt, et mentem et voluntatem dirigunt, morbosis quoque mutationibus luculentis alterantur in febribus; tum sensitivae, nam tactus, gustus, odoratus, visus, auditus, aucta aut imminuta adficiuntur intensione, aut perversas animae faciunt relationes; tum adpetentes, nam cibus, venus, nicotiana, res alias gratae fastidiuntur, et sitis econtra augetur, ac tumultuarii insoliti evigilant instinctus; tum judicantes et aliae superiores communis sensorii, nam mens languet, adtentio fatigat, judicium confunditur impressionibus internis, deliria, pervigilia, vexant; aut econtra sopor obruit omnem rationem et voluntatem.

169. Denique ipse organismus in forma et mixtione materiei organicae, atque in physica partium organicarum erga se invicem relatione immutatur in febribus. Quod comprobat caloris, cohaesionis fluidorum et so-

lidorum, turgoris, coloris, et qualitatum externarum in partium volumine et consistentia a sana conditione deflexus. Inde proprius habitus aegrorum febrilis, propria physiognomia. Carnes, cutis, labia, genae, oculi, vultus, manifestas sensibus exhibent mutationes morbosas.

170. Febris igitur et virium, et facultatum, et ipsius materiei organismi simultanea adfectio est. Merito ergo dicitur morbus universae vitalitatis, morbus omnium organismi systematum, morbus totius substantiae organicae.

171. Febris est morbus ex pluribus invasionibus compositus, ita quidem, ut unus jam paroxysmus dispositionem ad plures inducat. Clare hoc demonstrant febres intermittentes. Sed et continuae etiam febres, symptomaticis tamen exceptis, manifeste conflatae sunt e pluribus invasionibus; nam ex intermittentibus saepe oriuntur, et viceversa in intermittentes defatiscunt. Atque ipsarum continuarum febrium exacerbationes evidenter indicant, accedere tunc remittenti febri recentem invasionem, in quam prior nondum finita confluit. Continuae ergo febres, si non omnes, saltem pleraeque, praesertim criticae, e pluribus paroxysmis febrilibus, quorum unus alterum subintrat, compositae sunt.

172. Febris incipit ab horrore et lassitudine. Omne initium febrium, solis symptomaticis interdum exceptis, fit a sensu quodam frigoris interni molesto, et alieno a realis frigoris persensatione, quod stipatur plerumque tremore et valida corporis involuntaria concussione. Primum hocce febrium symptoma dicitur horror febrilis, et adeo constans in febribus est, ut, etiamsi gradu diverso adsit, vix unquam tamen absit, atque a stupidissimis etiam aegrotis, nec examine monitis, adnotetur.

173. Huic symptomati statim adsociatur sensus defatigationis et languoris, cum segnitie, vix vincibili, in peragendo motu musculorum voluntario; lassitudo spontanea. Accedit adhuc morositas, et ob ipsas motus voluntarii difficultates lectum nunc petere cogitur fortissimus ceterum homo, situmque quaerere, sub quo plurimi musculi quiescere possint.

174. Febris decurrit acute et cum pericu-

lo. Qua proprius enim morbus considerata febris, vix ultra dies triginta excurrere potest. Quodsi autem excurrat longius continua febris, symptomaticarum sane febrilium invasionum catenam sistit. Intermittentium quidem per annos durantium exempla habentur; sed quemvis paroxysmum in illis facile pro febre agnoscere licet, cujus decursus omnino acutissimus est. Non durat propterea febris diu, sed frequenter recurrit.

175. Periculum febrium in ipsa jam morbi natura latet, nam morbus est virium vitalium. Sed adhuc augetur crisium, non raro versuta, indole. Hinc nullam omnino febrem periculo vitae carere, defendi potest; et levissima ad speciem febris inopinato jam evasit interdum lethalis.

176. Febris incedit cum pulsu et calore altérato. Pulsus enim velox, etsi in certo stadio febrium nonnullarum plane abesse possit, constans tamen febris morbi symptoma est; quoniam nulla febris datur, quae per omnem decursum suum pulsu non alterato stiparetur.

177. Idem de alterato calore valet. Quamvis enim fors febres sint, quae non absolute a frigore in calorem transeunte ordiantur, vel in quibus ordine inverso irruant calor et frigus, vel in quibus certo in stadio calor non multum a sano declinat; defendi tamen non potest, tales dari febres, in quibus per omnem decursum alteratio caloris penitus absit. Imo certum est, hasce caloris morbosas alterationes in nullo praeter febres morbo deprehendi.

178. Propterea tamen pulsus et caloris alterationem pro constitutivo omnium febrium symptomate agnoscere non licet; nam, utut non in omnibus earum stadiis, in quibusdam tamen abesse potest, quin febris cessasset.

179. Febris est morbus versatilis in decursu suo; id est, mutabilis in phaenomenis suis. Imprimis mutatur frequenter, repente ac inopinato interdum, forma febrium, quoniam symptomata morbosa intensione ac numero multum variant. Ipsae enim undulationes sub adscensu symptomatum tempore exacerbationis, et descensu illorum tempore remissionis, variabilem

constituunt formam. Deinde ipsa indoles febrium ac praevalens character saepe ac improviso mutatur, nam inflammatoriae nervosum, nervosae putridum characterem induunt frequenter. Denique etiam inopinatae terminationes febrium, versabilitatem earum omnino constituere juvant.

180. Febris peculiarem ostendit nisum ad repentinas et inopinatas mutationes, ipsis vitae conatibus praestitas. Hae mutationes repentinae, febribus finem imponentes, arte non praestandae, proprio autem vitae molimine peractae, vocantur crises. Quas non tantum in febribus continuis solemnes observare licet, sed manifestissimum earum ac quotidianum exemplum habetur in paroxysmo febris intermittentis, quem, jamjam ingressum, nulla fere ars decurtare, aut in instanti profligare valet, donec ipsa vitae molimina per crisin finem ejus inducant.

181. Hinc febres in concreto, ac qua proprius morbus consideratae, criticae vocantur, ac differunt hoc charactere a symptomaticis, quae crises nunquam ita solemnes, nec ita decisivas praestant.

182. Jam isti conatus vitae in febribus criticis salubri eventu persaepe coronantur, atque, ubi vigent ac liberis viribus agunt, sanitatem inducunt optimam. Et quidem nec artis auxilio semper opus habent ad praestandam hanc optatam terminationem; nam multi aegri e febribus convalescunt, qui aut nulla penitus, aut etiam perversa medicina utuntur.

183. Hinc intelligitur, cur prava etiam medendi methodo non omnes trucidentur in febribus aegri. Atque male esset generi humano, si omnes illi febre laborantes perirent, qui ineptis medendi rationibus tentantur. Vincunt persaepe conamina vitalium virium in febribus et morbum ipsum, et pravae medicinae effectus.

184. Sed tamen interdum etiam crises vitae infensae accidunt, aut ob vitae conatus insufficientes, morboque debellando impares, aut ob peculiariter insidiosam febrium indolem. Imo ex aliis pluribus rationibus, non semper certe adsignandis, vitae molimina critica evadunt irrita.

185. Atque hinc intelligitur, cur optima medendi febribus methodo, non omnes sanentur. Insufficientia enim auxilia quaevis medica sunt, si virium organismi conamina illas non praestant salubres operationes, quibus ipsa vita occulto suo modo devincere valeat febres.

186. Solis criticis operationibus directo modo, ac arte nonnisi indirecto modo, determinantur febrium exitus; fausti, si vigent vires vitae et libere agunt; si vero obruuntur aut languent, infausti.

187. His salutiferis organismi operationibus in febri multa debentur, quae medicis aut arti immerito saepe adscribuntur. Inde enim pendet, quod miseri ac inepti medici famam, quam buccis inflatis non accipere, sed verecundi naturae magistrae reddere deberent, in febribus sanandis sibi conficiant. Inde pendet, quod omnis sectae medici, ac obpositarum medendi rationum adseclae, de felici eventu in febrium tractatione glorientur. Inde demum pendet, quod quaevis theoriarum ad febres curandas adplicata, sanatorum aegrorum practica exempla offere valeat. Obpositae autem medendi rationis felix in eadem febri eventus, insufficientiam ac futilitatem theoriarum harum optime demonstrat ipse.

DIAGNOSIS FEBRIUM.

F. G. Goldhagen Diss. de diagnosi febrium in primo stadio. Hal. 1784.

188. Ex hisce jam omnibus febrium adtributis, in quantum phaenomena sistunt sensibus obvia, diagnosis febrium universim desumitur.

189. Cognoscitur scilicet febris morbus, virium organismi omnium in functionibus vitalibus, naturalibus, animalibus, privatisque laesione, atque ipsius massae organicae manifesta mutatione, ex proprio habitu desumenda, initio ab horrore et notabili lassitudine; invasionibus iterato redeuntibus, undulationes in decursu, ac versabilitatem in forma symptomatum producentibus; alteratione denique pulsuum ac caloris nunquam penitus, aut saltem non omni in stadio, absente.

190. Alii, utut constantes febrium characteres, diagnostica tamen signa non semper largiuntur, quoniam omni febrium tempore non dignoscuntur. Quo spectat decursus acutior, ac nisus ad repentinas mutationes, vi vitae praestitas.

191. Decursus quidem acutus ex symptomatum urgente intensione conjectari potest in omni febrium stadio. Mutationes vero repentinae, ac improvisae terminationes, ipsis vitae conatibus praestitae, sive crises, non cognoscuntur, nisi matura jam febris aetate, aut illa fere jam judicata. Solus enim, ac ex effectibus nondum visus, principii vitalis in causam inimicam reagentis, nisus, signis propriis diagnosticis, ac claris phaenomenis non distinguitur; atque ex solo circulo humorum incitato ac calore aucto non desumitur facile, ut alii crediderunt.

192. Roborabit autem hanc febrium diagnosin, tum negativo modo, defectus characterum alius morborum familiae, tum modo positivo, adtentior consideratio seriei stadiorum sese invicem excipientium; quae et quorum phaenomena fusius adhuc describenda erunt.

DIFFERENTIAE AB ALIIS MORBORUM FAMILIIS.

193. Febres characteribus suis pathognomicis essentialiter differunt a reliquis morborum familiis et classibus, cachexiarum, nevrosium, eccrisium, et localium adfectionum.

194. Cachexiae non stipantur tanta virium vitalium laesione ac febres, qualitates potius solas externas, easque manifestissime vitiatas speciali habitu ostendunt, lente decurrunt, et universim absque versabilitate, vitae conatus ad morbum abigendum vel vix, vel paucos exerunt et insufficientes. Imo ad illas sanandas plurimum ars valet, et parum natura.

195. Nevroses non omnium vitalium virium, sed nervosarum tantum functionum laesione designantur, et plane nullos pro morbo superando naturae nisus agnoscunt. Nec facile arte, uti cachexiae, nec naturae viribus

facile, uti febres, devincuntur; obstinati omni respectu morbi. Versabilitate non omnes gaudent, circuli ac caloris alteratione non constante, et potius accidentali stipantur.

196. Eccrises denique et topici morbi ad locales adfectiones restringuntur, virium laesione, nisi secundaria aut accidentali, non incedunt, versabilitate raro, nisu ad crises nunquam gaudent.

DECURSUS FEBRIUM IN GENERE.

197. Febres universim, nisi mors prius finem imponat, septem stadia, certis limitibus inter se distincta, percurrunt; quorum primum opportunitatis, secundum invasionis, tertium incrementi, quartum status, quintum criseos, sextum decrementi, septimum convalescentiae dicitur.

PRIMUM STADIUM.

OPPORTUNITAS.

C. Schröder Diss. de frequentioribus febrium prodromis. Gott. 1768.

198. Febris morbus nunquam fere invadit repentino insultu, sed praecursoriis quibusdam symptomatibus sanitatis laesae, ceu prodromis, adventum suum adnunciat. Neoterici hunc intermedium inter sanitatem et morbum statum apte vocant opportunitatem. Quae a dispositione differt, quod jam ingressus in morbum sit.

199. Phaenomena morbosa prodromi hujus differunt ab illis, quae constitutiva nominantur, et quae ipsam febrem jamjam praesentem constituunt.

200. Ex facultatum, virium actionum, ac functionum inde pendentium, ipsarumque qualitatum externarum laesione quidem etiam desumuntur, sed alio modo modificata.

201. Quamprimum causa morbifica agere incepit, jam adsunt, crescentia eo intensius, quo propius invasio febris instat.

202. Praeprimis laeduntur facultates adpetentes. Solita sanorum alacritas evanescit, morosi fiunt ac summo-

pere sensiles ad ingratum quodvis perceptum. Fastidiunt illa, quibus delectabantur ceterum. Repudiant consortium, cibum, tabacum, resque alias gratas. Venus silet.

203. Mox dein laeduntur virium animalium actiones. Corpus ad motum ingravecit, citoque defatigatur, proclive in sudorem, cum sensu caloris interni. Somnus non reficit.

204. Demum et laeduntur qualitates externae. Facies et cutis pallescit, aut insolite rubescit, oculus languet, anima foetet. Atque tota physiognomia ita alteratur, ut et profani morbum instantem dignoscant.

205. Ex hisce jam morbosis phaenomenis valetudo quidem minus secunda, utut morbus adhuc non adsit, desumi potest, species autem futurae aegritudinis, imo et instans febris nullo modo determinari, nisi ad causas praegressas animus dirigatur. Similes enim prodromi, etiam aliis morbis, quam febribus, antecedere possunt.

206. Neque omnia semper haec phaenomena, nec eadem intensitate adparent. Quo vehementior futura febris, eo intensiora sunt. Sed nunquam penitus absunt, et ubi abesse putantur, ob levitatem aut brevitatem tantum non animadvertuntur. In febribus artificialibus, insitione miasmatis productis, intermedius hicce inter febrilem et sanum statum optime, atque ad sensum demonstratur.

207. In febribus tamen symptomaticis, praecipue in illis, quae ex causa violenta oriuntur, plane deficit hoc stadium. Econtra in contagiosis febribus aliud adhuc stadium opportunitatem praegreditur, infectionis dictum; propriis phaenomenis interdum distinctum ab ipsis aegris.

208. Ast non tantum intensio opportunitatis diversa est in diversis febribus, sed et diversa est duratio hujus stadii. Eo breviores vulgo prodromi sunt, quo acutior decursus futurus, et vice versa.

209. Datur autem reditus adhuc ex hocce stadio in sanitatem directe, si potentiae relativo modo nocentes opportunitatem induxerunt, atque auxilia illis obposita adhibentur, aut obpositae illis circumstantiae sponte favent. Ubi autem absolutae causae egerunt, v. g. miasmata contagiosa, nullus permittitur recessus directus; sed per crises unice, omni febris decursu absoluto, sanitas obtinetur.

SECUNDUM STADIUM.

INVASIO.

Principium. Initium. Ἀρχή.

210. Actionibus causae morbificae in omni organismo perceptis, ipsa febris ingruit. Ejus ingressum semper designat frigus et lassitudo.

211. Sub prima invasione hoc frigus vagum est et breve, unice fere per cutim excurrens, sed rediens pluries; horripilatio. Accedit formicationis sub cute sensatio, praecipue in regione dorsali, adscendens scapulas et epicranium, descendens lumbos ac crura transmigrans.

212. Postea vero frigoris sensus magis magisque increscit, diutiusque persistit, tremore aut et valida concussione stipatum, partibus rigidis et ad motum difficilibus, quemadmodum sub reali frigore; horror. Cui jam paulatim serius calores intercurrunt vagi, ac si calida aqua super cutem effunderetur. Atque hi calores pedetentim adaucti, in continuum febrilem calorem dein transeunt.

213. Hoc frigus febrile mox ad sensum solummodo aegri adparet, cum calore corporis normali, aut et majori; mox reale est, tactu et thermometro confirmatum.

214. Interdum febrile frigus in ipso decursu acutarum febrium, sub invasionibus recentibus aut exacerbationibus iterum recurrit, sed nunquam ita solemne, ac sub exordio febris. Et ubi percipitur solemne, ibi etiam febris subintrat recens.

215. Fidelis comes frigoris febrilis est lassitudo. Aucta nunc morositate, segnities ad motum muscularem maxima fit, ac subitanea a minimo musculi voluntario motu defatigatio. Hinc lectum aegri petunt; sed et in lecto inquieti decumbunt. Quaerunt teporem, quo anguntur statim, denudatis autem partibus denuo frigent.

216. Comitantur porro hanc invasionem pandiculatio et oscitatio frequens, capitis gravitas aut temulentia, sensuum quaedam obnubilatio, oris siccitas et sitis cum anorexia, labiorum et unguium livor, cutis pallor et conditio sic dicta anserina, poris clausis, vasis in superficie

constrictis; transpiratione impedita, urinae plerumque copiosae, aquosae; praecordiorum molestia; respiratio anxia, tussiculosa; pulsus contracti, exiles, veloces.

217. Haec autem invasionis phaenomena, utut solis febribus communia, ita tamen generalia sunt, ut sub diversa et quavis fere specie febris subvenientis simili modo compareant.

218. Differunt tamen intensione, et tempore durationis. Quo acutior et gravior futura febris, eo brevius hocce stadium, ac eo vehementioribus invasionis symptomatibus stipatum. Ultra nychthemerum raro extenditur, interdum vero jam una hora absolvitur.

219. Reditus ex hoc stadio in sanitatem non datur amplius, nisi per crisin. Limites omnium febrium ex una parte ponunt horrores, ex altera crises.

TERTIUM STADIUM.

INCREMENTUM.

Augmentum. *Ἀνάβασις.*

220. Evanescentibus nonnullis invasionis symptomatibus, reliqua, quae remanent, intensitate augentur, atque simul alia numero plura ingrediuntur. Morbus ergo increscit, et febris proprie nunc formatur, nec non characterem suum specialem nunc primo declarat.

221. Evanescunt oscitationes, pandiculationes, formicationes et horrores, frigus in calorem universalem mutatur, plerumque aequabilem ac realem, manu et thermometro distinguendum, qui vero normalem et sanum nunquam 16 gradibus Fahrenh. superat; rarius solo tantum aegroti sensu percipitur. Spasmi cutanei resolvuntur, redeunte majori in transpirationem proclivitate, urinis jam nunc propterea parcioribus, urentibus, coloratis, ast limpidis adhuc.

222. Increscit vero lassitudo, motibus animalibus liberioribus quidem, sed languidis.

223. Constantiora reliqua, hoc stadium comitantia, symptomata sunt, quae calori febrili respondent; sitis

adaucta, decrescentibus inversa ratione adpetentiis, facici turgor, genarum rubor, oculorum splendor languente adspectu, capitis gravitas, somnolentia haud reficiens, morositas aut indifferentia animi, praecordiorum anxietas, inquietudo et jactitatio, respirationis citatio anhelosa, halitus ardens, pulsus liberiores, veloces tamen, varie pleni et fortes, in collo et temporibus saepe vibrantes.

224. Ita in simplici febre, ubi nulla peculiaris singularium viscerum morbosa adfectio. Dicta enim phaenomena constantiora sunt, in quavis febri obvia; reliqua a viscerum singulari adfectione pendentia, minus generalia, aut speciebus febrium diversis propria, aut adventitia.

225. Ubi nempe singulorum organorum peculiares simul adsunt morbosae adfectiones, encephali, pulmonum, ventriculi, intestinorum, cutis, ibi diversorum symptomatum cohors prioribus constantioribus accedit, oriundorum vel secundario effectu e primariis, vel et solo partium consensu. Inde laesiones multifariae in secretionibus, excretionibus, in nervorum munere, ac in functionibus privatis, quas omnes enumerare hic locus non concederet. Nam nullum in genere morbosum symptoma datur, quod febribus adsociari non possit. In specie autem, sub speciali febrium doctrina, suo loco adsignabuntur.

226. Nec omnia pendent semper a causis, febres producentibus, et a febri, sed saepe ex lateralibus et accidentalibus, aeque innumeris, momentis proficiscuntur.

227. Hinc etiam, et in hoc quidem febrium stadio praecipue, tanta versabilitas, tanta phaenomenorum morbosorum, sese invicem diverse excipientium ac concomitantium, mutatio, tamque repentina saepe, ut omni fere die sit alia facies morbi.

228. Atque multiplicium horum symptomatum modificationes, ex eorum diverso numero, diversa intensione, diversaque permixtione ac alternatione oriundae, ita innumerae esse possunt, ut logarithmorum calculo in infinitum fere excurrant. Hinc similitudine a se invicem febres inter omnes morbos maxime differunt; atque essentialia plura ab accidentalibus aegre discernuntur phaenomeua.

229. Alia autem versabilitatis febrium ratio in exacer-

bationibus, recenti post remissionem invasione febrili inductis, quaerenda est. Quae exacerbationes, ceu recentes invasiones, cum residua priori febre cohobatae, in hocce stadio, in quo tum frequentes, tum multum anticipantes esse solent, non adeo notabilem remissionem, sed potius incrementum symptomatum graduale, et vel propterea etiam maximam inducunt eorum versabilitatem.

230. Et, quoniam tempore increscentium harum turbarum febrilium vires vitales maximo nisu insurgunt versus causas febrium excitantes, earumve primarios effectus, vivum organismum infestantes; quoniam haec phaenomena morbosa causam, si materialis fuerit, summopere irritantem, heterogeneam et subactione indigentem, proinde crudam indicant; quoniam demum in excretis ipsis illa adhuc desideratur subacta partium conditio, quae seriori febris aetate cum magno symptomatum levamine observatur; hinc pathologi humorales hoc stadium etiam cruditatis stadium nominarunt.

231. Duratio hujus stadii, incrementi, pro varia febris natura, varia esse solet. In acutioribus febribus et gravioribus brevius est, quam in lentis et levioribus. Raro tamen ultra septimum diem extenditur. In paroxysmis intermittentium febrium paucis horis absolvitur.

QUARTUM STADIUM.

STATUS.

CONSISTENTIA. VIGOR. FASTIGIUM.

'Ακμή.

232. Ubi symptomata febrium nec numero, nec vehementia amplius increscunt, in aequabili quodam tenore, antequam in salutem aut mortem terminentur, per aliquod tempus febres persistunt, illud adtingunt stadium, quod status dicitur.

233. In hoc etiam nonnullorum symptomatum leve decrementum observatur, et quidem in illis praecipue febribus, in quibus vitae vires majori ac feliciori molimine ad restituendam salutem operantur, ac praevias fere crises praestant.

234. In aliis vero febribus, sub obpositis rationibus, hoc stadium vel ob brevitatem, vel ob exacerbationes solemnes, nova atque versatilia symptomata continuo adhuc inducentes, ab illo incrementi nec facile distinguitur. Tales febres sub continuo symptomatum augmento in mortem abeunt, quin conquiescere in cursu suo videantur.

235. Mitiori etiam sub decursu stadii hujus instantium crisium turbae praecursoriae interdum versabilitatem phaenomenorum morbosorum aliquam inducunt. Quam magis omnino augent adhuc laterales, si quae agunt, nocivae potentiae.

236. Universim autem, major tamen est uniformitas ac constantia symptomatum in hoc, quam in priori stadio, minorque igitur in genere versabilitas.

237. Et quoniam, si causae materiales subsunt, vitali in illas reactione fortiori nunc ac liberiori, enervatio earum, aut pro futuris eliminationibus subactio ac praeparatio in hoc stadio quammaxime obtinet, atque reapse major in secretis et excretis homogeneitas jam observatur, hinc etiam stadium coctionis dicitur in humorali pathologia.

238. Pro diversa febris natura, duratio ejus diversa est. In acutis ac gravioribus febribus brevius est, quam in lentis et levioribus. Raro tamen 14 dies excurrit. In paroxysmis intermittentium febrium paucis horis durat.

QUINTUM STADIUM.

CRISIS.

Judicium Febris.

Hippocrates de diebus judicatoriis (Liber minus certus).
Cl. Galeni de crisibus libri tres.
— — de diebus decretoriis libri tres.
C. Romateti Crisiologia. Par. 1635.
J. Caes. Claudinus de crisibus et diebus criticis. Venet. 1690.
S. T. Sömering Diss. de perturb. critica et crisi. Mogunt. 1786.
G. Consbruch Diss. de crisibus. Stutg. 1787.
F. Ideler de crisi morborum. Lips. 1789.
W. Liebsch comment. de crisibus. Got. 1803.

A. Henke Darstellung und Kritik der Lehre von den Krisen. Nürnb. 1806.

239. In fastigio persistens aliquo tempore febris morbus, vitae conatu judicatur. Praegressa scilicet recenti ac graviori exacerbatione, quae critica perturbatio dicitur, febri imponitur terminus ipso virium vitalium summopere irritatarum conatu, aut vincentium, aut et victarum fortitudine causae morbificae. Atque hic naturae actus nominatur crisis, judicatio.

240. Crisis est ergo mutatio repentina, certo tempore febrium ingruens, febrimque terminans, ipsis vitae conatibus ac nisu febrium proprio inducta, artis solius molimini nec adscribenda, nec eo praestanda.

241. Lentae mutationes febrium, aut illae, quae artis ope adducuntur, prima praesertim febrium aetate, crisium nomine non sunt dignae. Ita et illae, quae inopinato quidem, sed a circumstantiis accidentalibus, vel a prava medela proficiscuntur. Quae vero solis virium vitalium operationibus repente ac inopinato praestantur mutationes, hae omni jure criticae sunt. Hisce non raro aegri ex agone mortis citra spem redeunt ad sanitatem; aut vicissim in mortem praecipitant improvisam periculo vacantes.

242. Quaemadmodum horrores ex una parte, ita ex altera parte crises constituunt terminos et limites febrium. Ex febri morbo exitus in sanitatem non datur, nisi per crisim.

243. Qui plane negant crises in febribus morbis, defectum observationis et adtentionis ad febres, praesertim sibi relictas, et medico auxilio destitutas patefaciunt. Ac utut nulla theoria eis dilucidandis penitus sufficiat, injustum tamen esset, e foro veritatum eas propterea expellere.

244. Alii quidem crises non penitus negant, sed repentinas in febribus mutationes circumstantiis accidentalibus mox faventibus, mox non faventibus adscribunt. Ita jam olim Asclepiades Bithynus, atque nuper J. Brown, qui easdem ideas ruminavit.

245. Ast observatores adtenti quotidiana experientia convincuntur, tales omnino dari praecipites mutationes in

febribus, quae nullo modo arti aut accedentibus circumstantiis imputari possint, sed ad ipsam febrium naturam spectant. Et utut non in omnibus absolute, saltem in plerisque febribus. Justo enim calculo ducto, plures quam duae tertiae partes febrium, adtentissime observatarum, crises solemnes exhibent.

246. Neque satis est defendere crises. Notare adhuc convenit, oeconomiam animalem in febribus ad observandas periodos summe proclivem esse. Atque id ipsum efficit, ut crises certis febrium periodis, ac determinatis fere diebus compareant.

247. Hae periodi, dies critici nominatae, sedulo ab Hippocrate aliisque oculatis ac veridicis omnium aevorum observatoribus notatae sunt. Et quidem sequentes:

248. Prima, secunda, tertia, quarta, quinta febrium dies (periodo quotidiana); septima, nona, undecima (periodo tertiana); decima quarta, decima septima ac vigesima (periodo quartana). Ulterius non numerarunt medici, quoniam crises eo obscuriores, ipsique naturae conatus eo minus ordinati sunt, quo longior et lentior febrium cursus est.

249. Solemnes saltem, et praecipue salubres crises, diebus modo memoratis contingere solent. Mors enim in febribus, non semper criseos effectus, omni febrium die accidere potest.

250. Attamen haec Hippocratica de diebus criticis doctrina, incongruis quibusdam adsertis nimis deturpata fuit. Quo olim jam contribuerunt tum scripta aliena, Hippocrati immerito imputata, tum hujus viri ipsius fiducia in commenta Pythagorica de numerorum efficacia. Quod quondam non tantum phantasticus Asclepiades Bithynus, sed et castissimus Celsus jam adnotaverunt. Inde etiam multi medici dierum criticorum dignitatem agnoscere noluerunt. Ast excusatur facile Hippocrates eo, quod diebus undecimo ac decimo septimo summam tribuat in febribus judicandis efficaciam, qui plane nullum valorem apud Pythagoraeos habuerunt.

251. Fatendum quidem est, in febribus nonnullis crises observari, quae diebus acriticis, seu vaga et

aliena periodo obtinent. Non tantum enim ab ipsis medendi rationibus pravis, sed et ab aliis causis lateralibus ita detorquentur febres in alienam viam, ut crises tardae mox compareant, mox et praecipites. Sic experientia compertum est, in climate frigido, in aëre nosocomiali et impuro, crises febrium retardari, ab obpositis et aliis circumstantiis accelerari posse, atque a genii epidemici potestate diversimode universim dirigi. .

252. Sed pauciora sunt haec exempla, in quibus natura a solita febrium periodo declinat, atque defendi omni jure potest, longe maximum numerum febrium, dictis vulgo criticis, diebus judicari. Inter quos septimus et decimus quartus summe solemnes sunt, nam plurimae in sanitatem et mortem hisce diebus terminationes occurrunt. Quare etiam cyclus dierum septenarius in febribus maximam medicorum observantium adtentionem concitavit.

253. Atque ipsas periodos criticas adhuc strictius observatas admiraremur omnino, si calculus dierum in decursu febrium semper duceretur justissimus, atque si viribus naturae solis saepius committerentur febres.

254. Ipsae in continuis febribus exacerbationes periodicae abunde demonstrant, quamdam organismi morbose irritati dispositionem esse, qua motus febriles ad certas et determinatas dies adstringantur. Atque crises in febribus non perficiuntur, nisi exacerbationibus.

255. Incitatur scilicet sub exacerbatione quadam graviori vita in summo conatu exaltata, tantum in impetum versus inimicas causas, tantaeque inde turbae oriuntur, ut repentino eventu vel succumbere debeant vires, incassum contensae, vel vincere felici explosione, ruptis vinculis ac colatoriis divulsis. Quam naturae operationem nova et propria symptomata critica comitantur. Atque hisce exacerbationibus judicium febrium, crisi praestitum, unice abscribendum est.

256. Quodsi hae exacerbationes, uti solent frequentissime, die quodam critico dicto obtineant, crises quoque obtinent eodem. Si vero, quod rarius, exacerbationes, vel postponentes vel anticipantes, acritico quodam die intrant, crises quoque omnino comparere possunt eodem. Hinc

Hippocrates jam docuit; quae paribus diebus exacerbantur febres, paribus etiam judicantur; quae vero exacerbantur imparibus, illae etiam imparibus judicantur. Atque errant igitur illi, qui credunt, Hippocratem nonnisi dies impares pro criticis habuisse; qui quidem error malae vocum versioni adscribendus est.

257. Si hae exacerbationes luculentae sunt, crises etiam sunt manifestae. Si vero obscurae sunt exacerbationes, crises quoque sunt occultae. Hac ex ratione crises manifestissimae sunt in febribus gravioribus et acutioribus, atque proinde in febribus calidioris climatis.

258. Quoad eventum vero crises sunt faustae, vel infaustae. Priores sanitate, posteriores alio morbo, aut ipsa morte terminantur.

259. Quodsi faustae crises unico actu critico tales inducunt mutationes, quibus omnia febrilia symptomata subito leventur, ac ipsa statim convalescentia inducatur, decisivae sunt et solemnes, paucis horis absolvendae. Ubi autem ob exacerbationum impetum insufficientem ac energiam vitae minus validam plures ejusmodi operationes criticae, quarum quaevis partem tantum morbi detrahit, requiruntur, morbus etiam lento gradu decrescit. Atque hoc in casu minus decisivae et intercisae crises febrim judicant, stadio critico quoad durationem multum diverso.

SEXTUM STADIUM.

DECREMENTUM.

Declinatio. *Παραχμή.*

260. Inde decrementum febris mox promptum et breve, mox tardum et gradarium. In priori casu post crisin solemnem fere statim convalescentia intrat. In posteriori autem leves semper adhuc intercedunt exacerbationes, pedetentim decrescentes. Quibus quidem duratio hujus decrementi diversa in diversis febribus constituitur. Ubi enim paucae crises requiruntur ad febrim penitus judicandam, decrementum absolvitur breviori tempore, quam ubi plures crises sunt necessariae.

261. Sub gradali decremento talis ordo observatur, quo omnium primo symptomata, quae vitae infensissima erant, evanescunt, reliqua deinde pedetentim intensione et numero imminuuntur. Sensorii et nervorum facultates praeprimis restaurantur, vires motrices, utut penitus necdum roboratae, liberiores tamen fiunt, ac energia sua increscunt decrescente lassitudine ita, ut aegri lectum deserere cupiant. Redeunt adpetentiae sanae, et morbosae evanescunt. Ultimo fere pacatur circulus, qui sine febre adhuc velox manet, aut ex minimo stimulo velocior redditur. Demum paulatim disparent functionum physiologicarum omnes reliquae et levidenses laesiones, atque eadem ratione integritates earum redeunt.

262. Interpolantur autem, si summa adtentione phaenomena stadii hujus observantur, versantibus in continuo decremento symptomatibus, levissimae adhuc exacerbationes quaedam, quibus posthumae crises, utut leviusculae etiam, plenum tamen levamen morbi inducentes, perficiuntur.

SEPTIMUM STADIUM.

CONVALESCENTIA.

'Αναλεπσις.

263. Ubi pristina febrilia symptomata penitus jam evanuerunt, atque eadem ratione functiones physiologicae ad officia sua redeunt, incipit convalescentia.

264. Differt igitur stadium decrementi a stadio convalescentiae. In stadio enim decrementi adsunt adhuc quaedam symptomata constitutiva febris praegressae. In convalescentia autem nullum constitutivum symptoma febris praegressae amplius adest, sed mera symptomata generalia valetudinis laesae tantum adsunt.

265. Minime ergo in hoc convalescentiae stadio omnes functiones jam vigent, sed denuo in opportunitate versatur convalescens, absimili tamen illi, in qua ante febris invasionem versabatur.

266. Organismus scilicet nunc nondum integer et fir-

mus; de substantia illius per febrem multum deperditum, corpus macilentum, carnes flaccidae; turgor vitalis sanus nondum restitutus, imo pallent magis, et miserius prospiciunt convalescentes, quam prius, ubi a febre turgebant. Defluvium capillorum ac epidermidis desquamatio frequenter comitantur hoc stadium.

267. Restat adhuc languor virium, praecipue naturalium ac animalium, sed motus jam libenter ac libere exercetur, ac lectus plane deseritur urgente instinctu. Restat adhuc morbosa irritabilitas, pulsuum ex minima causa et ex levissimo motu velocitas; maxima quoque sensibilitas, erethismus. Evigilant adpetentiae summo vigore, inde voracitas, ac propensio ad libidinem. Omnia prouti in evigilantibus e somno, somnus etiam nunc jam reficit, et negotium reproductionis ac nutritionis expeditur. Restat autem proclivitas ad recidivam in pristinam febrem, ubi illam propria et universalis organismi diathesis induxit.

268. Si demum qualitates externae per febrim laesae unacum functionum omnium integritate ad normam pristinam rediverunt; si turgor, color superficiei normalis, musculorum torositas et robur, correspondentibus organorum actionibus, priorem incolumis organismi conditionem recuperarunt, propriam sibi homo denuo nactus est ex febri sanitatem.

269. Ad quam firmam agnoscendam omnium in amplexu functionum integritas requiritur. Nam femina ex febri convalescens tunc primum sana pronuncianda erit, ubi et menstruae periodi officium adimpletum.

270. Duratio convalescentiae stadii pro ratione febris praegressae, et pro ratione individui ac circumstantiarum faventium, diversa esse poterit. Virium major prostratio ac organicae massae major jactura in febri perpessa, aetas subjecti nimis provecta, potentiarum denique diaeteticarum faventium major defectus, tardiorem semper convalescentiam ponit, et vice versa.

TYPUS FEBRIUM.

C. A. Scuhr Diss. de typo febrili. Gott. 1796.

271. Summe expertis medicis ex diligenti febrium observitatione eruere licuit, in ipsa febrium natura aliquid latere, quo duratio earum ac certa stadiorum serius definitur. Manifestissima exempla non tantum sunt in febribus contagiosis exanthematicis, variolosis, morbillosis etc., sed et in aliis, praesertim epidemicis febribus, inflammatoriis, biliosis, et intermittentibus. Excurrunt enim, nisi anomaliae peculiares ex datis lateralibus causis intercurrant, duratione quadam determinata, quam solemniter observare licet praesertim in continuis septimo et decimo quarto die; atque excurrunt sub mutationibus, fixa periodo accerto ordine comparentibus.

272. Excipiuntur tamen febres symptomaticae, quae durationem stabilem vix agnoscunt, quoniam causae earum tempore minus certo vel enervantur, vel non devictae agere pergunt.

273. Haec definita duratio in febribus criticis, et quidquid simul regularis ac periodici observatur in phaenomenis ac stadiis harum febrium, typum earum constituit.

274. Huic typo universim ita adstrictae sunt criticae febres, ut praeter durationem totius morbi, series stadiorum, quae percurrunt, illorum symptomata praecipua et constitutiva, molimina et operationes naturae quaevis, exacerbationes atque crises, definitum in illis ordinem observent. Tuncque regulares dicuntur aut typicae, sive jam continuo, sive intermittente typo gaudeant.

275. Cujus quidem observationis rationes in diversissimis momentis a diversis medicis quaesitae sunt, mox vel in astris, mox in ipso organismo hominis. Sed adhuc incassum. Profunde enim latet organismi ad periodos et ordinem stabilem proclivitatis causa omnis.

276. Nec patent quidem et irregularis decursus rationes. Sed causae tamen exactius cognitae sunt, quibus a regulari tramite deflectere coguntur febres, quae atypicae aut erraticae sunt.

DECURSUS FEBRIUM IRREGULARIS.

277. In decursu febrium irregulari et anomalo non tantum symptomata constantiora, sed et stadia prius exposita (§. 197 — 270), aut non omnia, aut alieno ordine observantur.

278. Inter symptomata illa, quae febrim constituere solent, calor, sitis, pulsuumque velocitas, ceterave, diversis stadiis respondentia non raro absunt in febribus anomalis, alia vero illorum loco, ac plane aliena adesse possunt.

279. Stadia autem ipsa, quae regulari ordine percurri deberent in febribus regularibus, alieno etiam ordine observantur in febribus irregularibus.

280. Imprimis, quod sponte liquet, omnia stadia non excurrunt illae febres, quae in mortem terminantur. Ita et illae, quae in alium morbum transeunt, stadiumque convalescentiae non adtingunt.

281. Sed et illae, quae fausto sanitatis eventu coronantur, ordinem stadiorum solemnem non semper rite exhibent. Et utut non inversus, confusus tamen ordo stadiorum obtinere potest. Vel enim unum alterumve ob brevitatem suam cum futuro fere confluit, vel revertitur praegressum, vel ipsorum symptomatum febrilium tanta est intricatio, tantaque inter se invicem contradictio, aut parasiticorum adsociatio, ut totus turbetur decursus, aut inadtentus inexpertusve medicus in stadiorum distinctione confundatur.

282. Quarum quidem irregularitatum rationes vel in subjecto inepte disposito, vel in causis a latere agentibus, vel in aliorum malorum complicatione, vel in crisium fallacia ac insufficientia, atque in ipsa medendi methodo non raro quaerendae sunt.

283. Haec tamen pauca nonnisi de irregulari febrium in genere decursu; specialiora enim in speciali febrium explicatione occurrent.

AETIOLOGIA FEBRIUM IN GENERE.

284. Ad disquirendam causam morborum proximam, summe abstrusam plerumque, praemittenda semper est remotarum causarum explicatio, quibus morbi construuntur, et quas deprehendere longe facilius est negotium.

REMOTAE CAUSAE.

285. Has in disponentes seu proëgumenas, et procatarcticas seu excitantes dividunt pathologi. Ad omnem enim morbum producendum duplex momentum requiritur; internum unum, quod disponens vocatur, aliudque externum excitans, occasionale, et proprie causa dictum. Effectus morbosi, ex conflictu utriusque oriundi, causam proximam morbi constituunt.

286. Ita quoque in febribus; quarum proxima causa profundius adhuc, ac illa aliorum morborum delitescit, et ad quam eruendam adtentissima requiritur remotarum causarum consideratio.

DISPOSITIO, SIVE CAUSA DISPONENS.

287. Sine propria organismi dispositione non oritur febris, causa occasionali utut accedente. In quo autem proprie illa dispositio ad febres lateat, non facile definitur.

288. Si febrim unice consideramus qua morbum systematis circulatorii, qualis omnis febris symptomatica est; in irritabilitate cordis et arteriarum, momentum hoc internum praedisponens omnino quaerendum est, quod accedente stimulo quovis alieno, organa haec irritabilia ad frequentiores et vivaciores actiones provocante, ad febrem producendam omnino confert.

289. Hoc respectu ad febrim symptomaticam quivis hominum dispositus est, qui vel sana, imo qui et morbose imminuta irritabilitate praedictorum organorum gaudet, dummodo violenta aut absolute irritans causa egerit, v. g. traumatica laesio.

290. In morbose aucta autem irritabilitate cordis ac arteriarum hoc momentum ad symptomaticam febrem dis-

ponens eo frequentius erit quaerendum, quoniam tunc et relativo solum modo irritantes causae, eaeque ipsae leviores, augmentum circuli humorum facile producere valent. Positis saltem causis relative agentibus, relativa quoque dispositionis febrilis conditio datur, in organorum, circulo dicatorum, irritabilitate diversa consistens.

291. Si vero febrim consideramus qua morbum virium omnium organismi vivi, in aliis quoque momentis quaerere oportebit hanc dispositionem; cujus ratio magis abscondita omnino est.

292. Videmus enim manifeste, dispositionem, saltem ad similem febrem subeundam, peripsam febrim abeuntem interdum auferri; et quidem aut in perpetuum, uti in febre variolosa, aut pro tempore, uti in febribus typhosis. Quibus consideratis facile elucet, auctam cordis et arteriarum irritabilitatem non sistere unicam in febres omnes dispositionem. Nam irritabilitas horum organorum per febres has non tollitur, imo exaltatur plerumque pro aliquo tempore.

293. E contrario observamus in aliis febribus, dispositionem eisdem ad similes subeundas non tantum non auferri, sed adhuc majorem, et non raro perennem induci. Ita post febres catarrhosas, rheumaticas, erysipelaceas, intermittentes.

294. Ex quibus observationibus, omni die confirmatis, patet, praeter ipsam irritabilitatem auctam cordis et arteriarum, alias adhuc conditiones, in organismo vivo latentes, ad febrim disponere debere, et universim non sola illa organa ad dispositionem hanc contribuere, quae viribus reagentibus pollent, sed uti videtur, systema praecipue cutaneum (dermaticum), absorbens et nervosum, quibus causae occasionales proprie suscipiuntur, ad hanc dispositionem conferre; quod confirmat sensiliorum subjectorum major in febres proclivitas, et vice versa animi roboris, fiduciae in medicum aut medicamina, imo superstitionum in praecavendis nonnullis febribus efficacia.

295. Vix ergo negari potest, in omni principio vitali, ac praeter fibras irritabiles, membranas contractiles, fluida elastica etc., in ipsis nervis quoque dispositionem ad

febres quaerendam esse; utut obscura sint illa momenta, quibus dirigitur.

296. Quae quidem obscura eousque erunt, quousque indispositiones quorumdam hominum ad certas febres explicari nesciuntur.

297. Neoterici, qui incitabilitatis nomine communes vitae vires comprehendunt, atque in interno hocce vitae momento, febrium, uti omnium reliquorum morborum, dispositionem quaerunt, non felicius ac alii rem hanc dilucidant. Nam cur miasmatis variolosi incitamento non incitatur amplius ille, qui variolam aut vaccinam jamjam passus fuit? Oporteret in hac explicatione absurdo modo ad obscuras obscurarum qualitatum qualitativas modificationes recurrere.

298. Aeque hallucinantur illi, qui disponens ad omnes febres momentum quaerunt in debilitate. Qualitativae enim causarum perceptiones, ac definitae in definitas causas receptivitates ac reactiones morbosae, inde non intelliguntur.

299. Tantum igitur solummodo scimus, pro gignendis febribus certam in corpore constitutionem requiri, quae mox relativo modo relativis tantum causis obedit in febre producenda, mox positivis causis febrificis unice excitatur, aut, ipsamet positiva, certarum causarum febrilem effectum penitus recusat.

300. Frequentissime autem dispositio ad febres, praesertim epidemicas, in diathesi quadam organismi morbosa pedetentim inducta consistit; opportunitatis morbosae nomine potius digna; quae accedente levidensi causa excitante in febrim ipsam erumpit, quaeve, aucta levissimis momentis, ipsam causam proximam febris jam praebet; atque febri exantlata adhuc persistens, proclivitatem in relapsum ponit. Ita diathesis et dispositio in febres inflammatorias, biliosas et intermittentes, quam, durantem saepe pluribus mensibus, genius inducit epidemicus annuus. Ita et illa perennis diathesis et dispositio, quam catarrhosae, rheumaticae et erysipelaceae febres certa tempestatum ratione adducunt.

301. Temporaria autem et minime persistens diathe-

sis febrium est, quam miasmata contagiosa generant. Hinc exantlato morbo opportunitas ad illas tollitur omnis, et cum opportunitate dispositio.

CAUSAE EXCITANTES.

302. Excitantes febrium causae melius cognitae quidem sunt, quam dispositionis rationes; nec tamen et hae causae omnes sensibus manifeste subjiciuntur.

303. Sunt autem numerosissimae. Nam quidquid vitale principium ad morbosas reactiones exstimulare valet, causam sistit excitantem febris.

304. Ut sub tanta copia in aliquem ordinem redigantur, a variis auctoribus varie dividuntur; in universales et singulares, seu populares et domesticas; in externas et internas etc.

305. Quoad agendi rationem optime distiguuntur in materiales, et immateriales. Priores physico, posteriores dynamico modo agunt.

306. Materiales causae adtributis corporeis in materiem denuo, seu in organismum directo modo agunt, atque nonnisi per illum ad vires vitae actionibus suis pertingunt. Rite subdividi possunt in mechanicas et chemicas.

307. Mechanicae agunt mole, figura, consistentia sua, viribus impulsae physicis. Hisce violentiis inducitur febris compressione, contusione, concussione, distensione, laceratione, mutatione situs, solutione unitatis partium organicarum.

308. Spectant autem ad has potentias mechanicas tum instrumenta externe laedentia, prementia, contundentia, pungentia, scindentia, distorquentia, lacerantia, unde distorsiones, luxationes, fracturae, vulnera etc.; tum interna multa, pondere, tritu, ac diversa organicae structurae violatione peccantia, uti ingesta quantitate excedentia, venena mechanica, inepte ita dicta, calculi, vermes, organicarum partium vitiosa moles, durities, extuberantia, humorum morbose congestorum pondus etc.

309. Chemicae causae agunt, vel organicam mas-

sam destruendo, adrodendo, vel processum vitae organico-chemicum alterando; vel saltem vitales partes irritando. Harum tamen actio nondum sufficienter explicanda.

310. Pertinent ad has potentias chemicas, diversis viis agentes, omnia corpora caustica et corrosiva, irritamenta metallorum oxydatorum, salina, aromatica, aetherea, spirituosa, acria; sive per os adsumta, titulo pravorum alimentorum, medicaminum, venenorum; sive externe adhibita, stimulo rodente, inflammante, exulcerante agentia. Spectant huc acria irritantia, in ipsis organicarum partium internis locis collecta, bilis, pus, ichor. Ipsa electricitas stimulis si non chemicis, saltem physicis adnumeranda venit; quemadmodum caloricum, atque, ni omnia fallunt, etiam frigus, quod positiva actione sua febres frequenter generare videtur. Prae aliis vero huc referri merentur aëris atmosphaerici, tum per pulmones, tum per cutim in organismum agentis, qualitates nocivae physico-chemicae, praeter electricitatem, calorem et frigus, in siccitate, humiditate, vicissitudine repentina, heterogeneorum contentorum ac pravae principiorum miscelae conditione varia quaerendae. In quibus etiam communissimae, tum epidemicae, tum endemicae febrium causae habentur. Denique huc et miasmata contagiosa sunt recensenda, quae specifico quodam stimulo organismum irritant ac febrim incendunt, atque in ipsis organicis partibus aluntur, expanduntur, multiplicantur; proprioque, quem inducunt, processu morboso chemico-organico, sui simile reproducunt, fermenti adinstar.

311. Immateriales causae febrium dynamico, ac propterea summe occulto modo agentes, ipsas vitae vires directe, atque serius organismum indirecte alterant; quemadmodum physicae causae organismum prius adficiunt, atque per illum indirecte ad vitale principium penetrant.

312. Hisce potentiis dynamicis adnumerare oportet: vires ipsius organismi abnormiter operantes, evolutiones physiologicas a normali conditione aberrantes, musculorum ac nervorum actiones nimis impetuosas, pathemata animi vehementiora etc., quibus omnibus, prae-

sertim data opportunitate, febres facile generari possunt. An fors morbosa actio fluidorum imponderabilium huc etiam recensenda?

313. Ex conspectu omnium harum potentiarum nocentium facile patet, causas febrium esse vel absolutas, omnem qualemcunque dispositionem irritantes; vel relativas, favente, ad quam allidunt, dispositione febrim facientes.

314. Patet inde, causam febris mox unicam esse posse, mox plures etiam ad febrim producendam concurrere.

315. Patet quoque, febrim inde oriundam mox symptomaticam tantum esse, causa cognita, si amoveri potest, facile fugandam; mox vero sub occulta causarum actione directis auxiliis non auferendam, sed indigentem vitae actionibus in stimulum amovendum, iisque solis devincendam, atque criticam esse. Prior per stimulos validos sub quavis dispositione artificialis produci; posterior autem nulla construi potest arte; atque utut miasmatum insitione parari interdum queat, nulla tamen hujus constructionis ratio intelligitur sufficiens.

316. Inde denique patet, causas febrium omnes dictas et cognitas, stimulos sistere vere incitantes; atque illas febres, quae sub stimulis levioribus in debilibus oriuntur subjectis, potius dispositioni, ad morbosas reactiones avidiori, adscribendas esse, quam defectui stimulorum, aut reali vitalium reactionum in debiliores stimulos debilitati. Neque ex vitae conatibus, saepe potius impeditis, quam debilitatis, tuto concludere liceret ad stimulorum incitantium in febribus absentiam.

317. Quidquid ergo vitale principium ad reactiones morbose auctas provocat, id causam febrium excitantem in genere sistit. Atque potentiarum incitantium plane nulla est, quae data dispositione febrim producere non valeret.

CAUSA PROXIMA.

318. Cognitio causae disponentis, causarumque excitantium ducit ad notionem effectuum morbosorum, inde

oriundorum, in organismo vivo, tum primariorum, tum et secundario modo e primariis proficiscentium. Qui omnes simul cum causis remotis computati constituunt causam proximam morborum.

319. Haec ergo, pathologis omnibus consentientibus, idem est, quod morbus ipse. Theoriam morbi justam unice sistit, et therapiam ejus rationalem unice dirigit.

320. Ita et in febribus. Sed mutationes morbosae, causis praegressis organismo vivo inductae, nexusque effectuum horum cum causis suis, in criticis febribus, quae morbi omnium virium sunt, eo magis ignorantur, quo minus innotuit adhuc virium vitalium in sano statu ratio.

321. Hinc omnes omnium aevorum medici unanimiter fatebantur, febrium proximam causam profundissime delitescere, utut hi morbi ab antiquissimis temporibus observati, atque generi humano coaetanei sint omnino. Unde in proverbium quondam abivit: sapientissimum quemvis, tamen febris naturam ignorare.

322. Multa tamen, cum libenter delectetur ratio humana causis rerum naturalium indagandis, circa naturam et causam febrium proximam cogitata et conjectata fuerunt omnibus temporibus; imo somniata multa, luxuriante imaginatione, atque hypotheses inde structae, tum ingeniosae nonnullae, tum fatuae et absurdae plurimae.

323. Horum aliqua, quae digna sunt mentione, missis deliramentis, adnotare juvabit commenta, subjungendo dein illa, quae severiori ratiocinio sunt quaerenda, et quae, si non certa, veritati tamen sunt propiora.

324. Philosophi graeci antiquissimi, rationalis medicinae fundatores, bilem exaltatam (nec mirum, si climatis ratio habetur) pro proxima febrium, praesertim acutarum, causa agnoverunt. Caste tamen abstinuit ab omni conjectura Hippocrates, in libris genuinis morborum historiis totus occupatus. Atque dogmatici medici serius, ad mentem denuo priscorum philosophorum, diversitatem febrium a diversis humoribus cardinalibus, iisque diverse praevalentibus derivarunt.

325. Praxagoras vero febris universim sedem et causam posuit in vena cava, quoniam horroris sensus,

qui febrem initiantem comitatur, in dorso percipitur. Asclepiades Bithynus particulas, in poros morbose impactas, pro causa febrium universali agnovit. Celsus cum Erasistrato transfusionem cruoris in arterias, quas aërea vasa putarunt. Soranus solutionem vasorum et viarum raritatem. Caelius Aurelianus cum Cassio mobilitatem pneumatis nimiam. Atque dominantis sectae commentis theoria febrium semper fuit adcommodata.

326. Cl. Galenus auctum calorem ceu essentiam febris consideravit, eumque quadam humorum putredine inductum credidit, corde et arteriis inde alteratis (1). Quae sententia non tantum adridebat veteribus medicis, Aëtio, Palladio, Arabisque, quibus Galeni auctoritas magna fuit; sed et nuperis non displicuit. Atque ita basis omnino antiquis temporibus jam posita fuit theoriae febrium humorali et chemicae simul.

(1) Galens Fieberlehre von C. Sprengel. Bresl. 1788.

327. J. Fernelius autem, H. Augenius aliique medii aevi medici, fluida circulantia pro constitutivis partibus organismi non agnoverunt. Sedem igitur febris in solidis jam quaesiverunt, proximamque ejus causam, in ipso quidem etiam calore aucto, sed majori ad compagem solidam respectu. Imo J. B. van Helmont psychicae quasi ac pathematicae adfectioni imaginati Archei causam febrium adscripsit, aliisque verbis, ipsam vitam, ceu intimum principale febrium Efficiens declaravit.

328. Hinc solidari febrium theoriae fundamentum jam tunc fuisset positum, nisi Chemiatri hujus ac serioris aevi denuo neglexissent solidarum organismi partium dignitatem, humorumque rationes unice respexissent in febribus. Th. Paracelsus enim principium sulphureum pro febrium causa proxima, atque originem earum plane mineralem; Fr. Sylvius et Th. Willisius effervescentiam et fermentationem humorum, aliique hujus systematis adseclae, diversas humorum corruptiones et acrimonias in omnibus febribus statuerunt; atque M. Kerger jam febres omnes Reagentibus chemicis sanare voluit. Pugnavit tamen contra fermentationem G. Harveyus, calorem morbosum in corde, ceu a bitumine accensum, pro

causa febrium agnoscens. J. A. Borelli hanc fermentationem in fluido nerveo quaesivit.

329. Jam vero Th. Sydenhamus crassas ideas chemicas et humorales plurimum dissipavit, febresque uti Hippocrates ab effectu potius consideravit, ac pro naturae conaminibus habuit, subigendae materiae morbosae et expellendae dicatis. Ideae autem de sanguinis per febrem despumatione ac defaecatione animum, non ab omni chemica hypothese liberum, ostendunt.

330. Majorem in nervos respectum habuit, atque universim vim motricem organismo insitam, aut ipsam potius energiam materiei organicae pro dignitate sua melius agnovit, atque ideo principia dynamica primus fere posuit Fr. Hofmann, qui proximam febrium causam in spasmo universali, quo sanguis a partibus externis ad internas pellitur, et cor cum arteriis irritatur, quaesivit. Ita et Herm. Boerhaave eam in cordis ex humorum ad vasa minora resistentia, contractione validiori ac velociori posuit, ad ipsum autem simul velociorem reciprocum influxum liquidi nervosi in cor et vasa respectum habuit, atque ideo febrem adfectionem vitae, conantis mortem avertere, nominavit; consentientibus fere omnibus ejus aevi medicis.

331. Alio tamen conspectu naturam animalem et vitam consideravit G. E. Stahl, utut cum prioribus febrim: naturae se a materie obprimente vindicantis molimen, dixerit. Animae rationalis potestati omnes actiones organicas adscribens, psychicum agnovit principium, Helmontiano analogum, atque molimen naturae autocraticum, stimulum febrium enervandi aut amovendi. Juxta illum ergo proxima febrium causa latet in ipso organismo, sui conservationi intento; modus vero, quo anima in hoc negotio utitur, est auctus motus humorum, atque aucta secretio et excretio particularum salino-sulphurearum. Iisdemque ex principiis naturam febrium eruere conatus est Fr. Boissier de Sauvages, statuens simul praeter psychico-chemicum, etiam mechanicum principium, in accelerato ad obstacula tollenda circulo, quaesitum.

332. Meliori quidem respectu ad solidum vivum, doctrinam morborum universim illustravit G. Cullen.

Dum vero defendit, causas fere omnes febrium debilitando agere, atoniam superficiei, ac cerebri imminutam energiam inducere, dispositionem omnino in febrem hisce intelligere videtur. Proximam enim causam etiam in spasmis vasorum capillarium, aucta cordis reactione, posuit. Quam quidem sententiam alii obpugnare (1), alii tueri (2) conati sunt.

(1) C. G. Gruner Diss. de debilitate causa febrium proxima non habenda. Jenae 1780.
P. Fernet Diss., qua febris natura et causa, recentiorumque, imprimis Cullenii, sententiae expenduntur. Hard. 1780.
An inquiry into the nature and cause of fever. By C. Dickinson. Edinb. 1785. Deutsch, Gött. 1787.
(2) J. S. Ploth de proxima febrium causa. Got. 1790.

333. Seriores nevropathologi plures in systemate quidem nervorum, sed diversis ejus conditionibus morbosis, naturam febrium quaesiverunt. In peculiari et propria constitutione systematis nervosi Chr. G. Selle; in sensorio communi irritato Cl. Tode (1); in solis nervis irritatis J. U. G. Schäffer; in morbosa reactione ex irritato nervo intercostali ad systema vasorum reflexa Ph. Hofmann. Analogiam febrium cum nevrosibus exposuit G. Grimaud (2).

(1) Cl. Tode de duplici febrium indole. Hafn. 1769.
(2) G. Grimaud Cours complet des fievres. Montpel. 1791.

334. In viribus irritabilibus, morbose alteratis aut excitatis, causam febrium proximam deprehendere voluerunt alii. M. Stoll cordis irritabilitatem statuit morbose auctam; Chr. Fr. Elsner inaequaliter mutatam, stimulo qualicunque exagitatam (1); G. Fordyce omne impedimentum circulo libero obicem ponens (2); J. Chr. Juncker auctam irritabilitatem cordis et vasorum, imminuta nervorum energia; Chr. Kramp praevalentem vasorum vim vitalem prae inertia sanguinis circulantis (3); P. J. Doser irritabilitatem inaequabilem, in organis functionum involuntariarum auctam, in illis voluntariarum imminutam (4).

(1) Chr. Fr. Elsner Beyträge zur Fieberlehre. Königsb. 1782.
(2) G. Fordyce Abhandl. über die Fieber. Aus d. Engl. Leipz. 1797.

(3) Chr. Kramp Fieberlehre nach mechanischen Grundsätzen. Heidelb. 1794.

(4) P. J. Doser Diss. de febre. Wirceb. 1795.

335. Jure autem majori C. Sprengel et Chr. Fr. Hufeland reactiones morbose validas omnis vitalitatis irritatae, causam febrium proximam agnoscunt.

336. Vim nervosam et muscularem in unam generalem contraxit J. Chr. Reil, ac in illius intemperie causam febrium proximam ponit, mixtionem simul morbosam partium organicarum, alteratumque processum chemico-animalem agnoscens.

337. Declinat tamen ab omnibus hisce sententiis, in ipsius principii vitalis expositione J. Brown, qui, ab exaltata incitatione vitali pyrexias, ab imminuta febres oriri, docet; febrium igitur naturam universim in debilitata incitatione quaerit; singularem ac propriam illarum indolem criticam plane negat, atque earum ab aliis, ex debilitate morbis, nonnisi formam differentem defendit. Cui doctrinae fervide adhaeserunt A. Röschlaub (1) ac E. Horn (2).

(1) A. Röschlaub de febre fragmentum. Bamb. 1795.

(2) E. Horn Versuch einer practischen Nosologie der Fieber. Braunschw. 1800.

338. Interea tamen alii eodem fere tempore ad crassas denuo humorales ideas, atque ad obsoletum chemismum animalem recurrentes, Galeni fere opiniones recoquere non verebantur. Nam Chr. L. Hofmann, G. Wedekind atque M. Herzig (1) putredini analogam sanguinis corruptionem, vasa irritantem, pro febrium proxima causa iterum agnoverunt.

(1) M. Herzig de febribus in genere. Colon. 1791.

339. Serius itidem ex principiis physicis et zoochemicis febrium naturam eruere conati sunt multi. J. Chr. Stark caloricum, G. Fr. Parrot turbationem processus calorifici, G. Chr. Reich defectum oxygenii in organismo (1), J. Chr. Bährens abundantiam oxygenii (2), J. Chr. Harles electricitatem (3) ad explicandam febrium proximam causam postularunt.

(1) G. Chr. Reich vom Fieber und dessen Behandlung. Berl. 1800. G. M. Rau über die Reichische Fiebertheorie. Erlang. 1801.

(2) J. Chr. Bährens über Fieber und Salzsäure. Leipz. 1802.

(3) J. Chr. Harles neue Untersuchungen über das Fieber u. s. w. Leipzig 1803.

340. Miasmata etiam propria febrilia, quondam jam a R. Morton (1) aliisque stabilita, tum epidemica tum contagiosa, ad febrium omnium causam universim statuendam conjectata denuo fuerunt a R. Robertson (2), C. Strack et Fr. W. van Hoven, qui posterior ad febres generandas principium quoddam nauseosum, systematis nevrici quasi gustum feriens, subposuit.

(1) R. Morton Pyretologia.

(2) R. Robertson Essay on fevres. Lond. 1790. A. d. Engl. Leipz. 1796.

Oppugnat E. G. Diterichs Diss. de febris causa proxima. Jenae 1797.

341. Denique in sublato organorum ac functionum aequilibrio, posteriorum vi praevalente; in incitationis vitalis differentia quavis; in electrico momento ad ceteras dimensiones arrepto; aliisque vanis effatis causam proximam febrium posuerunt obscura verbositate Neosophi, quorum nonnulli petulanter rejectis omnibus majorum placitis, febrim nec pro morbo, sed tantum pro reflexu certarum aegritudinum agnoverunt.

342. Candore econtra castissimo maximae eruditionis ac perspicaciae medici, inter quos ipse P. Frank, ignorantiam potius causae febrium proximae fateri, quam nutantia commenta proponere voluerunt; desperabundi fere de objecti hujus clara inlustratione.

343. Quid tamen severo judicio ex adtentis febrium observationibus de causa earum proxima erui possit, tentare liceat omni conatu.

344. Computando causas febrium remotas tum disponentes, tum excitantes, cum actionis ratione posteriorum, ac morbosis phaenomenis, in organismo inde oriundis, constantissimis febrium, omni fere jure defendi potest, proximam febrium universim causam in morbose aucta reactione virium vitalium, a stimulo

morbifico positivo irritatarum, esse quaerendam.

345. Quod quidem post Fr. Hofmannum ac H. Boerhaavium pathologi diversis quodammodo verbis ac idearum modificatione quidquam diversa, sensu tamen non penitus dispari, defenderunt fere omnes.

346. Et quidem, si solae irritabiles vires circulatorii systematis cum stimulo inimico bellant, febris tantum oritur symptomatica. Generalis vero omnium vitae virium, quae homini insunt et morbis resistere valent, insurrectio contra graviorem inimicum febrim constituit criticam.

347. Clarius hoc inlustrabit febrium nosogeniae adtentior consideratio.

NOSOGENIA FEBRIUM UNIVERSIM.

348. Disponens ad omnes febres momentum in perceptibilitate organismi erga stimulos morbificos omnino latet; qua absente, datis utut occasionibus per excitantes potentias, nulla generatur febris.

349. Nonnullos erga stimulos morbose irritantes perceptibilitas omnibus hominibus vivis, et semper inest; et non tantum erga solos mechanicos et corrosivos, qui ipsam organicam materiem adgrediuntur, sed et plus minusve erga incitantes, qui solas feriunt vires. Alios autem, uti v. g. miasmata contagiosa, non omnes percipiunt homines, aut non semper.

350. Causae vero febrium excitantes sunt stimuli positivi omnino, percipiendi non tantum ab organismo vivo, sed et morbose percepti; pro diversa autem ejus perceptibilitate diverso modo, mox absoluto, mox relativo agentes. Quales mechanicas, chemicas et organicas nominavimus in febrium aetiologia, et quibus omni tempore, dummodo disponens in organismo non desit momentum, febris artificialis construi potest; tum symptomatica, uti laesionibus mechanicis, calorico, vino, motu etc., tum critica, uti v. g. insitione miasmatis contagiosi.

351. Ex defectu stimuli nunquam oritur febris. Illo absente nec febris generari, nec artificiali modo construi

potest. Debilitata et languens deficientibus stimulis organismi sive actio, sive incitatio febrim non constituit sola, sed momentum solummodo largitur ad illam magis disponens. Nam vires vitae languentes, dummodo stimulis praegressis nimiis exhaustae non sint, sed a stimulis debitis non praegressis minus tantum exercitae et ideo inertes, accedente stimulo vel minimo, promptius dein et avidius in motus febriles erumpunt; et si non impetuosius, studiosius saltem.

352. Negativae ergo etiam potentiae, illaeve, quae minori irritamento, quam ut sanum organismum morbose irritent, in vires vitae agunt, febrim producere non valent, nisi relativo modo, et data majori, vel minimum, stimulum percipiendi facultate.

353. Ne autem ipsas immateriales causas, quibus febres produci posse observamus, per debilitatem ex stimuli defectu febrim inducere facile credamus. Pathemata enim, quae voluntate animi retardata organismum reapse debilitant, uti v. g. moestitia, disponens solummodo momentum ad febres adducunt, more aliarum potentiarum debilitantium (§. 316). Quae vero commotae voluntatis imperio, prouti v. g. ira, incitant organismum, positivo stimulo alioquin agunt. Quod idem intelligendum de potentiis internis dynamicis, physiologicas actiones saepe morbosas reddentibus, atque febrim generantibus.

354. Imo ab his causis nec directe semper febris generatur, sed indirecte, inducto prius v. g. vasorum spasmo, humorum orgasmo etc., quorum effectuum, stimulando agentium, secundarius effectus febris fit.

355. Excitans ergo quaevis febrium causa stimulus est positivus, morbose irritans vitam organismi; disponens vero in facultate, morbosam horum stimulorum actionem percipiente, latet.

356. Inde Canones fluunt sequentes: I. Omnis febris ex irritamento. Absque irritamento, saltem et relativo, non oritur febris. In prima origine omnis febris irritativa est. II. Ex mera debilitate reactionum vitalium febris non datur; cum debilitate datur. Haec debilitas vitalium actionum in febribus semper vel est secundaria et

effectiva, vel in decursu adventitia. Nunquam fit causa febris, prouti febris fieri potest causa debilitatis.

357. Effectus jam morbosi, qui febris essentiam constituunt, impetuosae omnino sunt illae vitalium virium reactiones, quae stimuli irritantis actione provocantur. Quod quidem universa symptomata febrium confirmant, impetum vitae testantia, prae ceteris calor auctus, turgor exaggeratus, circulus velox, conamen criticum.

358. Sunt autem nequaquam omnia febrium symptomata primitiva; pleraque secundario modo ex primariis sub febrium gressu evolvuntur. Missis symptomaticis febribus, quae ultra circuli functionem raro extenduntur, optime hoc docebit criticarum febrium adtentior contemplatio.

359. Criticae febres, sive epidemicis, sive contagiosis e causis oriundae, omnes incipiunt a cutis, et systematis universim dermatici functione laesa; quum et causae hae ipsae in haecce organa maxime et directe fere agant. Et quidem spasmum ibi, ac in ipsis vasorum osculis a primo febrium initio ortum, aura frigida, cutis anserina, recessus humorum ad majora vasa etc., declarant. Quod suo jam tempore Fr. Hofmann et G. Cullen cognoverunt, atque facile intelligi potest, quin ad debilitatem morbosam organorum superficiei recurrendum sit. Ipse enim stimulus morbificus, lege irritabilitatis ac vitalitatis, partes organicas irritatas ad contractionem sollicitare debet.

360. Hinc quidem sufficiens ratio, cur remora in minimis vasis posita, cor cum arteriis majoribus ad reactiones cogatur violentiores, atque circuli impetus, humorum pressorum expansivus nisus, ipseque calor augeatur.

361. Sed et plures sunt rationes, cur, praeter contractiles systematis dermatici, atque irritabiles systematis circulatorii vires, aliae et omnes vitae vires excandescere debeant aucto actionum suarum impetu. Quare saepe ex ipsis symptomaticis febribus criticae oriri possunt.

362. Imprimis, sive jam electricitatis, sive aliud intercedat momentum adhuc ignotum, cutis per ipsum horrorem febrilem turbatur in requisito commercio cum aëre atmosphaerico. Nervis, quo non indigent, adfertur, aut

defertur, quo opus in sano statu habent, principium quoddam. Unde statim nervosae in omni febre adfectiones, lassitudo musculorum, sitis, inadpetentia etc.

363. Sed et serius una ex altera interpellatur functio. Vasorum majorum, viscerumque, praesertim aegre prius dispositorum, munus alteratur, secretionis arteriosae ac absorptionis negotium laeditur, dejicitur adsimilationis et reproductionis opus, humores ipsi chemice dilabuntur (decomponuntur) prave miscentur, nam et calorificationis processus plane alienus redditur.

364. Inde ergo passio omnium virium, omnium facultatum, ipsiusque organicae substantiae mutatio in febribus. Inde versabilitas earum peculiaris, cum unum ex altero evolvatur symptoma morbosum. Ex primariis enim symptomatibus secundaria, imo et tertiaria oriuntur, quae cum prima et propria febris causa nullo amplius in nexu directo existunt. Atque sic et debilitas illa virium oritur, quae effectus febrium semper, nunquam earum causa est.

365. Minime autem haec debilitas semper proficiscitur a viribus absolute dejectis. Hinc erumpunt saepe debiles ad speciem vires, atque si non valent causam febris abigere, effectus saltem causae, agere non continuantis, devincunt, optatamque illam praestant crisin, qua functionum physiologicarum libertas iterum restituitur.

THEORIA FEBRIUM.

366. Ex nota morbi cujusvis nosogenia, indeque intellecta causa proxima morbi, fluit etiam hujus theoria, quae nexum symptomatum morbosorum cum causis suis declarare contendit, atque rationalem et scientificam ejus therapiam unice determinat.

367. Quot ergo ideae de causa febrium proxima, atque de nosogenia illarum sunt, tot etiam dantur febrium theoriae, totque iis superstructae medendi rationes.

368. Superfluus autem labor esset, omnes theorias febrium, a desipientibus interdum ingeniis conceptas, exponere. Missis mere hypotheticis, potiores tantum, atque illas, quae ceteris solidiores sunt, et ad quas plurimae

aliae reduci possunt, adnotare sufficiet. Quo spectabit theoria humoralis, chemica, solidaris, et in specie incitabilitatis. Hisce dein propria subjungetur, propriis de causa proxima et nosogenia febrium (§. 344. 355,) superstructa ideis.

THEORIA HUMORALIS.

369. Antiquissima, et non tantum a Cl. Galeno, sed et ab ipsis jam Philosophis graecis exposita, per omnia usque ad elapsum saecula dominans, idea de natura febris, posita fuit in diversis humorum qualitatibus pravis, cor et vasa morbose alterantibus. Et quidem a veteribus, quibus circulatio humorum adhuc incognita fuit, in solo corde origo febris quaesita fuit; serius autem, circulo humorum jam innotescente, vasorumque arteriosorum dignitate cognita, abnormis impetus cordis ac arteriarum versus humores, morbose stimulantes, pro causa febrium fuit accusatus; atque ex morbosa hac solidarum partium in fluidas reactione, omnia phaenomena febrilia fuerunt derivata. Quod quidem nunquam ac nullibi planius, quam in schola Boerhaaviana.

370. Juxta has ideas in humoribus subponuntur dyscrasiae variae, mox ex densitate, coagulo, mox ex tenuitate et dissolutione, mox ex moleculis heterogeneis, biliosis, inflammatoriis etc., oriundae, quibus vasa, praesertim minima, arteriosa irritantur, irritata contrahuntur, aut et moleculis impactis obstruuntur, ita ut stasibus factis cor et arteriae lege irritabilitatis ad fortiores reactiones et impulsus pro devincendo obstaculo provocentur; in quibus, dum morbosae redduntur, omnem febrium naturam ponunt.

371. Propterea febrim dicunt actionem vitae, conantis mortem avertere; quum totus hicce morbus praesentet pugnam inter causam morbificam et cor, quod summo molimine irritabilitatis suae obstacula aut superare nititur, aut victas debet dare manus.

372. Quousque illae moleculae humorum morbificae mole, figura, aut inertia adhuc peccant, aequabilem mo-

tuum circulatoriorum progressum turbant, et vel stimulo suo irritant, vel lentore vasa impermeabilia reddunt, nec non excretioni e corpore aptae nondum sunt, eousque-symptomatibus febrilibus omni die auctis, cruditas ades, se dicitur; atque materies illa morbifica in humoribus latens, vasa irritans et cum corde luctans, cruda vocatur; a viribus vitae aut subigenda, aut in casu, ubi copia et moles materiei superant vires naturae, cor et vitam obprimens.

373. Ubi autem corde victore moleculae morbificae adeo agitatae, subactae, salubriter mixtae, atque per vim arteriarum, quo et calor febrilis contribuit, in novas formas coactae sunt, ut minus nunc nocere, stasibus resolutis vel ruptis repagulis aut e corpore expelli, aut cum reliquis humoribus absque noxa circulare possint, cocta vocatur materies; atque organismi vivi hoc negotium coctio febrilis, graecis πεπασμὸς, quasi digestio in secundis viis, ut distinguatur ab illa, quae in ventriculo obtinet, atque πέψις dicitur. Erotiano autem monente πεπασμὸς de vegetabilium maturatione usurpata vox est.

374. Haec coctio inter saluberrimos febris effectus numeratur, quibus ipsa febris febrim sanat, et quibus vita salubri conamine a materia morbifica se liberare, atque mortem avertere contendit. Propterea Th. Sydenhamus febrem vocavit naturae instrumentum, quo partes impuras a puris secernit. Atque medici in pluribus casibus, ad salubres hosce effectus imitandos, febrim artificialem producere conantur. Et quidem adeo celebrata fuit quondam haec febrium salubritas, ut nimiam laudantium liberalitatem cohibere debuerint medici auctoritatis gravioris.

P. G. Werlhof cautiones medicae de limitandis laudibus et vituperiis morborum. Hannov. 1743.

F. X. Mezler über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten. 1790.

375. Ne vero natura in magno hoc coctionis negotio interturbetur, summe adtenti semper fuerunt medici ad motus febriles rite dirigendos, moderatosque sibi ipsis permiserunt, Hippocratis atque Th. Sydenhami exem-

pla secuti, qui saepius in febribus, ubi tale fuerat febris moderamen, quod coctioni sufficere visum fuerit, spectatores egerunt, atque nihil agendo totam rem naturae commiserunt.

376. Desumserunt autem optimae coctionis signa ex febri moderata, praecipue ex actionum vitalium libertate ac modica exorbitantia, ex aliquali symptomatum morbosorum, a priori stadio increscentium, remissione, ex secretionibus magis expeditis, excretionibus solutis, atque excretorum homogeneo cuivis habitu.

377. Peracta coctione, quae pro materiae digerendae ac virium subigentium ratione, mox citius, mox tardius, mox completa, mox incompleta contingere potest, judicium febris in sanitatem, aut, infausta mutatione, in mortem vel alium morbum, peculiaribus morbi perturbationibus semper adnunciandum, ex ejusdem theoriae suae principiis explanarunt.

378. Et quidem juxta hanc ideam crisis concipitur triplex; resolutoria, evacuatoria et depositoria.

379. Ubi materies, in humoribus latens, morbifica per vires vitae coctrices ita immutatur, ut ipsis sanis circulantibus humoribus adsimiletur, nullisque e corpore evacuationibus indigeat, resolutoria crisis fit, seu lysis.

380. Ubi autem materies morbifica ita subigitur vitae viribus, ut humori tantum excrementitio adsimiletur, mobilisque per colatoria corporis evehitur, manifesta utplurimum in excretis mutatione, crisis evacuatoria obtinet, evacuationibus criticis, plus minus solemnibus, stipata.

381. Ubi denique coctio materiei morbificae quidem praegressa, sed adeo incompleta, ut ad exitum e corpore non sit dispositum, quod subactum fuit, vel obstaculo quodam retineatur, et in partem quamdam corporis delatum colligatur, quae delatio ideam depositionis seu metastasis offert, crisis depositoria seu metastatica accidit. Et quidem lethalis, si haec delatio fit rapido impetu ad nobile organum; si vero impetu minus nocivo, aut ad partem minus nobilem, non quidem lethalis, sed alium morbum secundarium inducens.

Ita omnia febrium phaenomena explicare contendit theoria humoralis.

382. Contrarium quidem est huic theoriae: I. Quod causae febrium non omnes in humoribus lateant, nec omnes directo ac primario modo in humores agant. II. Quod manifestae humorum mutationes et sensibus obviae, non semper in febribus observentur. III. Quod illae, quae observantur tempore febrium mutationes in humoribus, facile effectus febris esse possint, et reapse plerumque sint. IV. Quod manifestissima humorum vitia, in ictero, scorbuto etc., non semper faciant febrim. V. Quod causae febrium non unice semper agant et exclusive in systema circulationis. VI. Quod ex unica systematis circulatorii adfectione nequaquam omnia febrilia phaenomena concipi et explicari possint. VII. Quod causae nonnullae febrium penitus non sint materiales, proinde coctioni nequaquam adaptatae. VIII. Quod solis operationibus mechanicis subactio aut enervatio stimuli morbifici, utut in humoribus latentis, peragi nequeat.

383. Interim tamen veritates in hac theoria latent. Nam I. utut primario modo non ita adficiantur humores in febribus, ut causam earum sistant, secundario tamen modo diversas subeunt mutationes morbosas; qnae si febrim non faciunt, eam saltem sustinent. II. Hae mutationes non raro sat manifesta qualitatum laesione in humoribus distinguuntur. III. Hae saltem effectivae, quae vix unquam desunt, in febribus, mutationes humorum per circulum moderate incitatum, per reactiones solidi vivi validiores per ipsum calorem febrilem, ergo per ipsam febrim emendari possunt. IV. Ipsi humores proprio quoque gaudent motu vitali, qui multum ad has vitae operationes conferre potest. V. Suppuratio in febribus inflammatoriis manifestissimum praebet coctionis aut maturationis cujusdam exemplum. VI. Secretiones ac excretiones humorum, liberius expeditae, evidentissimum praestant in febribus maturis levamen, aut levaminis comitem.

384. Sed soli humores in operationibus organicis nunquam considerandi veniunt, atque virium vitalium omni neglecta consideratione, unicum solummodo, atque prop-

terea insufficiens ad eruendam febrium theoriam sistunt momentum.

THEORIA CHEMICA.

385. Jam Cl. Galenus putrescentiam humorum in febribus conjectavit, atque hypothesi de acrimonia humorum, (ceu causa febrium, occasionem dedit. Serius Fr. Sylvius et Th. Willisius effervescentiam humorum in febribus, ac theoriae hujus adseclae fermentationi analogum processum statuerunt. Explicarunt inde phaenomena febrium pleraque, ad humorum orgasmum facile reducenda; ipsasque crises salubres ex humorum despumatione ac defaecatione, atque metastases ex faecibus non eliminatis concipere voluerunt. Homines e febribus convalescentes, vel per aliquod tempus, vel et semper ab eadem febri immunes esse posse, ex humoribus fermentationem jamjam perpessis, atque in eam nunc minus proclivibus intelligere voluerunt.

386. Chemiatri recentiores combustionem, aut combustioni analogum processum in humoribus tempore febrium admiserunt. Alii vero alias mutationes humorum chemicas sub febribus obtinentes defenderunt. Quae vero, num causae, an effectus febrium sint, cautam omnino considerationem exigunt.

387. Omnia autem illa momenta, quae humoralem febrium theoriam obpugnant, hujus quoque chemicae, in solis humorum mutationibus positae, theoriae insufficientem demonstrant valorem.

388. Attamen negari nequit, modo saltem effectivo, humores sub febribus reapse alterari ex chemica lege. Sed dynamici ad chemicum processum relatio semper est simul consideranda; et antequam theoria chemica febrium stabiliri possit, omnis ratio chemismi animalis diligentius nec non felicius esset quaerenda.

THEORIA SOLIDARIS ET NEVRO-PATHOLOGORUM.

389. Fr. Hofmanno antesignano maxime excoluit G. Cullen hanc febrium theoriam, quae non in solis hu-

moribus et fluidis corporis vitiatis omnem febrium rationem quaerit, sed, majori ad solidum vivum ipsosque nervos respectu, primarios praecipue effectus causarum morbosos ex alterata solidorum conditione repetit.

390. Et quidem prima morbosa in stimulos inimicos reactio omni jure quaeritur in vasis minimis superficiei, in quam omnino causae tum epidemicae, tum contagiosae primario agunt. Vasa haec spasmo reapse constringi, omnia invadentis febris phaenomena, horror, pallor, anserina cutis etc., confirmant. Neque tamen propterea cum Cullenio ad debilitatem organorum superficialium, ceu causam proximam horum spasmorum recurrere oportet; nam haec debilitas exaltare quidem potest dispositionem ad spasmos, sed causae nonnullae irritantes data etiam qualicunque dispositione spasmos producere possunt.

391. Inducta jam solidi vivi morbosa et quidem impetuosa per causas febrium primarias actione, turbae febriles facile non tantum sustinentur, sed et increscunt, quum vita irritata passiones suas per ministros nervos, ad alia et plura, quam ad circulatorium, systemata diffundat, unde secundario modo laesis diversorum organorum functionibus, effectiva morbosa phaenomena evolvuntur numerosa, et febris, donec ad Acme perveniat, indies augetur.

392. Spasmi autem certa duratione persistentes, certoque tenore comparentes ac redeuntes, versabilitatem febrium in decursu, remissionumque ac exacerbationum rationem utcunque planam faciunt.

393. Crises denique juxta hanc theoriam concipiuntur ex eo, quod una ex parte spasmi typo quodam finito sponte resolvantur, altera vero ex parte impetu actionum vitalium stimuli irritantes unacum illis, quos induxerunt effectibus, devincantur, ipsique nervi in functione liberentur. Solutis jam tali ratione repagulis, critica obtinet operatio, vitae moliminibus praestita, levantibusque humorum, ad ostia stagnantium, evacuationibus stipata. Atque ipsae periodi, quas exacerbationes et crises eis inductae in febribus libenter observant, ex nervosarum actionum in certos cyclos dispositione quodammodo intelliguntur.

394. Haec igitur theoria febrium, praecipue cum hu-

morali caute combinata, atque secundariam saltem humorum in febribus mutationem respiciens, naturam earum utcunque enodat. Omnem tamen nodum non solvit, si ad humores plane nullus habetur respectus, atque vires vitae, quae morbose in febribus irritantur, in sola irritabilitatis et contractilitatis actione considerantur.

THEORIA INCITABILITATIS.

395. J. Brown incitationis vitalis nomine omnium simul, praeter irritabiles ac contractiles, vitae virium in stimulos reactiones comprehendit. Et quidem incitationis vitalis duplicem statuit morbosam conditionem, quarum una consistit in adaucta ultra normam sanitatis vehementia reactionum, et dum charactere febrili stipatur, pyrexiam sistit; altera autem in obposito statu characterem eundem ex languore reactionum, seu debilitate incitationis, producit, atque febres proprie ita dictas generat.

396. Sunt ergo febres juxta hanc theoriam morbi incitationis debilitatae. Proinde salubres naturae conatus et crises in febribus negantur, quoniam languente incitatione vita non sufficienter molitur has operationes spontaneas. Methodus unica incitans medendis omnibus febribus indicata et sufficiens declaratur.

397. Reclamat autem ratio et experientia theoriae huic, quae penitus praetervidet, ipsam virium debilitatam conditionem effectum potius, quam causam febrium, esse; quae negligit quotidianam observationem, omnes febres ab initio esse irritativas, atque characterem debilitatis nonnisi symptomatico modo evolvi in decursu illarum; quae non considerat, artificialem febrem negativis potentiis nunquam produci, hisque ad summum dispositionem majorem ad febrim, ac ad facilius percipiendos stimulos morbosos induci; quae negat, quod verissimum est, sub maxima etiam virium debilitate in febribus, tamen irritatam et conaminibus propriis salubribus minime destitutam vitam esse; quae virium reactricum toties subpressarum potius, quam vere debilitatarum conditionem nullo modo admittit; quae denique peculiari praefidentia omnis generis

febres methodo stimulante, ceu directa ac rationali therapia sanari contendit, quum tamen haec medendi ratio nonnisi indirecte contribuat ad praestandas salubres, incitatis arte viribus, operationes criticas, propriis ac eisdem phaenomenis fere semper stipatas, atque absoluto certo typo solum praestandas.

398. Universim idea febrium juxta hanc theoriam nimis generalis est, absque omni ad speciales et proprios earum characteres respectu.

THEORIA PROPRIA.

399. Principales hae theoriae febrium expositae arridٍent plus minus pathologis ex eo, quod quaevis notam veritatis aliquam offert, non tantum rationi, sed et observationibus consentaneam.

400. Humores, utut causas febrium primarias non sistant, secundario tamen modo morbose adficiuntur in febribus, cruditate quadam, ex ipsis laesis secretionibus et excretionibus orta, febrim sustinent ac augent, adaucta inde irritamentorum summa; cruditas haec ac prava inde miscela humorum subactione per vires organicas indiget, earumque moliminibus praestari potest; subactum excretum levat, atque salubris subactionis praegressae signa in ipsis excretis, prouti incomplete peractae sub funesto eventu in tumoribus metastaticis, atque in organis vitalibus, sub pathologica sectione caute lustratis, se manifestant.

401. Ipsas chemicas humorum mutationes, sub febribus morbose obvias, tum calorici copiosioris evolutio, tum secretorum ac excretorum conditiones manifeste indicant, tum et adtentior ipsius processus vitalis, in organismo febricitante obtinentis, consideratio confirmat.

402. Solidum vivum concitatur ad validas reactiones in quemvis stimulum inimicum; in febribus itidem, et majori quidem violentia. Turbae febriles, conamina critica, crudi irritantis subactio, ac subacti salubris eliminatio inde facile intelliguntur.

403. Non tamen solae irritabiles, contractiles ac elasticae organismi vires, sed plures aliae, ipsis physiologis

adhuc ignotae, insurgunt tempore febrium in stimulos morbificos validiores. Quarum simultaneae reactiones incitationis vitalis nomine subsumuntur generatim, utpote specialius nondum illustratae.

404. Universim autem nec soli humores, nec solida sola ac in abstracto spectata ideam actionum vitalium, tum in sano statu normalium, tum et in morboso abnormium, dabunt adaequatam; sed organismum totum unacum viribus, eum animantibus, in concreto oportebit considerare.

405. Hinc omnes simul computare has theorias febrium, atque in unam fere amalgamare juvabit, ad stabiliendam rationalem febrium theoriam, practicis ipsis observationibus consentaneam.

406. Princeps sane causa febris morbi est in morbosa simultanea reactione omnium vitae virium versus stimulum morbificum, languentibus inde facultatibus nervorum, ad graviores occupationes adtentorum.

407. Humores, si non propria vitalitate gaudent, proprio saltem motu intrinseco particularum constituentium non destituuntur, majoremque sane dignitatem habent, quam molis passivae, simpliciter resistentis aut et irritantis. Dum in vasis circulant, aut solis membranis coercentur, ipsa eorum vis expansiva, quam calor animalis et sustinet et auget, non minima est, quae resistente solidorum elasticitate, oscillationes assiduas producit; hasque in febre multo violentiores, atque chemicis in particularum miscelae mutationibus, ac praecipue calorificationis negotio alterato facile stipatas. Quare secundario saltem modo evoluta, sii non primaria, irritamenta, febrim generantia, sistunt humores.

408. Hisce jam reciprocis ac morbose multum exaltatis solidorum ac humorum concertationibus illae producuntur turbae, quae unico circulatorio sytsemate non includuntur, omnem virium conditionem, omnem vitam, omnemque organismum alterant, ipsamque constituunt febrim morbum. Ad quam igitur contribuunt et solidorum vires organicae omnes, et fluidorum reciproci, si non vitales, saltem physici ac chemici motus.

409. Inde fons sufficiens numerosissimorum symptomatum morbosorum, quae ex praemissis ideis tum expli-

cari, tum saltem concipi possunt. Inde intelligendum vitae conamen, vel ad devincendam causam febris, vel ad effectus ea inductos superandos. Inde facile declarandum insufficiens interdum molimen, aut obscurum ibi, ubi vires in decursu debilitantur.

410. Febris igitur semper est morbus universae vitalitatis irritatae. Processus morbosus, qui inde oritur in organismo, est chemico-dynamicus.

411. Clarius autem et specialius has ideas evolvere et ita explanare, ut omnibus phaenomenis febrium speciatim dilucidandis sufficiant, eousque non licebit, quousque solidior physiologica ad vires organicas illustrandas basis non fuerit posita.

412. Difficillimum problema in theoria febrium criticarum offert iteratus et saepe periodicus ingressus paroxysmorum febrilium, non tantum in intermittentibus, sed etiam in continuis febribus, ubi prioribus nondum compositis turbis, recens denuo ingreditur invasio. Latet enim penitus, quae hic ratio subsit, et quae generalis causa in febribus praesertim epidemicis, ad tot invasiones disponat, vel totidem excitet. Cutis quidem organum sub his invasionibus primario adfectum videtur; qua ratione autem, an electrico aliove momento haec adfectio saepius ac fere periodice rediens inducatur, ignotum est. Quantum ratiocinio adtingi poterit, disquisitius explanabitur in capite de intermittentibus febribus.

413. Forsitan quondam Pathologia etiam comparativa, ex exemplis animalium, quorum genera nonnulla febribus obnoxia, alia autem minime obnoxia sunt, lumen quoddam circa febrium nosogeniam diffundet.

TERMINATIONES FEBRIUM IN GENERE.

414. Prouti omnes reliqui morbi, ita etiam febres triplicem terminationem agnoscunt, in sanitatem, in mortem, aut in alios morbos.

415. Hae terminationes statuuntur ab eisdem momentis, a quibus natura morbi uniuscujusque pendet; scilicet

ab aegri dispositione ante morbum, a causis, quae morbum fecerunt, aut sustinent, et ab intensione morbi praesentis, quae ex symptomatibus ejus, computata decursus ac complicationum ratione desumitur.

416. Notare autem sub cujusvis terminationis expositione juvabit, tum conditiones, sub quibus terminatio quaevis obtinere potest, tum modum et rationes, quibus fieri solet.

IN SANITATEM.

417. Febres universim, utut frequens lethi causa, multo frequentius tamen sanitate, quam morte terminantur; secus enim internecione jam exstirpatum esset humanum genus. Et quamvis integrae species febrium funestissimae esse soleant, aliae tamen earum longe plures profecto lenes, imo interdum salutiferae sunt; ac non tantum levi sub adparatu medicamentoso, vel et nullo in sanitatem terminantur, sed et gravia medicorum peccata abluunt generosa indulgentia.

418. Conditiones, sub quibus febres generatim terminari possunt in perfectam sanitatem, sunt sequentes: I. Dispositio et constitutio aegri ante febrim optima; organismus nec exhaustus alio morbo, nec in singulis partibus vitiatus. II. Causae febrem producentes leves, viribus vitalibus aut amovendae aut subigendae, vitam insidioso modo non obprimentes, organicam partium structuram non devastantes. III. Symptomatum febrilium intensio non maxima, nobilium organorum non gravis adfectio. IV. Complicationis cujuscunque lateralis aut accidentalis absentia; decursus febris regularis, nullis stipatus anomaliis. V. Opportunis auxiliis non neglectis, nec perversis remediis adhibitis cura febris a primo initio rite instituta, ac suffulta faventium circumstantiarum concursu. VI. Crisis fausta. Si vel unicum harum conditionum momentum deficit, reditus ex febre in sanitatem vel nullus, vel difficilis.

419. Ratio, qua febres in sanitatem terminantur, triplex est. Exitus enim hicce faustus vel naturae

operationibus, vel artis auxiliis, vel circumstantiis faventibus, medicinae vices agentibus, adducitur. Optatissimus ibi eventus, ubi omnes simul hae rationes concurrunt.

420. Prima et frequentissima ac gravissima ratio terminationis febrium in sanitatem est — organismi vivi (naturae ut ajunt) spontaneum salubre conamen ad febres debellandas.

421. Modus, sub quo febres per ipsius organismi operationes in sanitatem terminantur, est unicus, scilicet praegressa morbifici stimuli subactione per crisin vel resolutoriam, vel excretoriam. Huc ars suis auxiliis vel nihil, vel tantum indirecte contribuit.

422. Interdum febres in acme versantes ita liquescunt in sanitatem, ut nulla fere compareant critica phaenomena, nullae saltem evacuationes criticae. Materies morbifica, secundum ideas humoralis theoriae, circulantibus humoribus perfecte adsimilatur per vires organismi. Quod mox cito, ac fere derepente contingit, in brevi ac leviori febre; mox pedetentim, causa et morbo lente marcescentibus. Atque hic terminationis modus dicitur lysis, seu resolutio febris.

423. Longe saepius autem has crises felices manifesta phaenomena, praesertim evacuationes multo levamine stipatae comitantur, quae crises excretoriae dicuntur; moxque uno ac solemni actu critico sub evacuationibus levantibus febrim amovent, mox pluribus ac intercisis operationibus, quae pluries ac criticis diebus levantes evacuationes adferunt, febrim per gradus resecant.

424. A veteribus crises evacuatoriae in idiostaticas et apostaticas fuerunt distinctae. Priores dictae sunt illae, quibus evacuatur morbidus fomes ex ipso organo, cui insedit, ibique subactus et maturatus; uti v. g. crisis per sputa in pulmonis inflammatione, crisis per vomitum aut diarrhoeam in febre gastrica. Posteriores autem illae, quibus exterminantur materies, quae mota ex loco subactionis ad dissita appulit colatoria; uti v. g. crisis per urinas in febre inflammatoria.

425. Cum omnes crises praecedant propriae turbae,

quas propria comitantur critica symptomata, hinc et crises excretorias praecedere propria specialia phaenomena, rati sunt diversi medici; quorum nonnulli, praesertim Hispani et Galli, antesignanis Fr. Solano de Luque (1) et Th. de Bordeu (2), in pulsu arteriarum prognostica harum excretionum signa deprehendere voluerunt. Quare, computatis diebus criticis, diem, horam et formam criseos interdum praesagiri posse, defenderunt. Sed nimis frequentes hallucinationes omnem fere fidem signis hisce abrogarunt (3).

(1) Lapis lydius Apollinis. Madrit. 1731. Fol.
(2) Recherches sur le pouls, par rapport aux crises. Par. 1768.
(3) J. J. Wetsch medicina ex pulsu. Vien. 1770.

426. Ad criticas evacuationes universim spectant: haemorrhagia narium critica, metrorrhagia critica, haemorrhois critica, blennorrhoea critica narium, asperae arteriae, ani, vaginae, salivatio critica, sputum criticum, vomitus criticus, diarrhoea critica, sudor criticus, urina critica.

427. Raro autem hae excretiones solae observantur, saepe duae, tres, imo plures simul concurrunt evacuationes levantes in febrium judicio critico; idque eo magis obvenit, quo actuosior organismus, et quo plures regiones fomes morbi in corpore occupat. Has concurrentes crises evacuatorias Pr. Alpinus nominat compositas.

428. Haemorrhagia narium critica frequens est in aetate febricitantium juniori, atque Hippocrate monente, supra annum trigesimum quintum rara. Frequens in febribus inflammatoriis, praesertim hepate, pulmone, cerebro inflammato, atque in his casibus solemne levamen ferre solet; inconstans autem levamen in febribus exanthematicis, gastricis, verminosis. Futuram plerumque praenunciant: capitis gravitas ac dolor pulsatorius, vertigo, turgor faciei, illacrimatio spontanea, dolor cervicis tensivus, carotidum fortior pulsatio, narium pruritus, urinae parciores, alvus obstructa, cutis siccior, interdum pulsus dicrotus.

429. Per menstrua critica judicatio illarum febrium praeprimis fieri observatur, quae ex subpressione il-

lorum traxerunt originem. Hinc frequenter hac excretione judicantur inflammationes abdominales feminarum. Horror, ardor et dolor lumborum, lassitudo femorum ac crurum peculiaris, accedente pulsu contracto, periodo praesertim instante catameniali, hujus fluxus prodromi esse solent. Quod in puerperis etiam de lochiorum excretione critica valet.

430. Haemorrhoides criticae judicant praecipue febres inflammatorias virorum, in molimina haemorrhoidalia dispositorum, interdum gravidarum, saepius matronarum. Plenam ac perfectam crisin raro absolvunt. Dolor regionis sacrae, hypogastrii, crurum, cervicis et occipitis, ani pruritus, alvus obstructa, huncce fluxum plerumque praecedunt.

431. Non sine jure haemorrhagiis criticis addi posse videntur alia quoque, praesertim vicaria excretionis catamenialis et haemorrhoidalis profluvia sanguinolenta; quibus sputum cruentum et vomitum cruentum adnumerare licebit; haemoptoën et haematemesin criticam. Utut enim utrumque hoc profluvium saepissime symptomaticum, et ideo damnosum observetur, in febribus tamen interdum, illaesa ceterum solidorum fabrica, non tantum sine noxa, sed et cum levamine sub ipso molimine critico comparet.

432. Ad crises excretorias minus perfectas pertinet blennorrhoea critica, seu levans excretio ex organis muci officinae dicatis. Solvit quidem haec excretio omnis generis catarrhos, ipsasque catarrhosas febres per colatoria narium, faucium, tracheae, ani, urethrae, vaginae; sed rarius actu critico solemni.

433. Raro etiam salivatio vere critica observatur. Saltem sola haudquaquam sufficit ad omnem febrem exterminandam, utut ejus subpressio, nisi cum alia excretione, vices ejusdem subeunte, commutetur, noxam adferre possit. Levamen autem ferre solet in febre variolosa, interdum in febribus nervosis, frequentissime in febribus dentientium. Futura cognoscitur alvo et urinis parcis, motu colli et masticatione difficili, glandularum salivalium et gingivarum tumore.

434. Sputa vel screata sunt, vel tussi ejecta. Priora ex faucibus, naribus posticis ac cavo oris colliguntur, atque vel muci, vel salivae excretione febres interdum levant. Posteriora autem frequentius critica sunt, obrutum praesertim pulmonem, omnemque tubum aëreum directo modo liberant, morbosi secreti salubri excretione. Hinc in inflammationibus tracheae et pulmonum salutaria observantur. Sola tamen vix judicant febrem, sed potius localem adfectionem.

435. Vomitus criticus, nisi aliae excretiones concurrant, raro etiam de febre decernit, sed potius ventriculum, morbose oneratum, levat. Hippocrates unicum tantum adfert casum febris, vomitu critico judicatae. Aliis excretionibus junctus febres sustulisse observatus fuit. Solvuntur autem vomitu praesertim febres, quibus saburra, ventriculo inhaerens, originem dedit, gastricae scilicet, tum continuae, tum intermittentes. Futurum salubrem praenunciant signa saburrae sursum turgescentis.

436. Diarrhoea critica frequens est in febribus saburralibus, et praecipue biliosis. Sed et in febribus omnis fere generis, atque in ipsis nervosis observatur, si ex adfecto hepate morbosa materies stillat, aut cruditates gastricae sub febris decursu generatae fuerunt. Quodsi materies excernenda acrior est, tenesmum saepe dysentericum sine periculo inducit. Melior autem est materies minus irritans, ac pultaceae consistentiae. Futuram hanc salubrem excretionem adnunciant signa saburrae deorsum turgentis: ventris murmura, lumborum dolor, gravitas extremitatum inferiorum, lingua tremula, nasus rubicundior, caloris et ardoris sensus per universum corpus, pulsus parvi, interdum intermittentes.

437. Sudor criticus est excretio summe frequens et solemnis, omnes fere febres judicans, et cum aliis etiam excretionibus criticis plerumque concurrens. Prouti enim causae febrium pleraeque, et quidem epidemicarum ac contagiosarum fere omnes, primario cutim laedunt, ita etiam per cutaneum colatorium febres criticae frequentissime judicantur. Praedicere autem hanc criticam excretionem licebit, si praegresso recenti vel levi horrore turbae criticae

insecutae, calor intense auctus, alvus clausa, urinae parcae, cutis pruriens, rubens et mollis, quae prius arida fuit, pulsusque arteriarum, prius duri, mollescunt. Optimus sudor criticus est, qui universalis, aequabilis, vaporosus, odoris subaciduli. Localis sudor nonnisi locales adfectiones levare valet. Optima crisis per sudores sub somno quieto contingit.

438. Post sudores frequentissimam evacuationem levantem sistunt urinae criticae. Exceptis nervosis, omnes fere febres, sive continuae, sive intermittentes judicantur urinis, eisque saltem cum alia critica evacuatione concurrentibus, si solae non constituunt crisin. Futuras praenunciant, (siquidem hoc solo colatorio per diabeten criticum evacuatio critica peragitur), hypochondria plena, cutis et lingua siccior, sitis aucta, tensio et gravitas in lumbis, pruritus in pudendis, ardor vesicae, crebrior mingendi conatus, interdum stranguria aut ischuria temporaria, atque, praegresso levi frigore, pulsuum mollescentia et collapsus. Optimis urinis criticis accensendae in genere sunt eae, quae moderate copiosae, vix odorae, sub mictu limpidae, saturate tinctae, quasi pingues, a mictu turbidae, hypostasin deponentes, cito subsidentem, copiosam, levem, albescentem. Hanc hypostasin cum pure compararunt veteres medici, quod, quo magis ad album vergit colorem, eo melioris notae est.

439. In omnibus his evacuationibus criticis respiciendum est, ceteris bonis signis, ad copiam, colorem, odorem, consistentiam, et homogeneam singulorum excretorum miscelam; maxime autem ad levamen, quod ferunt. Hinc quantitas et qualitas excreti tanti non est aestimanda, quanti libertas excretionis, et juvamen inde perceptum. Optima excreta critica sunt, quae maturatione justa praegressa, turbas sequuntur criticas, moderate copiosa, bene cocta sunt, atque febrim solvunt levamine prompto.

440. Num hae excretiones criticae sint causa levaminis, an vero effectus levaminis, vel an effectus sint coincidens cum levamine, id est, coëffectus ejusdem, quae levamen fert, causae, medici adhuc certant. Accidens sane, ut aliqui voluerunt, non sunt; nam non

tantum constantia, sed omnino in nexu cum crisi existentia phaenomena sunt, quod ex incautae earum retropressionis damno elucet.

441. Practico quidem medico par ratio est, sive excretio a levamine, sive levamen ab excretione veniat; sufficit scire, quod omnis experientia comprobat, excretionem criticam cum levamine venire. Sed rem theoretice considerando, revera triplex casus potest obtinere. I. Excretio critica potest esse causa levaminis, si ipsum excernendum febrim induxit aut sustinuit, atque molimine critico e corpore expellitur. Sic diarrhoea in febre gastrica legitima, sic haemorrhagia narium in inflammatione cerebri a plethora capitis, sic fluxus catamenialis aut lochialis in inflammatione uteri, facile possunt esse causa levaminis, quoniam ipsum irritamentum, febrim vel faciens, vel sustinens, expellitur sub his excretionibus. II. Excretio critica potest esse effectus levaminis, si per actum criticum vel spasmo in minoribus vasis resoluto, vel orgasmo febrili composito levatur febris, ac inde aperta vasorum excernentium ostia emittunt, quod morbose impactum fuit. Sic sudor criticus, relaxata per crisim cute, sic sputum criticum, decrispato per crisim pulmone, potest esse effectus levaminis, jamjam prius per crisim inducti. III. Excretio critica denique potest esse coëffectus ejusdem causae, quae febrem judicavit et levavit. Atque hi casus videntur frequentissimi esse in praxi. Nam plerumque eodem tempore, et ex eadem ratione colatoria superficiei aperiuntur, simulque illud solvitur, et naturae molimine eliminatur, quod vel ostiis vasorum morbose impactum fuit, vel salubri secretione ab ipsis adhuc circulantibus humoribus separatum.

442. Haec jam phaenomena evacuatoriae crisis, atque levaminis simul incedentis, quod quidem jam fuit memoratum (§. 246.), certis plerumque quibusdam diebus, quos criticos nominant, comparere solent, sive uno decisivo actu, sive pluribus intercisis crisibus febres judicentur. Et quidem propterea certis plerumque diebus comparent, quoniam exacerbationes, quibus adducuntur, certis fere diebus sunt adstrictae.

443. De causis horum dierum criticorum tum ab antiquioribus, tum a recentioribus medicis plura absurda et absona, quam talia, quae ad veritatem accedant, prolata leguntur. Etenim quidam eorum ordinem astris, horumque situi tribuerunt, cujus sententiae auctores sunt Astrologi medici. Pythagorici, quos inter falso a quibusdam relatus est Hippocrates, numeri quaternarii et septenarii vim et potentiam agnoverunt, quibus tamen ab Aristotele jam responsum est: numeros pro rebus ipsis, rerumque causis haberi non posse. Plures cum Galeno observationis hujus rationem adscripserunt mutationibus lunae. Amatus Lusitanus causam posuit in consonantia et dissonantia dierum. Proprior fuit veritati Averrhoës, qui ex certis febrium circuitibus ordinem hunc demonstrare nititur. Et revera, adnuente jam Hippocrate, quivis febrium dies criticus esse potest, nam quovis exacerbatio critica irruere potest. Sed illi, quibus frequentissimae crises contingunt, jure quodam praerogativo critici dici possunt. Hos constituit typus quotidianus, tertianus, quartanus (§. 248). Quae ergo de periodo invasionum in febribus intermittentibus valent, valebunt etiam de periodo exacerbationum criticarum, crisiumque ipsarum in febribus continuis.

444. Alteram, praeter crises et naturae operationes, rationem terminationis febrium in sanitatem, sistunt artis medicae auxilia. Haec duplici modo ad restituendam e febribus salutem conferunt, directo et indirecto.

445. Directo modo ars juvat, si causam febris ita amovet, ut ea amota effectus morbosus cesset. Hi casus autem sunt rariores, atque febres, quae hac ratione sanantur, sunt plurimum symptomaticae. Huc v. g. spectat sanatio febrium ex ingluvie per eliminationem saburrae, ex plethora et orgasmo per venaesectionem et refrigerantia etc. Cura ergo consistit in amotione stimuli irritantis, siquidem ita constitutus est, ut arte tutius feliciusque, quam naturae viribus amoveri possit.

446. Indirecto modo autem ars medica ad recuperandam e febribus sanitatem confert ibi, ubi causa vel penitus latet, vel ratio ejus agendi ignoratur, vel effectus

morbosi, febrim sustinentes, amota primaria causa non cessant. Hi casus sunt longe frequentissimi, atque ingens numerus febrium epidemicarum et contagiosarum huc spectat. His in febribus ars nonnisi salubres omnes organismi operationes utilem in finem dirigit, atque adventitia, sub decursu a lateralibus causis, symptomata abstergit, proinde indirecte ad sanationem contribuit.

447. Denique faventes circumstantiae, quae saepe vices agere possunt medicinae, rationem obtinendae sanitatis e febribus frequenter largiuntur. Potentiae enim diaeteticae in febribus sanandis dignitatem defendunt, non multo inferiorem ipsis pharmaceuticis et chirurgicis auxiliis. Modo etiam tum directo, tum plerumque indirecto ad optatam terminationem conferunt, nam vires organismi optime dirigunt. Eo efficacius autem agunt, quo plures simul conspirant ad unum eundemque effectum salubrem producendum. Aëris aegrum ambientis temperatura et conditio, victus ratio, corporis et animi motus, praeprimis huc spectant.

448. An etiam instinctus naturales, et proprio suo jure, ad febres sanandas contribuere possint, nondum liquet. Illis saltem unice et semper non est fidendum; nam utut interdum salubres, pluries tamen spurii et nocivi observantur.

449. Minime autem sufficit adnotasse, febres persaepe, et quidem rationibus ac modis supradictis in sanitatem terminari; convenit adhuc memorare, sanitatem saepe post febres perpessas meliorem adhuc obtineri, quam ante febrim fuit. Febres enim, praecipue simplices et moderatae, in subjectis non adultis non tantum inducunt convalescentibus incrementum corporis melius ac promptius, habitumque corporis laetiorem ac antea fuit, sed et morbos quosdam inveteratos interdum radicitus tollunt.

450. Nec mirum. Organismus enim omnis per febres alteratur, vasa ac viscera inertia irritantur, fluida in diversis locis stagnantia commoventur, in circulum deducuntur, excernuntur (quod demonstrant obesi, qui post febres macilenti evadunt), mixtio humorum mutatur, secretiones expediuntur ac emendantur, absorptiones promoven-

tur, nervisque ipsis alia inducitur dispositio. Hac ex causa obstructiones viscerum et glandularum, indurationes per annos immotae, atque inde oriundae cachexiae diversissimae, imo nevroses inveteratae, rheumatalgiae, paralyses etc., per febres aliquando sanantur. Eadem quoque ex ratione mania et melancholia, praesertim quae ex materiali causa prosiliunt, per exantlatas febres aut auferuntur, aut emendantur, atque facultatibus mentis major procuratur libertas. Sub ipsis jam febrium paroxysmis, in quibus energia totius organismi aucta est, fatua mens non raro resipiscit, madida memoria recreatur, indifferens prius animus in pathemata commovetur.

451. Propterea in curandis ejusmodi morbis, qui febre tolli observati fuerunt, ad imitandam naturam medici talia adhibuerunt et adhibent, quae febrim arte excitare valent. In quem scopum ipsam infusionem fluidorum irritantium in sanguinem, per venas circulantem, tentarunt, pharmaca acerrima ex ipsa venenorum classe, stimulisque aliis validissimis agentia medicamina ab omni aevo porrexerunt, et adhucdum porrigunt.

452. Ast hisce omnibus febris ad summum symptomatica produci potest. Criticas febres, exceptis illis, quae miasmatum contagiosorum insitione parantur, arte producere adhuc ignoramus.

IN MORTEM.

453. Frequentes sunt funestae febrium terminationes, ac certarum febrium specierum funestissimae, ita ut exitiosus hominum interitus eis interdum paretur.

454. Conditiones, sub quibus febres in mortem abeunt, oppositae sunt illis, quae ad exitum illarum in sanitatem requiruntur (§. 418.); scilicet sequentes: I. Organismi ante febrim mala dispositio, vel quoad vires, vel quoad organicam structuram singularium organorum, praesertim nobiliorum. II. Causae febrim generantes graves, nec organismi viribus amovendae aut enervandae, nec arte devincendae; mox vim vitalem pessumdantes, mox organicam nobiliorum partium fabricam destruentes, mox ita

vitam irritantes, ut exhausta reactionis molimine natura succumbat. III. Symptomata febrilia vehementia, sive virium conditionem graviter laesam, sive organorum vitalium functiones magnopere alteratas indicantia. IV. Complicatio characterum febrilium plurium, e pluribus lateralibus aut accidentalibus causis morbificis oriunda. Decursus inde anomalus et irregularis. V. Neglectus curae requisitae, perversorum remediorum adplicatio, aut male faventium circumstantiarum concursus. VI. Crisis infausta.

455. Ratio, qua febres in mortem abeunt, triplex est. Vel enim defectu, aut insufficiente energia naturae operationum salubrium; vel neglectu, perverso selectu, aut insufficiente adplicatione remediorum desideratorum; vel denique absentia infelici faventium circumstantiarum mors in febribus paratur. Interdum etiam omnes simul hae rationes concurrere possunt.

456. Modus, sub quo febres per insufficientes vitae operationes in mortem terminantur, est duplex; nempe per virium vitalium praecocem obitum, febri ad judicium criticum adhuc immatura, atque per crisim infelicem, febri ad judicium jam provecta.

457. In incremento aut vigore febrium (cruditate aut coctione), viribus causae subigendae, enervandae, expellendae, atque effectuum morbosorum inde oriundorum amotioni imparibus, mors obtinet vel ex causa sincere dynamica, vel ex viscerum nobiliorum in suis functionibus laesione lethifera. Sed etiam mixta causa, aut saltem circulus quaestionum hic subesse potest. Nam nondum sufficienter docuit Physiologia pathologica, quomodo vires a visceribus, et viscera reciproce a viribus alterentur, et quaenam harum adfectionum in febribus primaria sit, quaeve secundaria.

458. Species mortis ex causa sincere dynamica, illaesis ad sensum visceribus, semper inducitur debilitate virium, et quidem tali, qua non tantum salubres operationes criticae intercipiantur, sed nec vita ipsa ad crisim usque persistere possit. Haec debilitas vel sim-

plex est, viribus pedetentim exstinguentibus; vel maligna, viribus derepente ac inopinato exhaustis, raro et difficulter restaurandis; vel perniciosa, viribus uno momento ac subito penitus exstinctis, nullo artis auxilio provocandis, praesentans fere apoplexiam nervosam, qua universalis inducitur paralysis. Quo modo autem omnia haec fiant in febribus, plurimum ignoratur, quoniam leges organismi dynamicae nimis adhuc occultae sunt. Frustraneum tamen, viresque delassans conamen, causa febris ac effectibus, ea inductis, nimis resistentibus, occasionem hujus funesti eventus saepe praebere videtur.

459. Species autem mortis ex viscerum laesione inducuntur: vel congestione sanguinis simplici aut inflammatoria, mox circulum vitalem praefocante, praesertim in pulmone et hepate, unde mors suffocativa, — mox in encephalo supremam nervorum dignitatem obprimente, unde ex humorali causa mors apoplectica; vel viscerum insigniorum subpuratione, gangraena, variaque desorganisatione, unde priorum alterutra, vel etiam ex debilitate mors. Quae posterior interdum subitanea et inopinata, si organa adfecta, uti v. g. intestina, incognitis adhuc rationibus vim vitalem peculiariter dejiciunt.

460. Atque eandem ex debilitate mortem, causis tamen facilius intelligendis, inducunt quoque in febribns dispendium humorum ex inedia aut profluviis, κενεάγγεια, atque humorum dyscrasia, sive purulenta, sive putrida.

461. Quam vero Hippocrates describit, ex siccitate mortem in febribus, non adeo ex dictis mox rationibus, quam fere ex valido quodam sub febribus nonnullis combustionis processu concipere licet, tantum non resarciendis, quantum consumuntur, humoribus.

462. Hae omnes mortis rationes die quidem critico frequenter, ob turbas tunc febriles graviores, sed et omni alio febrium die, omnique in stadio illarum occurrere possunt. Et quidem vel primaria organorum vitalium adfectione, vel secundaria, sive symptomatico modo, sive per metaschematismum (transmutata symptomatum sede et forma) inducuntur.

463. Alter modus, sub quo febres ad judicium jam maturae, funesto eventu judicantur, est per crises infaustas. Hisce enim nec resolutio materiei morbificae, nec evacuatio levans, vel illa nonnisi insufficiens conceditur; sive jam crudum incomplete coctum, sive perfecte cocti exitus denegatus per colatoria non sufficienter patentia, aut sub ipso critico actu inopportune occlusa, in ratione sit.

464. Quodsi jam illud, quod exitui destinatum fuit, remaneat, atque ad organa nobilia, cerebrum, pulmones, cor, hepar appellat, mors ex metastasi oritur, diversa pro diversitate organorum obrutorum, apoplectica, suffocativa, alia.

465. Jam ipse Hippocrates, prouti bene adsignavit phaenomena, quae faustum exitum sub critica evacuatione pollicentur; ita et transitus in metastases periculosas signa egregie indicavit. Quo magis enim humores extrorsum turgent, quo minus clausa sunt superficiei colatoria, et quo minus tendunt cruda et cocta versus interiora et superiora, praesertim nobiliora organa, eo felicior crisis evacuatoria speranda, et, vice versa, eo magis timenda est metastatica.

466. Alteram, praeter salubris operationis organicae defectum, mortis rationem sistit neglectus, perversus selectus, aut insufficiens adplicatio remediorum, a febre pro sanatione desideratorum. Sive jam causae, quae febrem fecit, respectus omnis omittatur, sive vires vitae in salutiferis actionibus non suffulciantur, modo vel directo vel indirecto (§. 444.) et defectu auxilii medici mors in febribus sequitur; et quidem vel ex parte solius conditionis virium, vel etiam ex parte organorum adfectorum.

467. Quae ratio mortis quoque obtinet, si illae, quae medicaminum vices saepius gerunt, faventes externae circumstantiae desunt, aut e contrario potius sinistrae agunt in aegrum et in febrem.

468. An, et quid cadaverum lustrationes ad rationes mortis in febribus revelandas conferant, ex superius jam dictis (§. 457—460.) desumere licebit.

469. Mortis inprimis ex solis causis dynamicis oriun-

dae, nulla, praeter vitam deficientem, vestigia in cadavere reperiuntur, nam omnia et singula organa ad sensum illaesa tunc deprehenduntur. Solas deficientes vires, mutationesque organicas inde qualescunque tamen inductas, scalpellus anatomicus detegere, sensuumque acies summa distinguere ibi non valent, ubi non luculentissima structurae organicae, a physicis causis vitiatae, adsunt indicia. Specialia igitur saltem phaenomena non exhibent cadavera febri necatorum.

470. Ubi vero in organorum structura et integritate manifestae mutationes, nomine vitii organici, factae sunt, quod quidem a causarum praegressarum violentia, atque adfectionis localis in organicas destructiones nisu plurimum pendet; ibi omnino diversa et manifesta phaenomena scalpello detegenda ac sensibus distinguenda occurrunt. Nam illa omnia facilius percipiuntur phaenomena, quae ex lethifero reflexu organismi in vires organicas, quam quae ex illo virium organicarum in organismum oriuntur.

471. Horum phaenomenorum sensibus in cadavere post febres obviorum, tum quoad organum, in quo obveniunt, tum quoad rationes mutatae structurae organicae, ingens est numerus et diversitas. Atque fere vix existit vitium quoddam organicum, sive congestione, textus organici laceratione, humorum effussione, sive suppuratione, gangraena, concretione, hyperorganisatione etc., inductum, quod non in organo corporis qualicunque per febres, aut sub febribus generatum, et in cadaveribus deprehensum fuisset. Adtendendum unice et curiose, num ejusmodi mutationes reapse causa mortis in febribus sint, an non coëffectus ejusdem causae, quae lethum adduxit, aut an non ipsius mortis potius effectus. Judicium ergo feratur inde cautum.

472. Denique non omnis mors e febribus directo modo oritur, uti hucusque dictum. Febres etiam indirecto modo, per alios morbos intercedentes, sed ex earum causa aut effectu inductos, terminari possunt in mortem.

IN ALIOS MORBOS.

473. Ubi conditiones sanitati plenarie restituendae non quidem penitus favent, nec tamen etiam infaustae sunt,

ut mortem absolute ac directo modo adducant; nec in sanitatem, nec in mortem, sed in alios morbos desinunt febres.

474. Quo ergo contribuunt: I. Dispositio et constitutio organismi ante febrim non optima. II. Causae graviores, organismum partium nobiliorum vel leviter, vel illum minus nobilium adgredientes, subactionem per naturae molimina perfectam non admittentes. III. Symptomata vel levius organa vitalia, vel alia vehementius adfecta, et praecipue organicam fabricam mutatam designantia. IV. Complicatio characterum febrilium e lateralibus causis, atque decursus inde anomalus. V. Neglectus auxiliorum sufficientium, aut perversorum adplicatio, non tamen eo in gradu, ut lethalis eventus esset. VI. Crisis evacuatoria incompleta, aut metastatica.

475. Praeter communia huc facientia momenta, multum autem etiam ad hanc terminationem confert nisus nonnullarum febrium proprius et peculiaris in posthuma mala. Exemplum erit in febre variolosa, scarlatinosa, intermittente etc.

476. Transitus vero febrium, quae nec in sanitatem, nec in mortem, sed in alium morbum abeunt, est vel in recidivam ejusdem febris (παλινδρομή), vel in aliam febrem alius typi et formae (μεταπτῶσις), vel denique in morbum longe alieni characteris (διαδοχή).

477. Rationes, quibus febres in alios qualescunque secundarios morbos abeunt, sunt vel dynamicae, vel organicae.

478. Dynamica ratione febres terminantur in alios morbos, si vires febri ita exhaustae sunt, ut illa decrescente sufficienter restaurari pro obtinenda sanitate nequeant, quod interdum obtinet insuperabili ex Keneangeia; vel si nervoso systemati ex febri mobilitas nimia, aut alia morbosa dispositio inducta est. Inde transitus febrium vel in recidivam, vel in aliam febrim alius typi aut indolis alius, vel in nevroses diversas.

479. Ratione organica febres desinunt in alios morbos, vel prava humorum mixtione relicta a febri (κακοχυμία), vel laxitate compagis organicae universali per

febrim (κακηξία), vel crisi metastatica, ad partes ignobiles, aut etiam ad nobiles, sed impetu minori facta, vel vitiata singularium organorum structura, ex metaschematismo radices figente, ex inflammatione in suppurationem, indurationem, morbosam partium concretionem etc., abeunte. Inde terminationes denuo in diversas cachexias, vel in localia et organica mala multiplicia.

C. Clayhills meletemata quaedam de metastasibus. Jen. 1793.
J. D. Brandis Versuche über die Metastasen. Hahn. 1798.

480. Frequenter posthumis febrium morbis occasionem etiam praebet incautum earum in stadio convalescentiae tractamentum, recentiumque lateralium causarum e pravo regimnie recens actio; praesertim autem crisium serotinarum, facile praetervidendarum, neglecta cura.

481. Haec jam posthuma a febribus mala, vel in sanitatem tandem transeunt perfectam, vel insanabilia per omnem vitam persistunt, morte quondam ex aliis rationibus insequente, vel mortem ipsamet adferunt.

482. Ergo febres interdum, praecipue ex indole propria dolosa, atque ex prava individuorum dispositione, accedente praesertim prava therapia et crisium neglectu, etiam deleterios effectus in organismo relinquunt, et quidem eosdem fere, quos sub meliori auspicio tollere saepe valent ipsaemet.

PROGNOSIS FEBRIUM IN GENERE.

D. Becher Diss. continens observat. ad formand. prognosin in febribus. Prag. 1750.
J. N. Pezold de prognosi in febribus acutis. Lips. 1771. 1778.
Le Roy Prognostic dans les maladies aigues. Montp. 1776.
— Deutsch. Leipz. 1787.

483. Prognosis morborum universim duplex est, rationalis et empirica. Prior ex theoria morbi et ejus nosogenia, posterior ex animadversionibus phaenomenorum desumitur, quorum ratio occulta est. Securior illa, quae ex utroque fonte hauritur. Ita etiam in febribus.

484. Rationalis febrium prognosis fundatur in

cauto scrutinio illorum momentorum, quae terminationem vel in sanitatem, vel in mortem, vel in alium morbum constituunt. Haec momenta sunt dispositio aegri, causa febris, atque ejus symptomata et decursus ratio.

485. Quae omnia inter se invicem et justis argumentis pro et contra sunt trutinanda, ut erui possit, quaenam trium possibilium terminationum vel certo, vel probabiliter aut speranda sit, aut metuenda. Quapropter ratio terminationum harum medico debet esse optime nota.

486. Organorum in functione sua laesorum dignitas, ipsiusque laesionis intensio, atque prae ceteris, quum febres dynamici morbi sint, virium vitalium conditionis laesae ratio, dabunt omnino certissimam, et summe rationalem instantis febrium terminationis prognosin.

487. Ast ob leges organismi dynamicas plane adhuc ignotas, ob penitus adhuc deficientem scalam virium, ob causas febrium, praesertim criticarum nimis occultas, ob versabilitatem singularem symptomatum in decursu earum, ob mutationes improvisas et crises insidiosas, ob epigenomena innumera et laterales complicationes, huic morborum generi magis proprias, justa perpensio circumstantiarum certam morbi terminationem ponentium, in febribus est difficillima.

488. Hinc etiam sola rationalia momenta in febrium prognosi non penitus sufficiunt.

489. Hac ex ratione illas simul animadversiones, quae, utut illarum theoria lateat, numerosa tamen observatione sunt confirmatae, ad stabiliendam securiorem febrium prognosin in usum trahunt medici. Quibus empirica febrium prognosis statuitur.

490. Quae, si cum rationali combinatur, omnium securissimam, scilicet empirico-rationalem prognosin sistit.

491. Imprimis, cum febres ex morbosis ac salutaribus motibus atque symptomatibus constent, ex horum praevalentia, et vel ad salutem, vel ad perniciem flexu, hanc prognosin empirico-rationalem in febribus determinare voluerunt medici. Sed certa distinctio inter morbosa et salutaria symptomata adeo est difficilis, et medicatricis

naturae in sanandis febribus operatio adeo obscura adhuc est, ut incognita haecce molimina ad prognosin determinandam adhiberi non possint.

492. Nisi ante crisin funesta obtineat terminatio, sortem aegri, febre laborantis, unicus omnino determinat actus criticus. Cujus quidem, quoad exitus rationem, certa praecognitio non datur. Ex supra (§. 487.) dictis enim momentis crises interdum plane improvisae fiunt.

493. Sed, utut nonnunquam inopinatae, male propterea haberentur pro phaenomeno mere accidentali; quum fortuito casu nihil accidat in rerum natura, et omnia phaenomena a suis pendeant causis. Imo ex castis naturae operationum observationibus, ordo quidam, quo organismus febre detentus dirigitur, ab oculatis observatoribus detectus fuit. Huc spectat prae ceteris observatio de diebus sic dictis indicibus, qui etiam contemplantes nominantur.

494. Docuit scilicet observationum numerus, crises praevias, si vel cum minimo levamine contingunt, alias serius subsequas adducere, quas, nisi peculiares intercurrant anomaliae, penitior sequitur solutio febris. Atque vice versa. Exasperantes febrim crises praecursores, alias post se trahunt plerumque magis vitae insidiosas. Et quidem illo ordine, quo crises fieri solent, diebus scilicet determinatis criticis. Quare septimum diem indicem noni, nonum undecimi, undecimum decimi quarti etc., agnoverunt observatores.

495. Neque sine jure, et sine omni ratione cognita. Etenim omnis crisis vel minime levans, invasiones iteratas febriles, quibus constituuntur seriores exacerbationes, leviores, ac proinde a se invicem et magis distantes vel inducit, vel designat; prouti versa vice crisis, febrim exasperans, cohobatas cum priori febre invasiones anticipando festinantes vel facit, vel indicat; proinde futurum subsequa crisi judicium raro concedit faustum.

496. Hinc etiam typus febrium universim grave sistit in prognosi earum momentum. Minus enim favet sinistro febrium exitui typus intermittens; multo magis continuus, et maxime ille, qui anticipantibus exacerbationibus

ad continentem ducit, aut illum jam adduxit. Irregulares vero exacerbationes prognosin summe incertam statuunt.

497. Malae igitur semper sunt crises anticipantes. Hoc fundatur in compositione febrium, etiam continuarum, ex pluribus invasionibus. Si iteratae invasiones ita anticipant, ut prima nondum finita, neque secunda, jam tertia intret, unacum exacerbationibus validissimis inde ortis anticipant crises ipsae, et quae imparibus diebus contingere deberent ac solerent, paribus obtinent diebus, sed infelices crises. Ideo Hippocrates damnavit crises quarti, et praecipue sexti diei, quas pro anticipatione diei quinti et septimi habuit. Sed etiam quarto et sexto febrium die salubres crises contingere possunt et observatae fuerunt; quae autem non qua anticipantes, sed potius qua postponentes praegressi diei considerandae sunt.

498. Symptomata febrilia singula tutam prognosin vix unquam constituunt. Omnia vero simul sumta et rite inter se computata, in quantum virium vitalium laesionem exacte determinant, organorum functiones morbosas praesentant, ipsumque specialem febris characterem indicant, prognosin sat certam, uti in omnibus universim morbis, ita etiam in febribus exhibent.

499. Quo simplicior inde febrium character morbosus cognoscitur, eo laetior, ceteris paribus, poterit esse prognosis; ac vice versa, eo minus laeta, quo plurium characterum specialium adest complicatio.

500. Jam nunc liquet ex hucusque dictis, ad quaenam momenta, tum rationalia, tum empirica, in prognosi febrium instituenda maxime respiciendum sit. Summa scilicet cum circumspectione adtendendum erit: ad individuam aegri dispositionem et constitutionem; ad causas febrim facientes; ad virium vitalium conditionis laesae rationem ac intensionem; ad symptomata morbosa organorum diversorum, in functione sua laesorum, eorum numerum, intensionem, atque extensionem spatio et tempore; ad typum febris, atque ad characterum febrilium complicationem. Alia plura momenta ad specialem specialium febrium prognosin spectant.

501. Signa quaedam plane empirica, uti v. g. vul-

tus aegri insolita mutatio, facies hippocratica, summa pusilanimitas et sui neglectus etc., infaustum exitum febrium, uti et aliorum morborum, non raro portendunt, quemadmodum opposita alia exitum feliciorem. Hinc minime negligenda sunt haec quoque indicia in febribus. Ast nimia et phantastica subtilitate extorsa potius, quam observata in febribus phaenomena nonnulla, quo v. g. spectant mira et absurda in pulsu arteriarum quaesita et futurum exitum designantia, utili valore practico omnino destituuntur.

502. Atque basi generali prognostica febrium, utut fuse nunc exposita, lubricissimum tamen et summe arduum negotium, praesertim juniori medico ac minus experto, prognosis in febribus est. Hinc ad eam, quantum fieri licet, rite instituendam, cautelas adhuc quasdam stricte observandas adjungere liceat. I. Ante crisim nulla certa et determinata prognosis proferenda est in febribus; nam non habetur. Ac utut in mortem interdum habeatur, si arte et natura invincibilia obstacula persistenti vitae deprehenduntur in organis, in sanitatem tamen non habetur infallibilis, ob epigenomena infausta nunquam praevidenda, et ob crises subdolas, nunquam certo praecognoscendas. Probabilis igitur ante crisim prognosis, crisi solummodo certa redditur. II. Nimis anxius et meticulosus in febrium, praesertim leviorum, prognosi medicus, facile quidem suspectus est aut ignorantiae, aut reservationis astutae; medicus autem nimis temerarius et arti confidens, alio, quam praedixit, morbi eventu non raro punitur. Summa temeritas est, diem et horam mortis futurae determinare, ubi crisium tanta fallacia. Prudens itaque, et bene consulens famae suae medicus, cum multo frequentiores sint probabilitates quam certitudines futuri in febribus eventus, maxima uti debet circumspectione in prognosi earum. III. Cautissima et unice justa, (nisi evidentissima absoluti interitus signa eventum determinarent certum), illa est prognosis febrium, quae relativa ad praesentem febris statum visum, et posita accidentis fausti aut infausti conditione instituitur; quae ergo declarat, in quonam periculi gradu impraesentiarum aeger versetur, et quantum spei aut metus ab accidentibus, sive dextris sive sinistris, imminere possit.

THERAPIA FEBRIUM IN GENERE.

503. Therapia febrium generalis exponit leges solummodo universales, quas, nullo respectu ad specialem characterem habito, in sanandis aut curandis febribus observare oportet. Omnibus omnino febribus convenit, quamvis in omnibus non sufficiat; respicit enim tantum illud, quod in omnibus febribus commune est. Hinc praemittenda est omni jure speciali febrium therapiae; quae in speciali earum doctrina exponetur.

504. Quemadmodum therapia omnium morborum duplex est, directa et indirecta, ita etiam illa febrium. Prior causas morborum solas respicit, illis amovendis unice intendit, amotisque morbum facile tollit; estque summe rationalis, quoniam per causas in effectus agit. Altera in morbis, quorum causae ignorantur, aut nulla arte amoveri sciuntur, aut et jamjam amotae permanentes effectus in organismo reliquerunt, locum habet; utplurimum vires organicas in obpugnandam, ignotam aut arte non amovendam causam dirigit, proinde per ipsos effectus morbosos in causam retro, et indirecte agit.

I.

THERAPIA FEBRIUM DIRECTA.

505. Methodus medendi directa adhibetur, et adhibenda est in illis febribus, quarum causa exacte scitur, et ita constituta est, ut arte amoveri possit, illaque amota febris, ceu effectus, cesset.

506. Haec therapia, quoniam subponit nosogeniam et theoriam sanandae febris optime cognitam, est vere rationalis, imo jam est specialis, nam specialem febris characterem obpugnat, quem nota causa optime designat.

507. Consistit in adplicatione illorum auxiliorum, quae irritamentum, febrim faciens, auferunt, et universim causae obposita et contraria sunt. Sic febris ex ingluvie sanatur evacuatione ingesti, febris ex motu quiete, febris ex calorico refrigerantibus etc.

508. Sed haec medendi methodus rarum usum in fe-

bribus habet, ob causam febrium raro cognitam, et cum effectu rarius amovendam; atque universim potius in symptomaticis, quam criticis, quarum causae et nosogenia plurimum latent, adhiberi potest febribus.

509. Sunt quidem medici, qui imaginarias in febrium causas agentes, febres etiam criticas directa therapia sanare opinentur. Ast therapia hypothetica nunquam dici meretur directa, non tantum ex eo, quod causa et theoria febris conjecturalis incertam tantum et fluctuantem therapiam statuere valeat, sed etiam illo ex graviori momento, quod conjecturalis causa facile ad perversam ac damnosam therapiam seducere possit, quae minime directa ac rationalis est. Ita seducti fuerunt ad methodum alexipharmacam, qui in febribus subposuerunt miasmata per sudores exterminanda; ita alii nuper ad methodum stimulantem, qui somniarunt febrium plerarumque causam esse debilitatem virium etc.

510. Quae ergo vere rationalis ac directae therapiae febrium nomine digna est, justa nonnisi causarum cognitione, perspecto earum cum symptomatibus nexu, atque reali causarum unacum suis morbosis effectibus amotione, ceu basi solidissima nititur. Haec autem, quod dictum fuit, raris tantum in casibus febrium habet usum.

II.

THERAPIA FEBRIUM INDIRECTA.

511. Longe frequentius occurrunt illae febres, quarum causae plurimum ignorantur, uti febrium epidemicarum plerarumque; aut quarum causae ratione nondum intellecta agunt, uti febrium contagiosarum; illae porro, quarum causae, utut cognitae, amoveri non possunt, uti vitia organica, suppurationes internae etc.; aut denique illae, quarum primariae causae utut amotae, permanentem effectum morbosum in organismo relinquunt, secundariae causae vices agentem, uti febrium diversarum a refrigerio et caloris vicissitudine exortarum, quo catarrhosae, rheumaticae etc. spectant.

512. His in febribus, nisi hypothetice mederi vellet

medicus, non alia, quam indirecta medendi methodus adhiberi potest, quae vel causam non amovendam enervat saltem, vel organismum ita disponit, ut causa minus nocere possit, vel vires organicas ita moderatur, ut illae salubri suo molimine eam subigere, aut quocumque alio modo devincere queant.

513. Therapia, quae hoc praestat, indirecta dicitur; causam febris enim ipsam non aufert, neque immediate aut directe in illam agere contendit, sed maximum medendi officium operationibus organismi, quas solum dirigere conatur, relinquit. His enim febres criticas per ipsum nisum criticum feliciter debellari posse, quotidie experimur.

514. Quodsi vero et solae vires organicae febri devincendae non sufficerent, per effectus saltem morbosos ad causas eorum retro agere, atque medio modo quocunque, cum immediate non valeat, causam febris impugnare intendit haec therapia.

515. Est igitur summe generalis, et in praxi febrium usitatissima et utilissima. Non solum superioritate sua dirigit etiam illam medelam, quae speciali febrium characteri est opponenda; sed maximum praesertim usum habet illis in febribus, quarum specialis indoles nondum bene perspecta et cognita est, et in quibus clarae indicationes speciales aut non elucent, aut iisdem, licet perspectis, satisfieri nequit.

516. Ubi vero urgent speciales indicationes, sola tamen non sufficit semper. Unde medici, qui nimiam fidem habent in molimina organismi ad salutem tendentia, febriumque curationem soli naturae relinquendam esse putant, ignavia sua praxin aeque damnosam instituunt, ac alii, qui nimis actuosa artis subministratione praeoccupando saluberrimas organismi operationes, has potius impediunt, quam expediunt. Prudens medicus in curandis febribus sublevat artis auxiliis naturam medicatricem, non penitus diffidit arti, nec tamen soli confidit naturae.

517. Duplex autem est therapia indirecta, qua, directis indicationibus absentibus, curam febrium adgreditur medicus, empirica et rationalis.

A.

THERAPIA EMPIRICA.

518. Ubi ob causam et nosogeniam febris nimis occultam, rationales curandi indicationes non dantur, aut ratiocinio optimo selecta pharmaca febri sanandae non sufficiunt, ibi medicum ad remedia oportet refugere, quorum medicatrix actio ratione quidem non intelligitur, multiplici tamen experimento comprobata est. Haec vocantur empirica, aut satius specifica. Sic febres intermittentes rebelles, optimis rationalibus auxiliis interdum obluctantes, specifico fugantur cortice peruviano.

519. Hanc autem empiriam, sola casuum analogia fundatam, ratio ubique dirigere debet, alias caecus, vetulae instar, medicus empiricus est, et damnosus. Contraindicantium praecipue momentorum summus respectus in hac praxi semper est habendus.

520. Empirica tamen, et specifica febrifuga remedia, quae omnibus universim febribus auxilium praestent, nondum detecta sunt. Absurdum est, vires has universales antipyreticas a cortice peruviano quoque exspectare, illoque suppuratorias, v. g., omnesque alias febres sanare velle. Aeque absurdum, in acido muriatico, aliisve, praecoci laude commendatis, panaceis antifebrilibus has vires quaerere.

521. Hinc auxilia empirica et specifica pertinent potius ad therapiam febrium specialem; nisi, vi vocis, empiriam nominemus illam leviculam praxin, quam male instituunt nonnulli miserabiles medici, dum auxilium in casu uno observatum prava analogia in plurimis tentant; et quam diversi diversam in omnibus sine exceptione febribus detestabili exercent sive imperitia, sive consuetione, quemadmodum medici antiphlogistici, medici purgantes, medici stimulantes etc.

B.

THERAPIA INDIRECTA RATIONALIS.

522. Utut indirecta rationali therapia in ipsam cau-

sam febrium proximam scientifica medendi methodo vix agere liceat, minime tamen indirectis illis, quae ignota causa frequentissime in curandis febribus adhibentur, auxiliis omni ratiocinio carens instituitur praxis. Etenim probe scitur, et nimis numerosa experientia compertum est, vires organismi solas, non raro et sine omni artis medicae auxilio, copiosas febres operationibus suis spontaneis sanare, omnisque generis febres criticas sanare posse, si lateralia obstacula has salubres operationes non impediunt. Atque hac ex ratione viribus organismi multum confidentes in febrium cura, utiliter illas dirigere contendimus, auxiliis artis indirectis quidem, sed ratione ductis.

523. Therapia igitur indirecta febrium rationalis, omnium primum respectum habet ad virium organicarum conditionem; earumque liberas et sufficienter pro negotio critico efficaces actiones sustinet, nocenter deviantes utilem in finem flectit, impedimenta illis obvia ac in singulis organis ex laeso eorum munere occurrentia, amovet.

524. Includit propterea haec therapia febrium indirecta duplicem curam, vitalem et symptomaticam; quarum prior actiones vitales in salutem aegri moderatur, crisesque futuras praejuvat, praesentes expedit; altera symptomatibus occurrit, tum impedientibus organismi salubres operationes, tum aegro molestis.

1.

CURA VITALIS.

Moderamen virium.

525. In sanandis et curandis febribus, quae nonnisi morbi virium sunt, omnium primo justum obtineri debet moderamen actionum morbosarum vitalium, ut causale irritamentum, toties ignotum, aut arte non amovendum, eisdem ipsis subigi, enervari, aut expelli possit, et per criticum optatum actum sanitas restitui. Nam hoc tum subactionis, tum criseos negotium nonnisi sub debita reactionum vitalium erga stimulos irritantes intensione expediri potest. Hinc princeps febrium medela dirigenda est in virium vi-

talium actiones, ut liberae ac moderate energicae fiant. Atque haec dicitur cura vitalis.

526. Deflectunt autem actiones vitales in febribus duplici modo; vel nimis, quam justum est, exorbitantes, vel ita debilitatae deprehenduntur, ut salubri conanimi satisfacere non possint. Atque juxta hunc duplicem deflexum cura vitalis diversa erit instituenda; compescens in priori casu motus febriles nimios, sublevans vires in altero. De deviantibus sic dictis organismi viribus in singula organa, eisque ad debitum aequilibrium reducendis, sub cura symptomatica agetur.

a.

ACTIONES VITALES EXORBITANTES.

527. Vires organicae universim, ac in specie vitales humani, quem unice consideramus, organismi, non cognoscuntur, nec censeri possunt, nisi ex actionibus organicis, ceu effectibus suis. Conditio earum, diverse morbosa, non desumitur, nisi ex organicarum actionum conditione diverse laesa. Hae actiones, dum a norma deflectunt, laesae sunt in omni morbo; in febribus vero, quae morbi totius organismi ac omnium virium sunt, omnes etiam plus minus, a supremis in dignitate physiologica, usque ad infimas, morbose sunt constitutae.

528. Exorbitantes quoque organismi vires nonnisi ex exorbitantibus, seu morbose impetuosis, actionibus organicis desumuntur.

529. Exorbitantes autem organismi actiones dicuntur, quae fortiores sunt ac vehementiores, quam ad praestandas functiones physiologicas pro normali sanitatis statu requiritur. Hae, frequentia simul ac energia modum normalium oscilationum vitalium excedentes, sine febri, aut et sub minima morbosa intensione, sine opportunitate ad febrim obtinere non possunt, nam ponunt omnino essentiam primariae ac irritativae febris.

530. Attamen non omnes singulae organismi actiones semper et in hoc febrium statu sunt exorbitantes; nam nonnullae, uti praecipue animales sic dictae ac voluntariae ac-

tiones, quod lassitudo febrilis demonstrat, languent. Sed actiones potius involuntariae, atque ad ipsam vitam immediate necessariae praeprimis sunt impetuosae; quod respirationis, pulsuum arteriarum, secretionum, etc., intensio aucta comprobat. Praevalet universim sub hac vitalium reactionum morbosa conditione superioritas partium reagentium organicarum prae stimuli morbose incitantis vehementia, multumque hae reactiones superant actionem stimuli morbifici; ubi econtra sub omni alia virium morbosa conditione potius reactionis nisus, ac fere irritus omnium fibrarum oscillantium conatus, quam vere actuosus obtinet impetus.

531. Jam vero, utut diversissimi essent gradus intensionis exorbitantiae actionum vitalium in febribus, ab infimo ad altissimum usque, sufficiet tamen distinctionem unice fecisse inter illam moderatam exorbitantiam oscillationum vitalium, quae par est peragundis salubribus operationibus criticis, ac inter aliam exorbitantiam nimis impetuosam, quae has optatas operationes elidit actionibus organismi nimis praeproperis.

532. Levis ac moderata actionum organismi vitalium exorbitantia, exoptatum est in febribus, ut salubres naturae medicatricis obtineantur effectus, momentum. Compescit illam, nisi febris sit merum symptoma ablatis causis auferendum, ipse actus criticus, quo facile talis febris solvitur et cessat.

533. Si febris ceterum ex indole sua ad conatus criticos salubres inclinat, malisque complicationibus non est inquinata, sub hac moderata actionum vitalium exorbitantia, absque omni artis auxilio sanitas insequi potest, atque solis organismi viribus omnis fere cura relinqui; medicisque tunc nullum officium restat, quam has virium temperatas actiones considerare ac venerari. Quod autem, ne male res intelligatur, de illis solummodo febribus valet, in quibus directa, et causis eas excitantibus adtemperanda auxilia non habentur, sed indirecta tantum medela opus est, ac criticis operationibus sanatio confidi potest.

534. Quomodo talia cognoscantur motuum febrilium moderamina, quae crisibus exoptatis praestandis sufficere

valeant, melius quidem ad ipsos aegrorum lectos demonstrari, ac ipsa praxi addisci poterit. Quammaxime autem requiritur ad hunc actionum vitalium statum dignoscendum aegri constitutionis, causarum et symptomatum morbosorum justa consideratio.

535. Si subjectum ante febrim bene fuit dispositum, sanum et vegetum, si causae agentes validae non fuerunt, et etiamsi ignotae, ex symptomatibus febrilibus, ceu effectibus suis, validam actionem et gravem irritationem non exhibent; si motus febriles nec languentes, nec etiam valde exorbitantes deprehenduntur, atque si symptomata morbosa ita constituta sunt, ut organorum vitalium liberas, intente vigentes, quamvis non nimis impetuosas actiones indicent, tunc ad vires vitales moderate agentes concludere licebit. Sub his motibus febrilibus moderatis ergo aliqua pulsuum morbosa frequentia, aliqua virium arteriosarum, aliarumque vitalium morbosa energia, aliquod caloris augmentum etc., absolute adesse debent; secus enim nec febris adesset.

536. Atque gradu exorbitantiae vitalium virium ita constituto, medicus in curandis febribus omnino spectatorem agere potest. Viscere praecipue nobili nullo peculiarius adfecto, symptomate febrili nullo gravius urgente, nihil est, quod timeat in tali casu; materiae enim morbificae maturationem, si quae necessaria est, crisinque instantem patienter exspectare potest, quin ad heroica recurrendum sit auxilia.

537. Pauperes milleni ex febribus ejusmodi reconvalescunt sine omni medicamine adhibito. Ditioribus, ut aliquid factum fuisse videatur, talia quoque et neutra remedia ex classe diluentium, leniter refrigerantium, atque aperientium porriguntur, quae potius futurum ex inopportune turbata crisi malum praevertunt, quam praesens avertunt. Atque his solis in casibus praxis quondam celebris illa, qua terris absorbentibus, fatuis infusis, aut aquis destillatis, aliisque, morbo revera indifferentibus, remediis febres tractabantur, utilitatem suam praestare, dignitatemque suam obtinere potuit.

538. Sed exacte propterea, quod sub tali moderata

ac sibi penitus sufficiente actionum vitalium in febribus conditione, de futuris malis potius praevertendis, quam praesentibus avertendis cogitandum est, nimia cunctatio et oscitatio in medendo nocivam ignaviam inducere posset. Magna scilicet et in tali casu indicatio restat, organismum ita praeparandi, ut secretionibus bene promotis stases morbosae omnes resolvantur, obstacula circuli omnia amoveantur, atque omnia superficiei colatoria pro instantibus saluberrimis evacuationibus criticis aperiantur.

539. Has operationes praestabit methodus sic dicta solvens, quae universalissimum usum in praxi omnium febrium, specialiores indicationes non offerentium, propterea habet, quod reserando stases in vasis minoribus, secretiones arteriosas expediendo, ac respondentes inducendo absorptiones, febrim, repositis fere obstaculis, irritato organismo mitigat, localia symptomata levat, futura antevertit, crisibus evacuatoriis viam faciliorem parat, sive per diaphoresin, sive per alvum, sive per urinas etc., nocivi ejectionem moliatur natura. Minime enim in voluntate medici est, criticam evacuationem per certas vias parare; sed organismus qua debet, ea eliminat via, suis legibus.

540. Solventium vero medicaminum, quoniam viribus multum relativis ad diversas stasium causas actionem suam exerunt, diversa etiam, et plura omnino genera sunt. Nonnulla edunt virtutem solventem stimulo fere nullo, aut illo levissimo, quemadmodum diluentia, saponacea, mellita, et salina mitiora medicamina, quae nomine digestivorum quondam veniebant. Stimulo autem efficaciori ac irritamento, diverse intenso, agunt alia. Et quidem principio tonico quaedam, uti pleraque amara, siquidem adstringentia non sunt. Alia principio simul diffusibili ac nervos feriente, uti gummiferulacea. Principio quoque subemetico alia, quae nomine alterantium insigniuntur. Alia denique acri principio, prouti varia vegetabilia toxica, e minerali regno sales irritantiores et metallorum oxyda.

541. Horum omnium solventium remediorum vires rite distinguere, ac pro diversitate virium suarum febribus, aut in moderamine servandis, aut juste moderandis, haec re-

media deligere et adcommodare, actionibus vitalibus leviter impetuosis modice infringentia, quidquam et debite irritantia actionibus paululum inertibus, ac indifferentia justis obponere, opus est medici rationalis.

542. Languidis arte redditis actionibus organismi, atque ex gradu exorbitantiae qualicunque in obpositum debilem statum, quin criticus actus finem adhuc imposuisset morbo, tractis, minime cessat febris critica, sed sub obposita debili hac actionum conditione characterem febrilem cum irrito etiam virium conatu ultra defendit.

543. Hac ex ratione ipsae impetuose exorbitantes organismi actiones in febribus, minime ad debilitatem usque sunt deprimendae, sed ad illam justam, quae par sit crisi perficiundae, exorbitantiam moderandae. Quo quidem methodus simpliciter solvens ac exspectativa non sufficit, sed pro diverso impetus gradu diversus gradus adparatus debilitantis requiritur.

544. Impetuose exorbitantes actiones organismi illae dicuntur, quae viribus vitae per stimulorum quantitatem aut qualitatem nimis lacessitis, et quidem in febribus a causa, quae febrim fecit, nimis irritante, motus febriles offerunt excessivos, ac vehementiores omnino, quam qui pro praestanda operatione salubri critica requirantur. (Hypersthenia aliorum, enormitas vitalis.)

545. Ad has enim operationes organismi benevolas minime desideratur immodica et intempestiva virium exorbitantia; imo motus febriles, justo vehementiores, summe deleterios effectus producere possunt in febribus, atque, festinando ad actum criticum fomite febrili nondum maturo, vires ante decretorium tempus delassare, rapido per vasa circulo teneriora organa aut destruere, aut in functione turbare, denique non tantum solidorum detritu nimio, sed et fluidorum dissipatione ac dyscrasia inde genita nocere. Organismus universim violenta ac tumultuaria virium actione in stimulorum morbificorum subactione tantum non praestat, quantum moderato, aequabili conatu.

546. Causae virium in actione vitali exorbitantium sunt irritamenta quaevis, sed quantitate vel qualitate ultra normam incitantia, ac ita excedentia, ut reactionem orga-

nismi vehementiorem producant illa, quae ad sanitatem requiritur moderata. Suntque, uti dictum (§. 305 — 313.), materialia ac immaterialia, et priora tum mechanica, tum chemica.

547. Ast requiritur pro illorum morbifica actione, illamque multum expedit, dispositio aegroti propria; aetas praecipue junior, temperamentum calidius, fibra irritabilior, nervus mobilior, orgasmus humorum major etc.

548. Atque ex cognitis causis praegressis irritantibus diverse validis, computata simul favente validioribus reactionibus dispositione, exorbitantiae motuum febrilium diagnosis tuto desumitur.

549. Sed et symptomata febrium, quae turbas nde excitatas indicant, ad diagnosin hujus virium conditionis conferunt; quo spectant: motus cordis et arteriarum promptus, velox, vehemens; pulsus liberi, celeres, fortes, frequentes, pleni; humorum rubrorum aut abundantia aut orgasmus; turgor vitalis auctus, aequabilis; faciei rubor ac vultuositas; oculorum vivacitas et scintillatio; respiratio gravis, velocitati respondens circuli; calor corporis multum, quin mordax sit, auctus, continuus, aequabilis; cutis multum transpirans, lotii ac alvi excretionibus imminutis; humorum circulantium, sive sponte sive arte excretorum, abnormis plasticitas; vires animales minus fractae, liberiores, constantiores; decursus febris peracutus; typus continens, aut huic proximus, luculentioribus saltem remissionibus non stipatus.

550. Hae jam exorbitantes virium organismi actiones sunt deprimendae, hi justis vehementiores motus febriles sunt infringendi, atque ad illam moderatam exorbitantiam reducendi, qua salubres criticae operationes praestari possint. Cui quidem indicationi facilius satisfieri potest, ac illi, quae debiles actiones erigere, viresque languentes restaurare intendit.

551. Illa autem medendi methodus, quae actiones organismi exorbitantes deprimere valet, duplex etiam est, directa et indirecta. Prior ipsum stimulum morbificum, ceu causam irritationis febrilis, amovet, sed rarius in praxi locum habet. Altera stimulo illo incognito, aut non

amovendo, summam universim aliorum stimulorum minuit, qui incitando organismum, actiones ejus potissimum extollere valent, motusque febriles suo adhuc irritamento exaltare juvant. Haecque medendi methodus dicitur debilitans, aliis refrigerans, antisthenica, veteribus antiphlogistica propterea dicta, quod in morbis inflammatoriis, phlogisticis quondam nominatis, usum maximum habeat ad febrim pacandam.

552. Estque vix non universalissima in praxi febrium, quoniam omnes febres in primo initio sunt irritativae, atque actionum organicarum quamdam exorbitationem plus minus offerunt. Sed in hac ipsa universalitate latet ratio, cur methodus haec summe deleteria etiam in praxi fiat, sive generosior adhibita, sive amplius, quam decet, extensa. Nocet enim omnis medicina morbo major.

553. Pertinent jam ad methodum hanc debilitantem omnia auxilia et remedia, quibus 1) copia et moles humorum circulantium nimis stimulans imminuitur (Evacuantia); 2) quibus systema vasorum ac membranarum, universim in validas oscillationes nimis intentum, retenditur, ac, imminuta fere fibrarum constituentium cohaesione, relaxatur (Emollientia); 3) quibus humores nimis plastici adtenuantur, eorumque orgasmus compescitur (Diluentia). Hisce omnibus vel ipse stimulus morbificus enervatur, vel saltem irritatus organismus detractis aliis stimulis placatur.

554. Evacuantia, quibus humorum circulantium copia et moles minuitur, valdopere deprimunt reciprocas organismi in fluidorum stimulos actiones exorbitantes. Detracta enim humorum qualicunque copia, non tantum moles illorum, et unacum mole mechanicum irritamentum imminuitur, sed etiam summa potentiarum maxime incitantium, et praesertim ipsius stimuli vitalis portio subtrahitur, viriumque expansivarum, quibus contractivae ad respondentes reactiones provocantur, infringitur vigor.

555. His evacuantibus remediis praeprimis venaesectiones, dein emetica, purgantia, diuretica et diaphoretica sunt adnumeranda.

556. Nihil sane evidentius est, quam quod cruoris

circulantis detractio vires languidiores, earumque actiones organicas debiliores reddat; et quidem praesertim per venaesectionem ex vena majori affatim fluens cruor — omni in organismo protinus exerit effectum decrementi sui. Cruor enim est pars vitae et substantiae nostrae organicae; est stimulus vitalis maximus. Inest illi vis vitalis expansiva, atque propterea illius copia ac expansione imminuta, omnes universim reactiones vitales, dum exorbitant, componi debent; quammaxime autem cordis et arteriarum excedens motus sedari, omnium vasorum tensio decrispari, circulique rapiditas inhiberi.

557. Sed inde facile intelligitur, malos quoque effectus inducere venaesectionem ibi, ubi vel nimis generosa instituitur, vel plane non indicatur. Major enim, quam par est, detractio cruoris, vires vitales nimis dejicit, actiones vitales salubres nimis debilitat, crises aut plane praepedit, aut retardat, atque, si ipsius mortis non dederit causam, difficilem saltem reddit convalescentiam, aut posthumos varios languores relinquit.

558. Quare in febribus, ubi necessaria est, ea cum moderatione erit instituenda, ut aliqua, salubribus organismi operationibus desiderata, motuum febrilium exorbitatio maneat residua. Universim nonnisi exacta plurimarum circumstantiarum contemplatio medicum ad venaesectionis usum determinare poterit; quo praesertim spectant constitutio aegri plethorica et robusta, aetas junior, consuetudo ad evacuationes sanguineas, gradus incitamenti febrim producentis, intensio actionum vitae exorbitantium inde pendens, stadiumque morbi. Male faceret, qui ex uno tantum momento, praecipue ex unico arteriarum pulsu forti et pleno, indicationem pro venaesectione peteret. Hi arteriarum pulsus in senibus pessime fallunt, ac soli venaesectionem minime indicant.

559. Repetendae autem venaesectionis indicatio ex omnibus iisdem momentis desumitur, ex quibus primae instituendae necessitas. Roborabunt tamen hanc indicationem effectus venaesectionis antea factae, atque detracti sanguinis phaenomena.

560. Quodsi horum momentorum consideratio detrac-

tionem sanguinis necessariam esse declaret, eo efficacior omnino erit, quo promptius instituitur. Excepto criseos stadio, quod heroicis remediis turbare plerumque non licet, omni omnino tempore febrium venaesectio indicata institui potest. Quoad virium respectum autem si instituitur, magis omnino indicata erit in prima morbi aetate, quam in seriori decursu.

561. Locus, quo instituitur, indifferens est, ubi solum de viribus compescendis agitur; dummodo ex vena majori. Vulgatior in brachio. Modus, quo institui debet, optimus ope lanceolae, vulnere ampliori. Quoad respectum localium adfectionum, tempus, locus et modus eam instituendi variare poterunt; quod specialius in capite de inflammationibus exponetur.

562. Quantitas detrahendi sanguinis in hoc febrium casu illa erit justissima, quae exorbitantes organismi actiones ad illud moderamen redigit, quo, relicta aliqua motuum febrilium energia, criticae operationes salubres praestari possint. Propterea sub exorbitatione virium satius est, sanguinem frequentius et in moderata quantitate, (paulatim minuendo), atque adultis igitur ad octo vel decem Uncias mittere; quoniam semper in potestate medici est, necessariam cruoris detractioncm repetere. Nam exorbitantes debilitandae vires aeque suas poscunt cautelas, quas languentes exstimulandae; nocet praeceps saltus. Et quod maximum est, evitantur tali modo insimul summe nociva ac periculosa in febribus animi deliquia. Sed et aetas aegri respicienda est in determinatione quantitatis detrahendi sanguinis; quoniam infantibus ad plures Uncias sanguis sine vitae periculo mitti non potest.

563. Sanguisugae et scarificationes cruentae, ob exiguam cruoris depletionem, magno earum irritamento non respondentem, sanguini in debilitantem scopum detrahendo non sufficiunt, atque potius locali deplctioni inserviunt. Infantibus tamen tenerrimis ac nativitati propioribus, unica hirudo venae majori adposita, vices venaesectionis agere potest.

564. Altera evacuatio, quae fluidorum in corpore copiam et molem post venaesectionem maxime minuit, atque

post illam exorbitantes vires detracto humorum stimulo quammaxime debilitat, est alviductio per purgantia remedia. Quibus, utut cruor in vasis circulans non eliminetur, educitur tamen magna fluidorum copia, ex sanguine jamjam secretorum, atque ad tubum intestinalem derivatorum, ex innumeris colatoriis in hunc canalem hiantibus. Atque sic stimulorum summa etiam ex hac parte eo magis imminuitur, quod et multa simul ejiciuntur faeculenta irritamina.

565. Quodsi haec evacuatio stimulo leniori perficiatur, cujus vis non ultra tubum intestinalem extenditur, totum simul organismi systema notabiliter laxatur.

566. Uterque hic effectus non ita quidem subitaneus, quam a venaesectione. Depletio autem per alvum diutius persistens fortiusque continuata, aeque magnum etiam debilitatis gradum producere potest, ac venaesectio. Quare eaedem, ac in venaesectionibus cautelae observandae.

567. Purgantia igitur in febribus minime semper ad solam eliminandam colluviem saburralem adhibentur. Quodsi autem et talis adesset, quae febrim aut fecerit aut sustineret, eo efficacior erit purgantium actio per irritamentorum gastricorum directam detractionem.

568. Hae sunt rationes, cur purgantia medicamina generalissimum etiam usum in sanandis febribus habeant; et quidem eorum adplicatio ita dirigi potest, ut vires vitales earumque actiones pro diverso exorbitationis gradu, diverse temperari possint.

569. Purgatio autem duplex est, valida et lenis. Validorum purgantium, praesertim drasticorum, in febribus usus esse vix potest, quoniam, dum magno stimulo agunt, cujus actio trans fistulam intestinalem extenditur, irritationem febrilem augent, aut vero nimis copiosos humores, illosque nimis derepente evacuant, atque organicas vires praecipitanter exhauriunt. Certior tamen erit illorum purgantium in febribus usus, quae lente et mitius, id est, minori cum irritamento agunt, atque laxantium potius, aut vulgo purgantium antiphlogisticorum nomine occurrunt; quo pertinent Manna, Tamarindi, Pruna, Sales medii mitiores, Calomel.

570. Haec ipsa vero vel ita propinari possunt, ut quotidie duabus vel tribus vicibus alvum laxam faciant, per epicrasin ut ajunt evacuando; vel pleniore dosi dari, ut validiores et plures dejectiones, easque modo magis tumultuario producant. Atque ita gradui motuum febrilium exorbitationis exacte ea adtemperare in potestate medici erit.

571. Irritamentum faecum crassiorum clysteribus simul eluendum est, quorum vires vel plane relaxantes ac lubricantes, vel leni stimulo saponaceo aut salino evacuantes reddi possunt pro casus necessitate. His praemissis etiam tanta plerumque in alvum laxiorem jam producitur proclivitas, ut et leviora purgantia scopo evacuationis sufficere possint.

572. Ceterum omnis alvina evacuatio juvatur optime potu copioso diluente, quidquam emolliente, quo simul etiam ex alia parte nimis impetuosis actionibus vitalibus prospicitur.

573. Quemadmodum autem alviductio in febribus non unice ad sordes eliminandas, nec semper ad derivationes ab alio organo instituendas, (uti sub methodo symptomatica dicetur), sed frequenter ad solum impetum febrilem compescendum, scopo humores evacuante, utiliter instituitur, ita etiam eundem in finem non raro a medicis movetur emesis. Vomitu enim non solum irritamenta, in ventriculo hospitantia, eliminantur, sicque directo modo febris impetus interdum infringitur, sed etiam ductus varii, in tractum alimentarem hiantes, emulgentur, atque ex remotis locis adlecti humores evacuantur, eisque excretis actiones febriles exorbitantes indirecto etiam modo infringuntur. Prae ceteris excretio cutanea per vomitum valdopere augetur.

574. Attamen notandum est, sola vires exorbitantes infringendi causa emesin a medicis minus frequenter cieri, quoniam tum emetica remedia irritamento plerumque agunt venenato, omnem organismum vivum vehementer incitante, tum et comitantes vomitum convulsivae concussiones motus febriles plurimum adhuc adaugent. Hinc etiam revera ad adparatum debilitantem et antiphlogisticum stricte

non pertinent remedia emetica, atque vires indirecto potius, quam directo modo debilitant.

575. Praeter nunc commemoratas evacuationes, sanguineam, alvinam et ventriculi, urinarum quoque et sudoris excretiones auctae, energiam virium organicarum deprimere juvant. Sed ea solummodo ad debilitantem adparatum remedia diuretica ac diaphoretica pertinent, quae sine stimulo et circuli augmento has excretiones augent, atque proinde diuretico rum et diaphoretico rum antiphlogistico rum nomine veniunt, motusque febriles non tantum non exaltant, sed potius infringunt.

576. Urinarum excretio aucta universim non multum debilitare solet, nisi boni humores cum urinis evacuentur. Sed tamen ad summam evacuandorum humorum augendam, aut ad omnia potius colatoria excernentia libere aperienda, diuretica antiphlogistica quoque in usum vocantur, ubi humorum evacuatione organismum debilitare scopus est. Talia sunt diluentia et adtenuantia remedia, quorum priora quidem illum maxime aquosum laticem e humoribus eliminant, quem ipsamet subministrant; posteriora vero plastica nimis et crassa fluida dissolvunt ac dividunt, excretiones proinde omnes fere expediunt. Nonnulla tamen etiam horum vias urinarias peculiarius petunt, uti decoctum Althaeae, Nitrum, Cremor tartari.

577. Atque dum ejusmodi remedia magis appellunt ad cutim, ac transpirationem uberius movent, qua aucta omnino vires organismi notabilius possunt debilitari, diaphoretica fiunt sine irritamento organismum exagitante. Quo spectant potus emollientes tepide hausti, addito praesertim Roob sambuci, Oxymele, aut pauco Aceto. Sic et cutanea excretione aucta humorum circulantium stimulus imminuitur, ac ad componendum organismi impetum confertur.

578. Sed omnium horum evacuantium, ac evacuatione humorum debilitantium remediorum indicatio hic solummodo generalis fuit spectata. Specialior in speciali febrium therapia perlustrabitur.

579. Emollientia et relaxantia remedia, omni

stimulo irritante destituta, solidas partes reddendo flaccidiores, nimisque tensas decrispando, vitales actiones reddunt debiliores, motusque febriles exorbitantes deprimunt; hinc ad debilitantem adparatum pertinent. Spectabunt huc decocta cerealium, hordei, avenae, similia decocta radicum ac herbarum mucilaginosarum, infusa ejusmodi florum, emulsa etc. Haec autem debent esse ita diluta, ne nimis nutriant, aut plastico abundantiore principio humores faciant crassiores.

580. Demum etiam illa adparatui debilitanti adnumeranda sunt remedia, quae humorum vel orgasmum, vel densitatem et plasticitatem nimiam minuunt, atque, imminuta inde eorum resistentia ac actione, reciprocas solidi vivi reactiones infringunt. Haec proprie refrigerantia dicuntur, atque inter potentias generales sedativas ad febrium curam necessarias, magnam defendunt auctoritatem. Potus diluentes ac adtenuantes, omni stimulo ac irritamento carentes, praeprimis huc sunt referendi.

581. Aqua, uti basis omnium diluentium, etiam in febribus potentiam summe refrigerantem sistit, egelida praesertim, aut illo moderato imbuta caloris gradu, ut nec frigida spasmos inducat, nec calida nimis aestum febrilem augeat. Deperditum simul febrili calore laticem aquosum restituit, ac sitim urgentem fallit, salubrique instinctu spontaneo avide adpetitur. Acido vegetabili, aceto, succo citri, fructuumve aliorum acidulorum moderate ac eo gradu impraegnata, ne stipticum principium aegre adficere possit solidum irritatum, placat febrim, turgescentes humores componit, corruptioni ac dyscrasiae eorum prospicit. Tantum humoribus in omni febre favet ejusmodi potus, quantum solidis irritatis emolliens. Hinc utrique blandientes, egregie commiscemus decocta vegetabilium mucilaginosorum, ac praesertim cerealium, cum aceto aut oxymele, aut cum oxysaccharis et syrupis acidulis diversis. Qui potus etiam libenter ac affatim hauriuntur a febricitantibus aegris.

582. Adnumerari quoque possunt remediis hisce refrigerantibus potus leviter saliti, neutro sale non nimis irritante impraegnati. Et quidem inter hos sales praeprimis

Nitrum virtutem defendit summopere refrigerantem, calores compescentem, humores adtenuantem, secretiones arteriosas expedientem, quin alvinam et cutaneam tumultuose augeat excretionem. Moderata autem dosi exhibendum, cum nimia dosi morbose irritare, nimis parva autem nihil praestare valeat.

583. Aliorum vero medicaminum, occurrentium nomine refrigerantium, virtus ac agendi ratio nimis relativa est ad diversam organismi irritati conditionem. Sic v. g. Opium sub certis circumstantiis refrigerantes aut sedativas vires exerere potest, quas tamen absolute ac in quovis exorbitationis vitalis statu non exerit.

584. Ceterum, prouti in febribus faciendis, ita etiam in illis curandis potentiae diaeteticae maximi valoris sunt. Hinc omnis haec debilitans et refrigerans therapia debet simul adjuvari aut suffulciri consentaneo regimine diaetetico, ad eundem medendi scopum correspondente. Quo spectabit ingestorum, gestorum, rerumque aegrum ambientium ratio talis, quae virium exorbitantium vigorem imminuere, atque reactionum vitalium vehementiam deprimere valeat.

585. Primum in hoc regimine locum defendit aër, tum pulmone inspiratus, tum cutem alluens. Qui, ubi aeger stimulis, violentas virium reactiones provocantibus, irritatus est, ita constitutus esse debet, ut nullo frigoris aut caloris excessu, heterogeneorumve miscela, aut alia quacunque prava conditione irritamentorum summam adaugeat, sed moderata, quantum licet, temperie et qualitate, exorbitantis vitae actionem compescere adjuvet. Optimus talis aër erit, qui purus, non siccissimus, quoad temperaturam gradui decimo quarto supra zerum in Thermometro Réaumuriano proximus, vicissitudine non alternans. Calor immodicus orgasmum febrilem auget.

586. Victus irritans, stimulans, in hoc casu nocivus. Omne alimentum solidnm et crudum non tantum summopere irritat febricitantes, sed et neque digeritur a laesis viribus adsimilantibus. Hinc in victu summum moderamen necessarium est apud aegros, febri detentos. Quodsi organismi reactiones sunt exorbitantes, detractio virium potius,

quam augmentum desideratur. Hinc satius abstinebunt ejusmodi aegri ab alimento largo, nam scopus in hoc casu non est, nutriendo vires extollere.

587. Quoniam vero talis abstinentia, quin ex inedia pravi nascantur humores, diu protrahi tuto nequit, diligenti saltem ciborum delectu cavendum est, ne noxa ex adsumtis stimulis oriatur. Jura carnium tenuia et meraca, panatellae tenuiculae, cremores avenae aut hordei, pauco aceto aut citri succo conditi, optimum sistent refrigerans alimentum; quod ipsum nonnisi illo tempore, quo impetus febrilis lenior est, exhibendum. Crisibus peractis, atque adpetitu sponte, nec spurio vigente, ad paululum solidiora nutrimenta ex oleribus tenerrimis, fructibus coctis, parce et saepius propinanda, adscendere licebit. Pessimus mos est persuadere febricitantibus invitam ingurgitationem.

588. Maxime autem utilitatis ac necessitatis in febribus est potus, pro virium morbosa conditione apte selectus, perditos humores resarciens, ac spontaneum explens desiderium bibendi. Et quidem sub exorbitante virium organicarum actione requiritur potus copiosus, diluens, submucilaginosus aut acidulus, egelidus, utut spurius adpetitus sit ad frigidum, qui sitim pro momento fallit, serius autem molestias gignit alias. Spurio ad vinosum potum instinctui indulgendum erit, ubi tenax urget adsuetudo; sed plurima aqua erit diluendum paucum vinum, illudque acidulum. Notare hic convenit, substantias spirituosas et austeras, quae meracae sumtae summopere stimularent, acetum, vinum, alcohol, ipsaque mineralia acida, dum copiosissimae aquae parce instillantur, potum sistere vere refrigerantem, eandemque offerre in conditione sua concentrata ac diluta differentiam, quae inter camphoram magna dosi exhibitam, ac auram levissimam camphoratam obtinet.

589. Dein corporis motus omnes, maxime illi, qui propriis musculis perfici debent, vitandi sunt in virium vitalium exorbitante actione; isque aegris situs est deligendus, sub quo paucissimi musculi agant, et nec unus quidem diuturna contractione defatigetur. Hinc et a multa sermocinatione, utpote respirationem incitante, abstinendum.

590. Mentis etiam exercitatio corpus mirum in modum

stimulare valet, ideoque omnis ad cogitandum animi nimia adtentio, ejusve, pathematicam perturbationem excitantes, impulsus, quanta fieri potest cura, debent vitari.

591. Somnus aegri et vigiliae, quoad a medici potestate pendet, in febribus caute dirigi debent, ut nec somno nimio aeger obruatur, nec vigiliis protractis irritetur.

492. Externorum ergo sensuum impulsus, utpote organismum exstimulantes, ejusque vim agendi incitantes, vitari sedulo debent, illi potissimum, qui vehementiores sunt, et qui molestias aut dolores inducunt. Quare exorbitante virium impetu febricitantibus seligitur locus obscurior, vitatur strepitus, avertuntur odores fortiores et calor lecti nimius; ac denique, ne tactus totius corporis ingrato sensu aut adficiatur, aut irritetur, mundities summe possibilis circa aegrum observatur, atque amovetur omne, quod stimulo suo febrim adaugere posset. Quod tamen, de omni impressionum genere vitando, praeceptum exceptionem admittit ibi, ubi, ob somnolentiam nimiam aut delirium aegri, externis fortioribus impressionibus debiliores morbosas, ab intus venientes, elidere necessum est, et ubi solitae saltem res, aegrorum sensibus objectae, mentem ab imaginationibus morbose praesentatis avocare non valent.

593. Sed haec omnia de regimine diaetetico hic adnotata non sine sale sunt accipienda, propriaque medicorum prudentia ad praxin adplicanda; nam universim diaeteticae regulae aegrorum aetati, constitutioni et consuetudini, anni tempori, climati etc. sunt adcommodandae, imo frequenter ex observata jam adhibitorum effectu dirigendae, habito simul ad causas, intensionem et stadium morborum respectu maximo.

b.

ACTIONES VITALES DEBILITATAE.

E. Nicolai Diss. de debilitate vera et spuria. Jen. 1791.
A. G. Klose Comment. de debil. vera et spuria. Lips. 1792.

594. Actiones organismi vivi debilitatae dicuntur illae, quae, qualiscunque esset earum frequentia,

minori peraguntur energia, quam, non tantum ad perficiendas pro normali sanitatis statu functiones, sed quammaxime ad peragundas ipsas salubres organismi operationes in febribus requiritur. Non excludunt ideam febris, ipsiusque febris irritativae, nam utut debiles in hoc casu sint febriles motus, nisus tamen actionum organicarum morbose auctus, subplet ipsum morbosum earum impetum.

595. Prouti in statu reactionum, febriliter exorbitantium, non omnes semper simul actiones organicae sunt exorbitantes, ita in statu debilitatarum vel non absolute omnes, vel illae omnes saltem inaequaliter languent. Sic v. g. ipsa pulsuum arteriosorum conditio non semper respondet debilitati aliarum actionum vitalium in febribus, et notum jam veteribus fuit, pulsu fere vigente debilitatem febricitantibus esse posse lethalem.

596. Debilitantur autem actiones organicae in febribus triplici ex ratione; nempe vel ex organicis viribus subpressis, vel ex viribus languentibus, vel ex viribus exhaustis. Mortem enim nonnisi defectus omnium organicarum virium ponit.

597. Quaevis harum debilitatum propriam agnoscit medendi rationem, qua ita revocantur ad munus suum vires, ut criticas operationes praestare possint.

a.

DEBILITAS FEBRILIS

ex viribus subpressis.

598. Vires subpressae aut obrutae dicuntur, quae, utut minime deficientes, ita tamen in libertate ad praestandas functiones organicas sunt impeditae, ut nec ad sanitatem requisitas, nec pro operatione critica in febribus necessarias reactiones peragere valeant.

599. Obstaculum scilicet ex parte potentiarum agentium in hoc casu positum est nimium, quam ut vires organicae, sub optimo ceterum conatu, debita reactione respondere possint. Neque hoc obstaculum, qualecunque esset, moles iners est. Ipsa enim resistentia quaevis subpo-

nit vim resistentem, quae ergo in hoc casu superat ac obprimit vim reagentem. Quemadmodum igitur elasticae, aut aliae physicae vires in conflictu cum obpositis fortioribus debilia ac insufficientia molimina exerunt, ita etiam organicae. Sic v. g. arteria sanguine nimis plena, musculus fortissime ligatus, aut pressus, aut extensus denegant motum, quin careant ideo vi motrice, quae mere obruta est, et quam exerunt illico, renixu nimio amoto.

600. Si duae tantum vires, ut res clarius patescat, ad motum vitalem organicum oscillationibus suis reciprocis peragendum sufficiunt, expansiva in fluidis, ac contractiva in solidis partibus, praevalente nimis vi expansiva subprimitur vis contractiva, atque versa vice, nimis validis viribus contractivis obruitur expansiva vis. Alterutrum in febribus frequentissime laedit motus vitales organismi, et actiones inde pendentes. Quae tantum actiones organicae tunc fiunt debiles, vires enim ipsae non sunt debiles.

601. Languent igitur ex his rationibus, aut plane inhibentur functiones physiologicae vel singulae, vel omnes, atque diversorum motuum vitalium frangitur energia. Haec vere ex snbpressis viribus orta actionum debilitas, realis non est, ac illo momento evanescit, quo vires liberantur a resistente obstaculo. Propterea hanc debilitatem spuriam nominarunt pathologi, nomine quidem inepto, sed meliori ab aliis nondum substituto, nisi illegítimae debilitatis placeret denominatio. Differt enim penitus a debilitate legitima, vera et reali, in qna vires organicae reapse sunt imminutae, atque a debilitate indirecta incitabilistarum, in qua vis vitalis reagens exhausta est, ubi econtra in spuria debilitate nec est imminuta. Hinc debilitas indirecta pro correctione sua requirit stimulos fortissimos, quibus spuria debilitas adaugeretur. Atque optimum debilitatis spuriae exemplum, quod et differentiam ab indirecta debilitate planam et apertam facit, offert debilitas inebriatorum potu spirituoso.

602. Effectus deleterii, qui a virium vitalium subpressa actione in febribus producuntur, plurimum in eo consistunt, qnod molimina organismi in liberis operatio-

nibus praepediti, insufficientia fiunt ad crises salubres perficiundas. Accedit, quod et inde stases morbosae humorum facile generentur in organis vitalibus, et quod ipsa medicaminum actio, reactionibus vitae minus respondentibus, aut fere silentibus, non obtineatur desiderata. Denique, quod virium supressio diu persistens, a spuria debilitate ad veram virium debilitatem ducat; nam, ab obstante actionibus suis impedimento diu non liberatae, vires pressae jacent, ipso fere conatu indefesso delassantur, vel exhauriuntur, cum vires organicae universim nonnisi continuis actionibus ac assiduo exercitio in potestate sua conserventur.

603. Causae subpressionis virium sunt obstacula illa, quae viribus invincibilia, has obruunt, atque sufficientem earum reciprocam actionem sive in solidis, sive etiam in fluidis impediunt.

604. Solidi vivi actionem in fluida subprimunt, fluidorumque resistentiam morbose augent: a) Plethora vera, tanta scilicet humorum copia et moles, quae viribus in eos reactricibus nec debite propelli, nec in secernentia organa rite dispesci possit, sed actionibus cordis, arteriarum ac pulmonum talem renixum ponat, qui tum solitis, tum et fortius incitatis vasorum viribus vinci nequeat. Et quidem haec plethora non tantum sanguinolenta, sed et serosa, lactea etc. esse potest. b) Plethora spuria, sive ab humorum orgasmo ac nimia expansione, sive a vasis coarctatis vel abolitis quoad spatium oriunda, sive in singularibus visceribus per morbosas congestiones producta. Inde subpressio virium vel universalis, uti ex orgasmo per potum spirituosum, per caloricum nimium, per corporis exercitium immodicum, per animi pathema impetuosum etc., inducta; vel et localis ex orgasmo et turgore morboso locali; aut ex topica plethora, quae aeque spuria ac vera esse potest. c) Obpletiones digniorum viscerum aut organorum heterogeneis diversis: purulento abscessu, sero, calculis etc. Inde iterum vel universalis, vel partialis virium subpressio. Localem virium subpressionem organa obpleta minus digna adducunt, dignissima universalem. Nullum autem organum obpletum et extensum ita vires organismi universi subprimit, quam ventriculus et intestina; tum ob sensibilitatem

suam maximam, tum ob summam cum reliquis omnibus organis philadelphiam, tum ob peculiarem dignitatem in systemate vitali, a physiologis non sufficienter aestimatam. Excessiva ergo alimentorum et potulentorum copia in ventriculo et intestinis, sordes biliosae, mucosae, verminosae etc., maximam debilitatem universalem producunt, mox autem evanescentem sub evacuatione onerantis molis, vel spontanea vel artificiali.

605. Fluidorum vires elasticas ac expansivas, ipsumque eorum motum intestinum vitalem obruunt, atque resistentiam ac renixum solidi vivi nimis ac morbose adaugent: a) Mechanica repagula, partium videlicet solidarum mollium strangulationes, pressiones etc., quibus, necessaria ad actiones vitales, fluidorum vis expansiva includitur. b) Rigiditas, occallescentia aut et ossefactio partium mollium, fluida coërcentium. c) Spasmi vasorum ac membranarum, qui quidem in febribus frequentissima causa virium vitalium subpressarum sunt, cum solidi vivi morbosa contractione nimia motibus fluidorum vitalibus resistentia ponatur, eaque non raro pertinax, certo plerumque typo durans, quo finito et sponte restituitur omnis, reciproce oscillantium, partium libertas. Praevalentibus denique quocunque alio modo contractivis solidarum partium viribus, reciproca fluidorum vis expansiva semper subprimitur ac obruitur; et quidem pro data causa vel in singularibus tantum organis, vel in toto vitali systemate.

606. Sed praeter has causas, quae plurimum circulatorii tantum ac secretorii systematis actiones vitales laedunt, aliae quoque dantur, quae praesertim obruunt vires nervosas, et quarum agendi ratio eo minus intelligitur, quo magis nos latet physiologica nervorum functio, ac dynamicarum potentiarum notio universim. Huc v. g. spectant: venena narcotica et stupefacientia, miasmata diversa nervos peculiari modo pessumdantia, dolores vehementissimi, pathemata animum consternantia etc.

607. Ex justa jam scrutatione omnium harum causarum, atque ex praegressarum aut sublatentium justa cognitione, debilitatis, si quae in febribus obtinet illegitimae, diagnosis erit capienda. Quam roborabunt defectus an-

tecessarum potentiarum, veram ac legitimam debilitatem inducentium, nec non dispositionis ad veram debilitatem absentia.

608. Porro ipsa symptomata morbosa bene considerata, ab illis verae debilitatis omnino differentia, diagnosin hanc quoque confirmabunt. Talia prae ceteris sunt: habitus totius organismi laetior; turgor vitalis non imminutus, imo adauctus, virium realem defectum minime indicans; oculi non languidi; thorax non libere mobilis; pulsus arteriarum, utut ictu fallaciter debiles, attamen pleni, arteriis fere in assidua diastole versantibus, systole obscura, aut et contracti, sed minime vacui, in utroque casu destituti libera oscilatione, ac fortitudine non respondentes turgori vitali; excretiones praepeditae; calor cutis non mordax; ad motus animales voluntarios inertia quidem, sed illa devicta robur insigne et constans; debilitas non ad omnes actiones organicas aequabiliter dispertita; nam rariores sunt illi casus, ubi vires in omni systemate sunt subpressae, atque in his casibus etiam diagnosis illegitimae virium debilitatis ex symptomatibus febrilibus est difficilior.

609. Denique haec diagnosis etiam confirmatur, si remedia excitantia ac roborantia, in dosi non excedente adplicata, morbi ac debilitatis jam augmentum faciunt, deplentia autem levamen aliquod et virium reditum adducunt.

610. Has jam subpressas vires vitales oportet liberare, e servitute vinculorum emancipare. Quod quidem longe difficilius negotium est, quam exorbitantes compescere; atque non una ubique, sed diversa therapia praestatur.

611. Interdum subpressae vires semet ipsae liberant, summo conatu graviter commotae in explosionem erumpentes, ratione non facile intelligenda, nisi typus, spasmum aut orgasmum certo tempore finiens, huc fors contribuat. Sed hos salubres motus tuto medicus non semper expectare potest; imo mature suppetias intendere debet, ne irrito assiduo conatu inclusae vires exhauriantur.

612. Quo unice conferre poterit ablatio eorum obstaculorum, quibus reciprocae vel solidarum vel fluidarum partium reactiones praepediuntur in libertate sua. Illa autem obstacula, quorum ablatione libertas horum vitalium

motuum restituitur, sunt probe cognoscenda et determinanda, ne hypothetica, atque propterea vel insufficiens vel perversa medela adhibeatur.

613. Ubi plethora in causa est, venaesectio maximum remedium erit, praesertim si universalis virium subpressio ex plethora universali. Tunc nempe, per omne systema sentiendae, requiruntur depletiones. Ipsa plethora spuria et orgasmus humorum has depletiones, sub usu reliquorum refrigerantium remediorum, petit. Moles enim et resistentia nimia sanguinis detractione hujus imminuitur, spatium humoribus augetur, solidae partes in minus resistentem humorum massam felicius ac liberius reagere incipiunt, hinc pulsus subpressi ac fictitie debiles sub ipso adhuc sanguinis fluxu toties jam exsurgunt, liberi et fortiores evadunt, respiratio obpressiva adlevatur, pulmone considente ac pectoris mobilitate liberiori reddita, atque omnes excretiones ideo expediuntur; et haec omnia adeo brevi interdum temporis momento, ut illico aeger ex functionum organismi libertate refocilletur. Hoc respectu ipsa venaesectio cardiaci remedii nomine digna erit. Sub locali plethora aut congestione, localis depletio in obruto organo idem praestat.

614. Si ab heterogeneis, in nobili aut viscere aut alio organo haerentibus, virium actio subprimitur, illorum ablatio, et eliminatio pro viribus restituendis erit necessaria. Abscessus aperiendi, aquae emittendae, calculi, si fieri potest, exscindendi, sordes ventriculi aut intestinorum, sursum aut deorsum eliminandae.

615. Hoc tamen notandum, in casu virium ab humorum resistentia subpressarum validiores et promptiores depletiones requiri, quam in casu virium exorbitantium, ubi et leniores evacuationes vires deprimere, ac, per gradus iteratae, ad desideratum justi moderaminis gradum redigere possunt. Subpressae organicae vires eo felicius liberantur, quo promptius morbosa actionibus vitalibus resistentia aufertur; diutius autem inclusae, ac non cito liberatae, languere incipiunt, diutius languentes exhauriuntur, atque serius ita abolentur, ut reagere penitus cessent. Unde desumendum, vim vitalem organicam a viribus physicis

elasticitatis, adtractionis, gravitatis etc., penitus differre, atque ad similes facultates plane reduci non posse.

616. A generosis autem depletionibus caute abstinendum erit, ubi vires vitales jam ita diu inclusae fuerunt, ut illis jamjam languentibus illegitima debilitas in veram ac legitimam sit transitura, quod quidem ex signis verae debilitatis intrantis cognoscitur. Tunc enim non tantum sanguinis, sed et morbosorum humorum tumultuaria detractio nociva fit, quod sub jactura virium, ad ipsum animi deliquium increscente, sentiunt illi aegri, quibus nimis magna quantitas puris ex abscessibus apertis, aut nimia aquarum moles per paracentesin derepente evacuatur.

617. Mechanica repagula, si causam virium subpressarum sistunt, quantocyus sunt amovenda, stricturae, strangulationes, pressiones solvendae etc. Ita et solidorum nimis resistentium rigiditas, quantum fieri potest, relaxanda erit, ubi causam virium subpressionis offert.

618. Si vero a spasmis diutius persistentibus, potestati reactrici grave obstaculum ponentibus, vires vitae in actionibus suis subprimuntur, ab illis quidem remediis liberantur, quae spasmos solvunt. Sed arduum plerumque negotium est, hos spasmos resolvere, typo illorum nondum finito. Si causa eorum cognita est, et amoveri potest, in ipsa causae ablatione directo modo optima medela habetur. Si vero, quod frequentissime obtingit, natura spasmorum incognita est, et directae medelae locus non datur, uti in febribus, ubi spasmus aut cutaneus, aut vasorum, aut viscerum variorum et saepe nobilium vires reactrices coarctat et subprimit; tunc virium libertas, quod multo difficilius est, indirectis solum auxiliis restituenda erit.

619. Praeter diversa, solidum vivum morbose contractum decrispantia, auxilia, quo aequabilis humidulusque partium decrispandarum fotus, et pharmaca relaxando aperientia in febribus prae ceteris spectant, conducit saepe in hoc casu, et, prioribus insufficientibus, unicum vix non remedium est revulsio; dum scilicet fortiori impressione in loco apte determinato, minor impressio, quae spasmum fecit, elidi-tur, atque non tantum humorum major adfluxus, sed et nervorum adtentio ad dissitam quamdam regionem figitur.

Quam methodum medendi etiam antagonisticam vocant, et quae nititur tum humorum derivatione ad loca magis irritata, tum, observatione comprobatis, organicarum partium unius pro altera actionibus vicariis. Quo spectat usus remediorum revellentium, rubefacientium, vesicantium, ac ipsius cauterii in casu desperato.

620. Ast non raro his omnibus auxiliis tamen non liberantur vires organismi nimis obrutae. Et quoniam causae vim vitalem pessumdantes saepe etiam immateriales sunt, nec materiales omnes adhuc cognitae, nec cognitarum morbificae actionis ratio ita intellecta est, ut effectus deleterii, inde oriundi, semper emendari sciantur, hinc et therapia hujus virium conditionis difficillima est, et plurimum adhuc manca. Leges enim dynamicae organismi nostri universim obscurae sunt, virium autem subpressarum ratio obscurissima; ob doctrinam hanc plurimum neglectam, toties sophistice impugnatam ac male defensam, vitiosissimis denique theoriis toties confusam.

621. Non infrequenter causae speciales, et quidem, prouti narcotica, aut alia illis analoga venena, ita et miasmata tum contagiosa, tum e paludibus exhalantia, vires vitales peculiari modo obprimunt, earumque emancipationem, ob nosogeniam mali obscuram, difficillimam reddunt.

622. Opportune hic loci commonere juvabit, spuriam, ex hac virium conditione ortam debilitatem, cum vera ac reali inepte commutari saepissime, illis praesertim in febribus, in quibus symptomata nervosa evolvuntur. Horum enim adparitio plures medicos in errorem subpositae debilitatis verae rapit, utut certa experientia constet, sub virium vel exorbitante vel et subpressa conditione, symptomata nervosa quaevis, ipsasque convulsiones, exemplo sit variolosa febris, sine debilitate virium reali comparere posse.

623. Vires enim nervorum more aliarum vitalium organicarum subprimi possunt ac obrui, debilitatemque nervorum spuriam aut illegitimam inducere, quam praesertim in febribus miasmaticis frequentissime observare licet, et quae, nervis vel sub actu critico, vel sub typi fine liberatis, non raro et sine medicaminum auxilio iterum cessat.

624. Haec debilitas nervosa, ex peculiari nervorum pessumdatione orta, laesionibus omnium nervosarum virium ac facultatum se manifestat; praesertim virium muscularium voluntariarum inertia, involuntariarum incontinentia, sensuum stupore, sensorii communis in percipiendo, reflectendo, volendo tarditate.

625. Aliquam igitur cum somno analogiam agnoscit. Nam aliarum, praeter nervosas, organismi functionum vigor aut illaesus, aut minus fractus persistit, quod praecipue de negotio circulationis ac secretionis humorum valet. Atque hae sunt febres, sub quibus aegri moriuntur pulsibus ac urinis bonis.

626. Non immerito haec species debilitatis vitalis nominatur debilitas cum stupore, quoniam stimulis adhibitis adaequata energia vix respondent reactiones vitales organicae sub hac debilitate. Minus apte debilitas indirecta diceretur, quoniam vires reapse non sunt exhaustae praegressis stimulis, sed illis tantum obrutae, atque non exstimulatae ad liberas actiones redire, ac fere sponte iterum exaestuare possunt, parantes tunc crisin salubrem, prosperumque eventum.

627. Haec ipsa debilitas ergo toties statum nervosum symptomaticum in febribus constituit.

628. Therapiam sub ita ignotis rationibus nervorum pessumdatorum difficilem esse, dictum fuit. Nisi antidota obponi sciantur cognito toxico fors peccanti, indirectis quoque tantum auxiliis erit insistendum. Nervis gratiorem alienamve impressionem conciliando, funestior erit delenda, et quidem, si fieri poterit, obpositis qualitate stimulis systema nervosum erit feriendum; illis generatim legibus observandis, quibus nevroses in genere sunt curandae. Stupori universim autem acrioribus potius stimulis erit prospiciendum, quam volatilibus.

β.

DEBILITAS FEBRILIS

ex viribus languentibus.

629. Vires organicae languentes dicuntur illae,

quae quidem, si de quantitate earum loqui licet, non deficiunt, nec imminutae sunt, debiliores tamen oscillationes, quam pro sanitatis justo gradu ac pro salutiferis in febre operationibus requiruntur, ea ex ratione peragunt, quod deficiunt sufficientes stimuli, quibus ad vivaciores reactiones excitarentur. Inde non sat exstimulatae fere quiescunt torpidae ac semiotiosae, justo tamen incitamento iterum provocandae, diutius autem illo absente penitus extinguendae. Vires enim organicas nonnisi assiduo exercitio in debito vigore conservari, constat.

630. Sub hoc languore virium, motus vitales omnino minori energia perficiuntur, oriturque inde debilitas actionum vitalium vera et realis. Quae, quoniam conceptu ac correctu facilior, ex stimulorum defectu orta, atque emendanda eorum justa adplicatione, debilitas simplex, neotericis directa, ob inertiam virium torpida, etiam debilitas cum erethismo dicitur, quoniam summa in stimulos perceptibilitate stipatur.

631. Ejus gradus in febribus et in aliis morbis possunt esse diversi, a minima lassitudine usque ad asphycticam adynamiam.

632. Utut sub hac debilitate simplici magna sit virium aviditas ad stimulos percipiendos, reactiones tamen virium organicarum languentium non semper superant vi ac intensione actiones stimulorum adhibitorum, uti hoc sub virium exorbitantium conditione in casu est. Nam universim et languor virium non semper aequabiliter per omnia systemata organismi est diffusus, unde singulae actiones organicae etiam sub reali debilitate interdum vigere observantur, prouti econtra pluribus vigentibus singulae languere. Inde ergo diversa illa diversorum organismi systematum in stimulos percipiendos et dispositio et reactio.

633. Quodsi deficiant stimuli sufficientes ad justam reactionem virium languentium producendam, irritus tamen ad motum vitalem illis inest conatus, quo frequentia oscillationum organicarum saepe resarcire intendunt, quod energiae deficit. Inde ergo etiam toties sub hac debilitate reactio vitalis crebra, utut non valida.

634. Male hanc debilitatem organicarum actionum

nonnulli pro causa proxima febrium agnoverunt; eam vero potius effectum febrium fieri (§. 356), aut laterali modo accedere, neque irritativae febris ideam propterea excludere (§. 351.), jam fuit declaratum.

635. Ipsamet iterum alios secundarios et deleterios effectus in febribus producit. Vires enim languentes justis febrilibus motibus provocandis impares sunt; hinc debilitas actionum, inde orta, praepedit imprimis debitam fomitis materialis irritantis subactionem, stases humorum in diversis organis et praesertim periculosas in nobilibus facit, proinde operationes organismi salutiferas criticas aut plane inhibet, vano ac insufficiente conamine funestos eventus permittendo, aut salubres crises saltem retardat, vel imperfectas reddit, nec non in ipso decremento febris, atque in convalescentia anomalias adhuc parat. Accedit, ex debilitate actionum organicarum etiam humoribus dyscrasiam induci, ex qua iterum posthuma mala diversissima prosiliunt. Atque diutius languentes vires, vitali stimulo diutius non exercitatae, demum plane exstinguuntur. Haud inepte enim Chemiatri vitam organicam animalem cum ardente candela compararunt, cujus flamma, denegato pabulo ignis, prius languescit, demum autem exstinguitur sub conatu fere convulsivo.

636. Causae debilitatis simplicis ac virium organicarum languoris tum in quadam jam propria organismi dispositione, tum in defectu stimulorum pro justis vitalibus actionibus requisitorum, sunt quaerendae.

637. Datis quidem causis debilitantibus validioribus quivis hominum, et quovis tempore in hanc debilitatem dispositus est; magis tamen exaltant hanc dispositionem: compages organismi delicatula, educatio mollior, habitus femineus, vitae genus non laboriosum, victus miser, parcus, mala nutritio, humorum bonorum inopia, turgor vitalis modicus ac inconstans, pathemata animum deprimentia, morbi praegressi etc.

638. Causae hanc debilitatem excitantes sunt: a) Defectus justae quantitatis stimulorum vitalium, uti dispendium humorum per venaesectiones, haemorrhagias, diarrhoeas, sudores, suppurationes, pollutio-

nes etc. Subtractio nutrimenti, calorici, lucis, pabuli aërei; neglectus exercitii muscularis; apathia animi. b) Defectus justae qualitatis stimulorum vitalium, uti humorum circulantium ac secretorum inertia aut dyscrasia; aëris inspirandi ac cutem alluentis vitiosa conditio, praesertim oxygenio deficiens, humida, frigida, (frigus enim organicam compagem quidem roborat physico modo, dynamico autem vires labefactat); victus pravus, non sufficienter nutriens nec vires reficiens; animi depressio sollicitudine, moerore, vigiliis etc. Rarius una, saepius plures ejusmodi potentiae nocivae virium languorem adducunt.

639. In febribus autem, et quidem effectivo modo ex ipsa febri, debilitatem simplicem praecipue generant: duratio morbi, detritus solidorum, humorum dyscrasia, delassatio virium impetu aut conatu diu agentium, gangraena organorum internorum.

640. Diagnosis debilitatis simplicis, ex virium languore in febribus exortae, utplurimum desumitur ex cognitione harum causarum praegressarum, aut sublatentium momentorum, ex parte febris huc contribuentium; attamen et symptomatum morbosorum consideratio multum etiam huc confert.

641. Haec symptomata verae, sed simplicis debilitatis sunt: habitus aegrorum proprius, debilis ab omnibus dictus; turgoris vitalis imminutio aut absentia; faciei collapsus et pallor cum oculorum languore; virium animalium lassitudo magna, nec optimo conatu facile vincibilis; hinc inertia ad motus voluntarios, eorumque energia fracta, perstante interim magna irritabilitate et sensibilitate seu erethismo, atque mentis plerumque serenitate, capite tamen facile vertiginoso, caliginoso; digestionis, adsimilationis ac secretionis universim negotium infirmum, excretionibus plerumque auctis; sitis non intensa; lingua ac cutis humida; respiratio plerumque placida, sed citatior et non profunda; motus cordis ac arteriarum debilis; pulsus veloces, molles, parvi; actionum vitalium universim imbecillitas ac inconstantia, fibrarumque tremula magis quam energica motitatio. Attamen singula ejusmodi phae-

nomena nequaquam securos characteres hujus debilitatis sistunt, nisi plura simul conveniant.

642. Confirmabunt hanc diagnosin deleterii effectus remediorum minime debilitantium, excitantium vero optata ac prompta actio.

643. Hae jam vires organismi languentes sunt erigendae, et quidem in febribus eousque, donec motus febriles ad moderatam exaltentur exorbitationem, qua salutiferae febriles operationes praestari possint. Atque thérapia hanc indicationem explens, debilitatemque veram simplicem corrigens, dicitur excitans, absoluto respectu cardiaca.

644. Deposcit remedia nutrientia analeptica, pharmaca tum stimulantia diffusilia, tum tonica roborantia.

645. Nutrientia analeptica vires reficiunt, quoniam non tantum resarciunt deperdita fluida chylo recenti et bono, vasa implent, humorum vitalium recentem secretionem producunt, sed et solidas partes detritas et deperditas restituunt, ipsosque nervos refectione, interdum momentanea, refocillant.

646. Huc spectant prae aliis jura carnium concentrata; dein omnis reliquus victus plasticus digestu facilis; mucilagines hordei ac oryzae; gelatinae animales aromate grato impraegnatae; jura vinosa cum vitello ovorum, et quod summe analepticum simulque nutriens est, vinum bonum cum pane bis cocto. Quae omnia crebrius et parciori dosi, ac tali copia et consistentia debilibus aegris sunt exhibenda, qua debilem ventriculum minime gravent. Quare, in febribus saltem, carnium utut teneriorum, ovorum etc., usus non generatim, et nonnisi maxima sub circumspectione laudandus esset. Viribus enim adsimilantibus labefactatis aeger hujuscemodi alimento quidem infarciri, minime autem nutriri posset.

647. Pharmaca stimulantia diffusibilia viribus vitae languidis exaltandis summopere sunt idonea, quoniam stimulo suo volatili ad omnia organa prompte penetrantia, reactiones universi organismi vivaciores provocant, nervorum systema lacessunt et restaurant; atque

irritato solido vivo ipsos humores in actione sua vitali erigunt, et in mixtione sua emendant.

648. Haec ipsa in febribus vires vitales peculiarius expediunt, debiles febriles motus coctioni aptant, salutiferos conatus organismi adjuvant.

649. Nonnulla eorum, calorici aut electricitatis fere adinstar, divisibilitate sua per inorganicos etiam poros promptissime pervadunt omnia organa, quin viam circuli insistant. Ita moschus, camphora, ammonia, naphthae, quo principio et acida mineralia edulcata, et ipsum vinum atque generosum acetum vires suas analepticas exerunt. Alia ad solos fere nervos penetrant, uti flores naphae, tiliae, macis, herba melissae, substantiae quaedam fragrantes exoticae, ambra, zibethum etc. Alia vero magis tumultuoso quam grato modo vires adgrediuntur, tantasque organismi fere universi reactiones excitant, ut et circulatio humorum velocior reddatur, omnesque secretiones accelerentur. Ita substantiae aromaticae fortiores omnes, oleo aethereo acriori foetae, earum infusa, aquae destillatae, olea stillatitia, tincturae; quemadmodum cinnamomum, valeriana, mentha, anisum, foeniculum, serpyllum etc.

650. Ipsa haec remedia stimulantia volatilia, quae usui interno inserviunt, externe quoque eodem scopo ad vires erigendas adhiberi possunt, forma lotionis, inunctionis, epithematis, balnei, clysmatis. Attamen multo frequentius acria irritantia usui externo eum in finem inserviunt, ut languidarum virium debiles actiones exaltentur, atque organismus magis actuosus reddatur. Quod quidem efficitur remediis sic dictis rubefacientibus et vesicantibus, hunc in solum finem ad brachia aut suras exhibitis. Mechanicum irritamentum externum offert frictio.

651. Pharmaca tonica roborantia partes organicas compingunt, puncta contactuum augent, ac proinde organismum firmant; stimulo minus diffusibili ac tarde agentia, laxitatem potius compagis organicae, quam debilitatem organismi corrigunt. Attamen organismum roborando, etiam virium energiam quodammodo exaltare juvant.

652. Quae acerbo, compingente, ac solo fixo principio stimulante agunt, adstringentia dicta, uti cortices, ra-

dices, fructus austeri, acida, aluminosa, sales metallorum styptici etc. in corrigenda debilitate febrili magnum usum non habent, quoniam actiones in organismum, et praesertim in dynamicam ejus facultatem exerunt tardas; attamen diffusilium stimulorum vires multum suffulcire, ac coadjuvante scopo saepe illis jungi possunt, ubi aliae laterales indicationes simul sunt adimplendae.

653. Quae vero roborante ac simul volatili stimulante principio scatent, nervino-tonica, et tonico-stimulantia, vires languentes citius adgrediuntur, illasque erigendo tum debilitatem actionum organicarum, tum laxitatem compagis organicae simul emendant; hinc et usum frequentiorem in praxi febrium habent. Quo spectat cortex peruvianus, qui viribus antifebrilibus etiam peculiarius se in hac praxi commendat, tum e regno vegetabili multa alia, uti cortex aurantiorum, flores chamomillae, herba absinthii, rosmarini, salviae, radix calami aromatici etc.

654. Jam ex tot et adeo diversis stimulis medicamentosis pro diversitate casus et debilitatis illi omnino seligendi erunt, a quibus desiderata organicarum actionum languentium sublevatio in debilitate febrili obtinenda sit. Minime est res indifferens, stimulis his promiscue et ad libitum uti pro viribus dejectis erigendis. Stimuli enim hi quoad qualitatem et quoad quantitatem exactissime adaptandi sunt gradui debilitatis, ne medicamentum vel morbo majus, vel morbo insufficiens exquiratur. In dirigendo stimulorum horum selectu maxima ars medentium nititur, et a pseudomedicis plurimi in hac praxi errores committuutur.

655. Canones practici circa hoc objectum universim sequentes erunt observandi. I. In debilitate simplici, si morbus genuine dynamicus est, stimuli, diffusibilitate sua organismum prompte penetrantes, prae ceteris sunt seligendi. II. Quo major est debilitas simplex cum erethismo, id est, quo major aviditas organismi in stimulos est, eo cautius remediis stimulantibus inchoandum, eo leviores scilicet qualitate, et eo minores quantitate stimuli sunt ab initio adhibendi; graviores enim maximae debilitati statim ab initio obpositi (sit nimis rapida calorici congelatis adplicatio pro exemplo) vires vitales plane exhauriunt, aut

debilitatem sic dictam indirectam inducunt. III. Effectus stimulorum adhibitorum adtente sunt observandi, ne superstimuletur debilis aeger, et pluribus tentetur stimulis, quam organismus digerere valet. Reactionibus quidem desideratis non insecutis, adscendendum erit cum illis; descendendum autem econtra, si nimis fortes fuerint insecutae reactiones. IV. Hae reactiones vitales in febribus tantum ad justam motuum febrilium energiam sunt excitandae, sed in eadem continuato aequabili stimulorum usu sustinendae, quoniam vires organicae prius languentes, sepositis stimulis, facile in pristinum torporem relabuntur. V. Quodsi et laxitas organismi cum debilitate simul peccaret, talia erunt exhibenda pharmaca, quae et stimulante et tonico simul agant principio. VI. Si demum speciales quaedam cognitae causae debilitatem in febribus aut excitarent, aut sustinerent, directe omnino in illas, quantum fieri licet, erit agendum.

656. Regimen diaeteticum, quod therapiam in omni morbo curando semper debet suffulcire, in casu debilitatis verae obpositum debet esse illi, quo exorbitantem virium actionem moderamur. Hinc atmosphaera aegrum ambiens requiritur magis calida et sicca; victus debet esse eupeptus, nutrientissimus, subvinosus, subaromaticus; potus restaurans, magis calefaciens; somnus frequens, sed non nimis diu protractus; sensus omnes, visus, auditus, odoratus et gustus adcommodatis stimulis sunt excitandi, prae aliis tactus, utpote per integrum organismum latius diffusus; systema musculare motu voluntario pro viribus est exercitandum; animus, quantum in potestate medici est, erigendus ac exhilarandus etc. Quammaxime autem omne illud amovendum, quod debilitatem sustinere aut augere posset.

γ.

DEBILITAS FEBRILIS

ex viribus exhaustis.

657. Vires organicae omnino quantitate deficere possunt, et quidem gradu diverso. Possunt esse imminutae

persistente vita; possunt adeo parcae esse, ut morti proxima conditio inde exoriatur; possunt denique plane exstinctae esse, ut mors ipsa insequi debeat, sive temporaria, scintillis vitae per stimulos quosdam adhuc inflandis, sive perpetua, nullo stimulo vita amplius exsuscitanda.

658. Vires hae deficientes diverso gradu, quae reactiones in stimulos qualescunque adplicatos vel summe debiles, vel fere nullas exerunt ideo, quod ipsae reactrices facultates jam obtusae sunt et inobedientes, ac conatu vitali fere destitutae, vocantur vires exhaustae.

659. Sub tali jam conditione virium organicarum, actiones vitales aut minima, aut fere nulla energia perficiuntur, motusque vitales in tremulis, inordinatis ac inconstantibus oscillationibus tantum consistunt, minantibus omni quasi momento plenam vitae organicae resolutionem. Atque haec debilitas actionum vitalium, inde oriunda, dicitur colliquativa, metaphorico omnino sensu, ac si vires organicae liquatae essent; et si repente ac sine nota causa externa irruit, maligna vocatur. Aliis quoque audit paralytica, ob plane denegatas adhibitis stimulis reactiones; aliis etiam indirecta, si praegressis ad nimis generosos stimulos actionibus impetuosissimis exhaustae sunt vires, et ad ipsum conatuum defectum consumtae. Prorsus igitur omnino differt a simplici debilitate, ex viribus lassis et quiescentibus, stimulo vero cuivis facile obedientibus orta.

660. Etiam haec, ex consumtis viribus prosiliens, debilitas non semper aequabiliter per omnem organismum est dispertita, sed interdum ad singula organa, exemplo sit topica paralysis, aut ad singulum organismi systema quoddam restricta. Si enim in omnibus simul obtineret organis, mors esset perfecta.

661. Utut per se jam vitae infensa et mortem invitans, accedens adhuc laesae alioquin conditioni virium in febribus, summe deleterios effectus producit. Nullam omnino pro causis materialibus subigendis coctionem permittit, salutiferos organismi conatus non tantum inhibet, sed penitus prosternit, crises plane denegat, vegetationem organicam et reproductionem sistit, atque motus febriles

ita deprimit, ut character febribus proprius sub hoc virium statu fere evanescat, insequente ac praevalente undique organismi resolutione et paralysi. Hinc et inter omnes febriles debilitates frequentissime in mortem terminatur.

662. Causae hujus colliquativae debilitatis in febribus tum in dispositione individua nonnullorum subjectorum, tum in propriis momentis eam excitantibus sunt quaerendae. Duplici autem universim modo haec debilitas inducitur, directo scilicet et nimis debilitante, atque indirecto, per superstimulationem vires exhauriente.

663. Dispositionem largiuntur. compages organismi debilis, humorum vitalium inopia, vitalis turgor facile interceptus, proclivitas ad lipothymias, debilitas morbosa diutius perseverans, laxitas diuturna cachectica; aut econtra stimulorum gravissimorum nimius ac nimis protractus abusus.

664. Hi ipsi stimuli intensissime agentes ac varietate alternantes, uti caloricum nimium, victus lautus et aromaticus, potus spirituosus, medicamina summe incitantia, aliaeque potentiae organismum graviter ac diu commoventes, si excessu nimio peccant, causam excitantem hujus debilitatis offerunt indirecte; nam tantas organicarum virium reactiones eliciunt, ut plane exhauriantur hae vires, nulli fere stimulo dein amplius reciprocae.

665. Aeque autem excitatur haec colliquativa debilitas opposito et directo modo, potentiis scilicet summe debilitantibus, ac in debilitando diutius perseverantibus; nam omnis simplex debilitas magno in gradu diu persistens, aut adhuc aucta momentis, organismum magis deprimentibus, in colliquativam debilitatem abit. Praesertim autem debilitas simplex intensior, nimis repente inducta, ita ut stimulis requisitis sat cito emendari nequeat, funestam hanc virium conditionem generat; uti sub humorum vitalium maxima et repentina jactura per haemorrhagias, venaesectiones et alias evacuationes ad animi deliquia protractas; praecipue vero per obstinatas diarrhoeas et sudores in aegris debilibus, quae evacuationum colliquativarum nomine propterea veniunt. Deinde sub dispendio principii vitalis ad motum muscularem nimis excessivum, sive voluntarium,

uti v. g. servorum ad remum sub periculis ponti, sive involuntarium, uti cordis, diaphragmatis etc., sub impetu febrium validissimo. Denique et animi quidam motus, simili fors modo omnes vires organicas subito prosternunt, praesertim panicus terror.

666. Nonnullae potentiae nocivae iterum alio ac peculiari, plane adhuc ignoto, modo vires organicas exhauriunt, ac interdum repente aut consumunt, aut projiciunt. Ita electrica explosio et fulgur. Ita illud principium summe venenatum ac organismo animali inimicissimum, quod inest lauroceraso, amygdalis amaris, acido borussico. Ita omnino mephitides et miasmata quaedam, febres summe malignas generantia, quae organicas vires fere instantanee exhauriunt.

667. Sub ipsis febribus autem, et quidem ex febribus effectivo modo, quam frequentissime exhauriuntur vires organicae tum ex nimis diuturna earum subpressione, qua demum exstinguuntur, tum ex nimis impetuosa earum actione, qua delassantur et consumuntur; tum ex simplici debilitate nimis diu persistente ac non allevata; tum denique ex ignotis adhuc dynamicis rationibus, quibus malignitas febrilis toties inducitur; uti v. g. malacia ardente Sirio. Nec minus organicae quaedam mutationes ad repentinam virium liquationem interdum conferunt, uti extravasata interna, viscerum laceratio, aut situs repente mutatus, metastases et metaschematismi ad viscera nobilia, accessus apoplectici, syncopales, gangraena viscerum, praecipue intestinorum, suppurationes internae, syphilis latens etc.

668. Jam ex praegressarum harum causarum cognitione diagnosis hujus colliquativae debilitatis desumitur, ad quam autem et symptomata morbosa propria simul conferunt.

669. Haec symptomata colliquativae debilitatis ac exhaustarum virium sunt: habitus corporis peculiaris, summam indicans debilitatem, fere subcadaverosus dicendus; turgor vitalis collapsus; facies misera, pallida, angulosa, hippocratica; oculorum vivacitas exstincta; adspectus languidus, involuntarius, oculis fixis semiclausis; sphincteris

oris retractio porrectis incisoribus superioribus; adpetentiarum ac voluntatis plenum silentium; mentis conturbatio; musculorum subparalytica flacciditas et resolutio fere universalis; invincibilis ad motum animalem inertia ac plumbea corporis gravitas; irritabilitas, sensibilitas, reproductio vegetativa multum inhibita, aut fere sublata; colatoriorum excretoriorum relaxatio; cordis et arteriarum pulsus debilissimi, frequentissimi, summe inordinati; calor plurimum imminutus, frigentibus extremis, cuti sudore viscido madida; humorum dissolutio; adfectiones syncopales frequentiores.

670. Nihil autem magis roborat hujus virium prostrationis diagnosin, quam summe deleterii ac repentine funesti effectus potentiarum, vel minime debilitantium, adhibitarum; atque denegata plane, aut summe debilis ac obscura organismi reactio in stimulos etiam fortiores.

671. Sub hoc organismi deplorato statu indicatio quidem esset, deperditas vires redintegrare, residuasque paucas restaurare ac extollere, ut debitae actiones organicae provocentur. Sed difficile negotium est erigere vires exhaustas, exstinctas incendere adhuc difficilius. Nam omnium remediorum in organismum actio salubris pendet a debita organismi reactione, quae sub hac virium conditione nonnisi exigua erit, vel plane nulla.

672. Si quod adhuc datur auxilium, quod vires liquescentes recolligere, summe languidas ac exstinctioni proximas provocare, et ad actiones magis energicas incitare valet, illud sane erit solum in stimulis fortissimis ac summe diffusibilibus, acriori simul et irritante principio gaudentibus.

673. Therapia igitur in hoc casu desideratur recreans, restaurans, stimulantissima. Scopo, miasmata venenata ex organismo sub febribus expellente, haec ipsa quondam alexipharmaca dicta fuit.

674. Medicamina, quae ad hanc penum pertinent, sunt: radix angelicae, imperatoriae, contrajervae, serpentariae; aromata exotica acriora, praesertim caryophyllus, cinnamomum; substantiae fragrantes fortissimae, moschus, camphora, naphthae, vinum vetustum, spirituosa aromatica et quaevis alia volatilia stimulantia, in simplici debilitate

commendata, sed qualitate fortiora semper, et majori dosi exhibenda.

675. Hinc in hac debilitate colliquativa non a levi stimulo, uti in simplici debilitate, ordiendum, quem nec percipiunt paralyticae vires; sed audaci manu per graves stimulos residua vis vitalis est excitanda, simili modo, ac candelae exstinctae scintillula prompto valido sufflatu iterum in flammam resuscitatnr. Sed plane simili modo, ne flamma vitae denuo incensa continuato sufflatu impetuoso iterum exstinguatur, viribus organicis per gravem stimulum quidquam excitatis, descendendum mox erit in stimulorum impetu, et aequabili fortiorum stimulorum continuationi supersedendum. Alias inebriati decedunt aegri, et cadavera, exhalantes stimulos spargentia, abunde indicant, plus de illis ingestum fuisse, quam organismus subigere valuit.

676. Caute itaque cum stimulis, ac debito tempore iterum recedere; plures ac diutius illos, quam organismus digerere potest, non adhibere; facto post obtentam reactionem organicam recessu in justo stimulorum impetu perseverare, stimulosque medicatos universim pro observata eorum actione dirigere, officium medici gravissimum erit in hac deplorata debilitate emendanda. Quod quidem nonnisi sub diligentissima ac assidua effectuum adhibitae therapiae observatione expleri poterit.

677. Externe quoque adhibiti stimuli, internorum actionem simul debent adjuvare; tum volatiles, forma clysteris, lotionis etc., tum acri principio tactum irritantes. Rubefacientium autem actio requiritur promptissima; quam ipsae cantharides tardiore suo irritamento praestare vix valent. Promptius omnino in hunc scopum agent armoracia, spiritus salis ammoniaci causticus, acetum radicale. Fortius promptiusque adhuc irritabunt in casu desperato aqua fervida super cutem effusa, stillata super eam accensa cera sigillaris, ferrum candens.

678. Ex parte regiminis diaetetici conferre denique debebunt: jura concentratissima ex carnium extracto cum condimentis, aut jura vinosa aromatica, sive, quod maximum est, vinum vetustum generosissimum. Caloricum simul majori gradu erit subministrandum, tum tepore lecti

ac hypocausti amoeno; tum frictionibus calefacientibus. Balneorum tamen in hac debilitate usus vix suadendus.

679. Quodsi omnia haec auxilia therapeutica ac diaetetica in hac debilitate febrium non juvarent, ars meliora non habet; quousque saltem desideratus, sed nondum inventus, sal philosophorum phantasticum solummodo erit problema alchymistarum. Nuper laudarunt internum phosphori usum, qui quidem ventriculum, sed minime vires exstinctas organicas incendit.

680. Universim difficile est, languentes vires erigere, exhaustas restaurare difficillimum. Quare maximum est officium medicorum, mature praevertere omni conamine veram debilitatem in febribus.

2.

CURA SYMPTOMATICA.

Moderamen symptomatum.

H. Jervey de febrium symptomatibus et medela. L. B. 1760.
D. Sidren, de symptomatibus febr. Upsal. 1768.

681. Symptomata febrium, tum conatibus earum salutiferis quocunque modo contraria, tum quocunque alio modo urgentia, aegris sive periculosa, sive molesta, maximam post virium moderamen adtentionem in therapia febrium indirecta merentur. Nam ubi directa earum therapia habetur, ibi causa ablata evanescunt etiam symptomata febrium.

682. Methodus medendi, quae symptomatibus hisce prospicit, ea vel lenit, vel plane amovet, dicitur symptomatica.

683. Adeo quondam fuit, et adhuc inter multos medicos in usu est, ut fere propria sit secta medicorum symptomaticorum, qui, relicta omni in causam morbi indagatione, solis symptomatibus palliative occurrunt, dolores v. g. leniendo, excretiones subpressas promovendo, nimias inhibendo etc. Neque est difficilis haec cura, imo omnibus therapiis facilior, cum saepe nihil sit facilius, quam constipatum aegrum purgare, insomnem sopire etc. Atque, dum

aegros plurimum a vexis liberare intendunt, famosi inter plebem hi medici sunt.

684. Haec etiam methodus symptomatica prudenter adhibita omnem fere febrem multum lenire potest. Damnosa autem evadit haec cura, si symptomata singula ita minuuntur, ut princeps morbus detrimentum inde habeat. Quod quidem cautum medicum de leniendis certis symptomatibus saepe dehortatur, qui in radicalem, et ad causas directam therapiam severius tendit.

685. Gravis enim regula practica est, nulli symptomati febrili medelam ita instituere, ut vires ac actiones vitales inde detrimentum patiantur; nisi symptoma ipsum a morbosis virium reactionibus pendeat, ceu effectus a sua causa; in quo casu ipsa cura vitalis includit curam symptomaticam. Nulli igitur symptomati febrili, utut urgenti aut molesto, talis cura adhibenda est, quae turbet motus febriles, qui ad conatus vitae se disponentis ad crisin, aut ad ipsum actum criticum sunt necessarii.

686. Prouti jam quaevis febris primo in conatibus, dein in ipsis operationibus criticis versatur, ita etiam symptomata febrilia, quae ob gravitatem aut molestiam peculiarem respectum deposcunt, sunt vel morbosa, vel salubria et critica. Priora conatum criticum, posteriora actum criticum comitantur.

687. Morbosa symptomata nullum in febribus levamen ferunt, imo eo magis eas exacerbant, quo plura et graviora sunt. Nonnulla horum possunt esse lateralia febribus, proinde omni industria amovenda; alia vero ad febres absolute pertinent, et nonnisi ubi urgent, mitiganda, nunquam ante crisin penitus tollenda sunt. Salubria symptomata levamen aliquod, utut non decisivum ferunt; hinc tamen semper promovenda. Critica symptomata vero febrim judicare juvant, hinc nullo modo sunt profliganda, sed solummodo moderanda, si inordinata et tumultuosa evadunt.

A. SYMPTOMATA FEBRIUM MORBOSA.

688. Haec tymptomata, in quantum conatum criticum

constituunt, aut constituere juvant, atque propterea febres ad crisin adhuc immaturas comitantur, sive communia essent omni febri, uti calor, sitis etc., sive essent specialia singularum febrium, uti v. g. pustulae variolosae in febri variolantium etc., arte penitus amoveri nec semper possunt, nec debent, nam actum judicatorium, sine quo criticae febres in sanitatem non terminantur, introducunt. Sed mitigari debent, si nimis impetuosa sunt, ac vehementia sua scopum criticum impedientia.

689. Si vero lateralia haec symptomata sunt, parasitica, et ad febrim absolute non pertinentia, ad nullum plane scopum utilem facientia, quemadmodum v. g. deliria, pervigilium etc., abroganda sunt omni conatu.

690. Ut in utroque casu ex generalibus sed securis indicationibus aut mitigari, aut amoveri possint damnosa symptomata, nosogenia eorum universim primo erit consideranda.

691. Symptomata morbosa in febribus oriuntur: 1) Ex rationibus dynamicis, seu ex virium organicarum laesione vel universali, quemadmodum frigus, calor, vel extensa solum ad singula magis organa aut organismi systemata, viribus vitae, ut quondam medici dixerunt, deviantibus, ac ab universali aequilibrio aberrantibus, inaequaliter ad unum alterumve organum directis, quemadmodum v. g. spasmus localis diversus, ac inde iterum symptomata diversissima. 2) Ex ratione organismi in compage sua laesi, mox mutationibus facile adhuc corrigendis, si v. g. turgor organi, aut congestio cum volumine aucto peccat; mox difficulter aut plane non amplius reparandis, si v. g. partes organicae morbose separatae, aut morbose junctae et concretae sunt, aut humores extravasati, aut substantia deperdita; unde iterum multifaria ac numerosa symptomata morbosa proficiscuntur. Et quidem non tantum primaria, ex ipsa adfectione morbosa in ipso organo oriunda, sed et secundaria, sive ad vicina organa a situ contiguo extensa, sive ad remota ex mero consensu, sympathica.

D. Küttel, rational. symptomatum febr. theoria. Arg. 1742.

692. Pro diversa jam origine sua, dum urgent febri-

lia haec symptomata, diversimode directis auxiliis profliganda, aut saltem lenienda sunt. Atque igitur cura symptomatica vel dirigenda est in vires totius organismi, vel in organum peculiarius adfectum.

693. Ad virium universim laesionem emendandam, ac symptomata, inde proficiscentia, profliganda aut mitiganda requiritur cura vitalis seu dynamica, quae quidem, quod dictum, in hoc casu simul symptomatica erit. Ad organa vero laesa liberanda, et amovenda symptomata inde oriunda, mox directo modo, ubi causa nota, mox et indirecto, ubi causa occulta est, therapia symptomatica erit dirigenda vel in ipsum organum morbose adfectum, si symptomata sunt idiopathica, vel ad fontem mali, si symptomata mere effectiva aut et consensualia sunt. Quem in finem remedia ad justum locum directa, mox relaxantia, decrispantia, deplentia, mox roborantia, incitantia, mox revellentia etc. symptomaticam indicationem pro casuum diversitate explebunt, vel explere juvabunt, — insufficiente tamen omni therapia, si vitia organica irreparabilia restituendae obstant incolumitati, atque symptomatum seriem sustinent continuo.

694. Ut jam in ordine therapeutico cura symptomatica febrium, et quidem primo morbosorum symptomatum, exponi possit, pro considerata eorum nosogenia erunt dividenda in symptomata dynamica, et symptomata adfectionum organicarum.

695. Priora sunt communia et constitutiva omnium febrium, quoniam solum a virium morbosa adfectione pendent. Non vero in omni febre absolute adsunt, sed tamen cuivis adsociari possunt, posteriora et minus communia, quin propterea adhuc specialem characterem febrium constituant.

696. Specialia morbosa symptomata, quae specialem febrilem characterem determinant, uti status nervosus, inflammationes etc., specialem etiam therapiam deposcunt, suo quamvis loco exponendam.

α) SYMPTOMATA DYNAMICA.

697. Symptomata dynamica seu communia omnium febrium sunt illa, quae universim febrem, ceu

morbum dynamicum, constituunt; in omni absolute febre adsunt, et in nulla absunt, quoniam a morbosa virium laesione unice pendent. Ita frigus febrile, calor febrilis, sitis febrilis, lassitudo febrilis.

FRIGUS FEBRILE.

D. Viscerus de rigore in febribus. Tub. 1574.
D. Ursinus de rigore febrili. Lips. 1656.
N. Visuliet Diss. de frigore febrili. L. B. 1760.
A. Hamberger Diss. de frigore symptomatico. Jen. 1765.
J. Leidenfrost Diss. de sensu frigoris. Duisb. 1777.
L. Gattenhof frigoris febrilis examen. Heidelb. 1778.
C. Weigel Diss. de horrore. Lips. 1791.

698. Frigus febrile et morbosum est molesta sensatio, nota cuivis, verbis tamen non explicanda, nisi negative a defectu grati caloris sensus desumatur expressio.

699. Est vel reale, vel ad sensum. Frigus reale percipitur tactu ab adstantibus, et thermometro distinguitur. Dum morbosum est, stipatur semper lassitudine insigni. Frigus ad sensum, a solo aegro, partibus externis non frigentibus, imo interdum morbose calentibus, perceptum, tactu ac thermometro non distinguitur. Utrumque vel est universale, vel locale; constans, vel transitorium, diverso typo recurrens.

700. Diversi etiam sunt gradus frigoris morbosi et febrilis. Levissimus gradus est aura febrilis, sensum quasi a venti frigidioris adflatu offerens. Altior gradus est horripilatio, vagus, non intensi, fere subcutanei, frigoris sensus, per vices pluries recurrentis, frequentissime ex dorso ad occiput adscendentis ac capillitium moleste stringentis. Longe major autem frigoris febrilis gradus est rigor febrilis, ob partium frigentium torporem, stuporem, ac abolitam artuum flexilitatem ita dictus; atque horror febrilis, ita nominatus a succussione et contremiscentia totius corporis cum sensu intensi frigoris. Qui tremor interdum a voluntate cohiberi potest, saepius autem nullo conatu voluntatis, nulloque adstantium auxilio praepeditur, donec calor febrilis ab intus se diffundat per organismum. Quare nullum dubium est, hos motus involun-

tarios esse veras convulsiones. Altissimus denique frigoris gradus in febribus est algor febrilis, frigus reale fere cadaverosum, ab aegro non perceptum ea, qua adest, intensione, comitibus plerumque sudore universali, ac debilitate quasi morientium.

701. Tempus, quo frigus febrile ingredi potest, est diversum. Frequentissime ac fere semper, symptomaticis solum febribus exceptis, praecedit febrem, illamque adnunciat, a vagis horripilationibus incipiens, atque ad rigorem vel horrorem transiens, per plures horas consistentem, solutum denique calore brevi interpolato, qui in constantem ac persistentem calorem febrilem abit. Ita non tantum in continuis, sed etiam in intermittentibus, sub quovis paroxysmo, febribus. Non raro autem in continuis febribus quaevis exacerbatio stipatur accessu frigoris. Ita in catarrhosis, purulentis ac illis continuis febribus, quae de indole intermittentium participant. Hinc et actum criticum, seu potius graviorem, quae illum inducit, exacerbationem, frequenter antecedit horror; qui ceteroquin fere omnes majores organismi conatus, sub partu, sub transitu inflammationum in suppurationem etc., comitari solet. Denique et accidentalia frigora in diversis febribus, sub diversi earum stadiis, intercurrere possunt.

702. Phaenomena frigus febrile intensius comitantia sunt: morositas; inertia ad motum voluntarium; pandiculatio et oscitatio; turgor vitalis imminutus; pallor aut livor superficiei externae, praecipue labiorum, apicis nasi, canthi oculorum, faciei, manuum, unguium; cutis per totam superficiem corrugata, pluries anserina; labiorum et linguae siccitas cum siti praecipue frigidae aquae, difficulter fallenda; partium sensibilium torpor; lassitudo insignis ad lectum invitans; tremor omnium musculorum, ac maxillarum conquassatio; dedolatio lumborum et partium omnium concussarum; capitis obnubilatio; anxietas pectoris cum respiratione citata, frequenter tussiculosa; nausea ad cibos; urinae limpidae, non parcae; pulsus arteriarum debiles, parvi, frequentissimi.

703. Causa proxima hujus frigoris in febribus omnino ignoratur, et eousque non facile adsignabitur, quous-

que firma theoria caloris animalis sani et morbosi non habebitur. Reale, quod in praehibita calorici animalis evolutione consistit, frigus non pendet omnino ex imaginaria admixtione principii cujusdam salini humoribus sub ingressu febrium, non ex imminuto solidorum et fluidorum adtritu, non ex debilitate incitationis vitalis, non ex effervescentia humorum, aut ex aliis eorum mutationibus, ad leges dynamico-chemicas hucusque adsignatis, neque ex alia quacunque theoria explicabitur, quae motum humorum vitalem intrinsecum atque animalis electricitatis momentum sufficienter non respicit. Frigus ad sensum est adfectio mere nervosa; imo et reale frigus ad nervosas adfectiones inclinare, docent omnia fere phaenomena frigus febrile comitantia, uti spasmus cutis, arteriarum et vasorum emulgentium, sensatio imperfecta, siccitas, sitis inexplebilis in maxima cum sensu frigoris contradictione etc.

704. Atque ex ipsis his phaenomenis morbosis intelliguntur etiam deleterii frigoris febrilis effectus. Dum scilicet vasa omnia superficialia et minima spasmodice contracta, atque humores ad majora vasa, praesertim ad cor et pulmones repulsi sunt, oritur inde anxietas praecordialis molestissima ac congestio peripneumonica, imo sub majori gradu frigoris hujus, diutius persistentis, praepeditus transitus sanguinis per cor, pulsuum arteriosorum intermissio cum invasione syncopali, nec non sanguinis in circulo retardati spissitudo subpolyposa. Qui omnes effectus morbosi ad mortem ducere possunt vel suffocativam, vel apoplecticam. Praesertim senes rigidi, in quibus vasa expandentibus humoribus non facile cedunt, sub ipsius frigoris intensioris accessu horrescentes moriuntur, aut suffocationis periculum saltem subeunt. Atque in cadaveribus illorum sanguis crassus, immeabilis pulmonibus impactus invenitur.

705. Minime autem defuerunt medici, qui crediderunt, salutares etiam effectus a frigore febrili produci in organismo, illoque partibus organicis, quas compingit, robur tribui majus pro negotio coctionis, atque concussionibus convulsivis emissaria secretoria ac excretoria ad salubrem criticum actum melius disponi. Quae vero ideae sunt nimis hypotheticae.

706. Horror moderate intensus, brevi durans, funestis non stipatus phaenomenis, boni quidem ominis universim in febribus est, futuram febrim indicat moderatam, et, nisi in decursu accedant adversa epigenomena, devincendam viribus organismi. Horror autem nimis intensus, diu persistens, ingresso calore inordinate recurrens, febrem futuram gravem, longam, aut anomalam pronunciat, nisi ingredientis febris intermittentis hoc frigus sit. Pessimus est algor febrilis, mox cum virium dejectione intrans. Intercurrentia quoque frigora in continuis febribus, ad typum non spectantia, universim non sunt bona, atque longiorem decursum indicant. Quibus consideratis liquet, ex ipso frigore febrili aliquam haberi prognosin in febribus. Quae vero, ut semper, imperfecta est, si ex unico phaenomeno morboso desumitur.

707. Cura hujus symptomatis febrilis maximi est momenti. Frigus enim introitum febrium, uti crisis exitum, constituit; atque pendet omnino a primi jam stadii justa directione omnium seriorum, ipsiusque criseos, moderamen. Quodsi et boni multum sub ipso febrium ingressu institui non posset, multum tamen committi posset mali, quod futurum turbaret decursum. Ita illi, qui frigoris febrilis phaenomena ex imminuta solum incitatione vitali ac reactionum organicarum debilitate eruunt, illamque stimulantibus ac nimis calefacientibus remediis mox emendare intendunt, stases humorum irresolubiles in organis tenerioribus, funestasque saepe inflammationes parant; vel saltem, dum remedia haec stimulantia agere pergunt insequente jam calore febrili, aestuantes ab ipso morbo aegros reddunt adhuc calidiores.

708. Therapia rationalis hujus symptomatis, dum urget, consistet in ejusmodi auxiliis, quae spasmos minorum vasorum reserant, humores, ex remora in majoribus vasis ad spissitudinem tendente, adtenuant, atque ita, restituendo libertatem circuli, omnes instantes salutiferas organismi operationes expedire juvant, crisibusque ipsis mature prospiciunt. Haec auxilia sunt externa et interna.

709. Externa auxilia sunt tepor lecti, adcubitus sani hominis, corpora calida cuti ac extremitatibus admo-

ta, praesertim lintea excalefacta, quae corporis superficiei undique arctius advolvi possunt. Item balnea calida, fomentationes et lotiones calidae, quarum pars resorpta etiam humores adtenuat. Imo, ubi ob difficilem sanguinis transitum per pulmones maxima anxietas adest, venaesectio etiam quandoque requiritur, summumque simul levamen conciliatur, si spongiae aqua calida madidae ori ac naribus admoventur, ut vaporis balneum hoc modo etiam pulmonibus adplicetur, et vasa laxentur. Bene quoque promovere poterunt sanguinis gressum per vasa minora frictiones moderatae totius superficiei, praesertim extremitatum, pannis calefactis institutae.

710. Interna auxilia consistunt in potu diluente, lenissimo tantum stimulo impraegnato, uti infuso florum tiliae, sambuci, chamomillae etc. tepide exhibito, quamvis spurius instinctus ad frigidam aquam impellat. Potus enim frigidus auget spasmos vasorum minorum, qui aucti emissaria superficiei claudunt, futurisque salutiferis organismi operationibus obsunt, plerumque etiam calorem insequentem reddunt intensiorem. Neque et tepidus potus nimis avide ac majori copia ingerendus est, ne eo extensus ventriculus magis angat praecordia; sed saepius et parca quantitate illum ingerere juvabit.

D. Moreau: Ergo tepidae potus febrium rigorem solvit? Par. 1695.

711. Et cum sub primo frigore incipientis febris nondum constet, qualis futura sit indoles ejus specialis, prudentia dictat, heroicis aliis non uti remediis, quibus generosae mutationes in organismo fiant, donec constiterit postea, quid specialius agendum sit.

712. Si vero algidum frigus urget cum virium prostratione, ita ut metus esset, aegrum frigori fortiori succumbere posse, uti ex pulsuum exilitate et intermissione, sensuumque caligine cognoscetur; si simul frigus reale ac fere cadaverosum externe adplicatis calidis nec minimum emendatur; tunc temporis ob indicationem vitalem urgentem ad remedia interna cardiaca, stimulantia et calefacientia recurrendum, atque ejusmodi virium laesio fere ut malignitas febrilis consideranda erit.

CALOR FEBRILIS.

L. Mercatus de natura caloris febrilis. Val. 1611.
A. Nicolai Diss. de caloris febrilis effectibus. Jen. 1760.
L. Gattenhof caloris febrilis examen. Heidelb. 1778.

713. Calor febrilis et morbosus oppositam frigori sensationem offert, notam cuivis, utut verbis non explicandam. Omnibus febribus adeo commune est symptoma, ut in omni genere earum, etiamsi non semper in omni stadio, observetur.

714. Etiam calor morbosus vel est realis, vel solummodo ad sensum. Realis, etiam externus dictus, distinguitur quidem tactu adstantis; sed quoniam nimis relativus est sensus caloris morbosi ad calorem manus tangentis, tutius thermoscopio sub axillam immisso, graduque deprehensi cum gradu caloris sani hominis computato determinatur. Calor ad sensum, seu internus, a solo aegro, qui externe non calet morbose, sentitur, illumque aegri tum sponte accusant, tum vario gestu denunciant. Uterque vel est universalis, vel localis; constans, alternans cum frigore, fugax, vel transitorius typo diverso.

715. Gradus ejus sunt diversi. In leviori gradu calor morbosus et febrilis est amoenus, aut saltem non ingratus, nec tangenti, nec ipsi aegro. In majori gradu est urens, intensione molestans ac inquietans aegrum, tangentis manum aestuose feriens; nunquam tamen in febribus normalem sanorum calorem pluribus superans, quam 16 gradibus Thermometri Fahrenheitiani. In maximo gradu est mordax, sub manu tangentis increscens, sed ex eo, ut videtur, quod caloricum tangentis a cute calentis non libenter arripitur, nec ad aequilibrium conducitur.

716. Tempus, quo calor febrilis ingreditur, diversum est. Plerumque sequitur quidem horrorem, pedetentim ab intus ad exteriores partes diffusus; interdum autem sine frigore praegresso statim a calore orditur febris, quemadmodum symptomaticae febres pleraeque. Sub exacerbationibus continuarum febrium, sive nocturnis sive aliis, exaltatur; ac iterum imminuitur sub remissionibus. Sub criti-

ca vero exacerbatione plerumque summum adtingit fastigium. Intercurrere demum in febribus etiam inordinate potest calor accidentalis, a lateralibus pendens causis.

717. Phaenomena, quae calorem febrilem intensiorem comitantur, sunt fere sequentia: turgor vitalis adauctus; facies plena, rubra; labiorum ac linguae siccitas, aut siccitatis sensus; sitis, sed potu facilius ac sub frigore fallenda; cephalaea; sensorii communis laesiones diversae, interdum quidem facultatum mentis quarumdam exaltatio, alias vero et perversa earum dispositio, imo quandoque, uti in junioribus subjectis, soporosa conditio; respiratio citata cum halitu aestuante; inquietudo et jactitatio; virium animalium major, ac in frigore, libertas; urinae parcae, profundius tinctae, sub mictu ardentes; pulsus arteriarum pleni, frequentes; cutis mollis, multum transpirans. Sed sub mordaci status nervosi calore cutis ac urinarum etiam obposita conditio observatur.

718. Causa proxima caloris febrilis consistit quidem in uberiori evolutione calorici per vires organicas; sed ratio evolutionis hujus auctae eo magis nos latet, quod ea sub vitalium actionum plane opposita, ac aeque sub languente, quam sub exorbitante conditione obtinere potest. Facilius sane determinatu est, a quibus non pendeat circumstantiis, quam a quibus dependeat. Minime haec morbosa calorici generatio explicatur ex majori adtritu fluidorum in vasis; nam in mollissimis subjectis, in quorum flexilibus vasis minor adtritus est, maximus esse solet calor febris. Neque cum circuli velocitate calorem animalem in aliqua ratione esse, videmus in moribundis, quibus sub frigore lethali pulsus sunt frequentissimi, atque inverse in typhosis aegris, quibus calor est mordax pulsibus non multum velocibus. Minime quoque derivanda est calorici copiosioris extricatio ab impetu majori actionis vasorum in fluida; nam rigidi senes sub fortissimo pulsu arteriarum frigent, ac debiles in febre nervosa aegri enormiter calent. Minime demum aliae hypotheses diversae morbosam in febribus evolutionem calorici dilucidare valent, uti idea effervescentiae humorum, aut illa praevalentis oleosi principii in sanguine etc. Neque neotericorum sententia de processu organico vitali, com-

bustioni analogo, ita clare ex legibus dynamico-chemicis exponit genesin caloris animalis tum sani, tum morbosi, ut haec theoria ad dijudicationem et curam hujus symptomatis febrilis cum fructu adhiberi possit.

719. Effectus caloris febrilis intensioris, ac nimis diu persistentis valde funesti esse possunt organismo. Liquidissima enim humorum pars per calorem nimium dissipatur, vasa inde vacua minora collabuntur, organa minoribus vasis donata, lingua, oculi, cutis etc. exsucca et arida redduntur; atque si idem obtinet in tenera fabrica cerebri ac pulmonum, etiam ex siccitate, ut Hippocrates adnotavit, perire possunt aegri. Residui a morbosa dissipatione humores mutationes subeunt diversas, negotium praecipue secretionum alterata miscela valdopere turbantes. Praesertim autem acriora principia sanguinis liberius evolvuntur et magis exaltantur; inde solidum vivum magis irritatur, sensibilitas et irritabilitas impetuosius exstimulatur, atque alio iterum modo diversae functiones vitales diversimode laedi possunt, diverso periculo.

720. Attamen calor moderatus aequabilis nonnullos etiam salubres effectus exerit in febribus. Totum enim negotium maturationis ac subactionis sive coctionis fomitum materialium, febres facientium aut sustinentium, calore aucto, ac aequabiliter persistente absolvitur et expeditur. Humores serosi ac albuminosi, exemplo erit calor galinae incubantis, eo redduntur fluidiores et mobiliores. Atque ita ad ipsas crises optatas organismum praeparare juvat calor, excernenda solvit, aut salubres metastases atque suppurationes, uti v. g. in variolis, promovet et facit; tumores inflammatorios duros, irresolubiles in mollem ac fluctuantem abscessum mutat et maturat. Unde etiam intelligi potest caloris febrilis in solvendis obstructionibus potestas.

721. Ut ex calore febrili prognosis, in quantum ex uno symptomate desumere eam licet, aliqua habeatur, adtendendum erit ad ejus intensionem, extensionem et durationem. Aestus febrilis nimis intensus, praesertim in subjectis adultis, universim periculosior est moderato calore febrili. Mordax calor inter omnes pessimus. Calor aequabilis universalis magis adfectionem virium universam, calor vero

topicus, fixus eminens magis organicas adfectiones denotat. Et quidem calor capitis validus, delirium, convulsiones, apoplexiam, aut cerebri inflammationem praesagit. Calor pectoris, hypochondriorum, abdominis internus, fixus aut inflammationem instantem in organo regionis calentis, aut praesentis jam inflammationis terminationem in suppurationem aut gangraenam eo tutius indicat, quo intensior est ardoris sensus. Calor febrilis intensus, ultra septimum diem in febri continua aequaliter persistens, nec ulla praevia crisi imminutus, durationem febris longiorem et periculum nunciat.

722. Patet ex his, quanta cura adtendendum sit ad hoc symptoma febrile, ut funesti eventus imminuto per artem calore praecaveantur.

723. Cum vero calor febrilis, praesertim ille, qui per omnem organismum aequabiliter dispersus est, symptoma morbosum sit mere dynamicum, a virium organicarum ac actionum vitalium laesione pendens, quod quidem ex diversis et oppositis virium conditionibus, ac aeque ex debilitate, quam ex maxima earum exorbitantia oritur; hinc generalis quaedam therapia, omnem in diversis febribus calorem leniens, non datur alia, quam illa vitalis, quae vitae actiones viresque organicas ipsas pro diversa sua conditione diversis auxiliis moderatur. Absoluta enim refrigerantia non habentur.

724. Illa, quae omni sine distinctione calori in febribus occurrere valebunt symptomatica auxilia, sive externa, sive interna, solummodo eum in finem tendunt, ut uberior calorici evolutio inhibeatur, quin principali ac vitali indicationi detrimentum inde fiat.

725. Externa haec remedia sunt: temperatura aëris moderata, nec frigore nec calore irritans aegrum, optima circa + 14° Thermometri Réaumuriani, aër alienis exhalationibus non foetus, saepius renovatus cauta ventilatione, subhumidulus; stragulorum ponderosorum et praesertim plumearum culcitarum evitatio; decubitus in lecto suberectus; somni nimii praepeditio; versatio brevi mora extra lectum; lodicum aut totius lecti crebra mutatio. Actu frigida, corpori aestuanti febricitantium adhibita, pro momento

quidem refrigerant, adauctis vero, aut revocatis minorum vasorum spasmis incendunt serius graviorem calorem; exemplo nivium manu tractatarum, quae in partibus antea frigefactis urentem postea producunt aestum. Unde intelligi potest, quam anceps remedium in calore febrili sint lotiones ac rigationes frigidae, aut balnea frigida. Praeplacent in febribus ad calorem imminuendum talia, quae relate ad aestuans corpus febricitantis minus frigida sint, utut absolute ac majori gradu non frigeant. Omnis repentina vicissitudo organismo infensa est, in febribus infensissima.

726. Interna remedia, aut refrigerantia in omni casu, aut saltem calorem febrilem non augentia, sunt: potus egelidi, aut potius tepiduli, spasmos vasorum non tantum non augentes, sed secretionem in laxatis minimis vasis, atque moderatam transpirationem promoventes. Reficit quidem potus frigidus, ad quem spurius instinctus trahit calidum aegrum, sed postea calorem auget. Meliores inter hos potus tepidulos sunt submucilaginosi, saccharini, melliti; uti decocta hordei, avenae, tenuia decocta radicis althaeae aut salep, infusa florum verbasci, herbae althaeae, serum lactis, emulsa.

727. Haec in genere. In specie, pro diversa speciali causa caloris febrilis, et pro diversa conditione status virium vitalis, remedia etiam diversa contra exorbitantem calorem febrium in usum trahenda sunt. Mox ergo venaesectio, mox alviductio, mox aciduli potus, mox saliti, mox etiam subvinosi calorem febrilem in individuis febribus infringere valent. Horum autem, relative ad specialem febrium indolem agentium, remediorum refrigerantium selectus exquisitior spectat ad specialem febrium therapiam; quam et exquisitum, scopo respondens, regimen diaeteticum semper suffulcire debet.

728. Monere tamen convenit, nunquam calorem febrilem eousque esse minuendum, ut aeger ad normalem sanorum calorem redeat, aut adhuc minus caleat sano homine; sed ille quidquam altior caloris gradus, qui moderatam ac salutiferam in febribus operationem organismi comitari solet, cum aliqua febre est relinquendus.

SITIS FEBRILIS.

D. van Dan Diss. de siti febrili. L. B. 1758.

729. Potulentorum desiderium sitis vocatur; quodsi morbose adaugetur, polydipsia dicitur. Communissimum omnium febrium symptoma, in omnibus fere stadiis earum, magis autem urgens plerumque sub frigore, quam sub calore febrili.

730. Sitis in febribus diverso gradu adparet, et diversis modificationibus. Interdum est satiabilis, et potu pro aliquo tempore fallenda; nonnunquam autem insatiabilis, sumto fere quovis potu adaucta. Posterior mox silentiosa, tantalea, uti in febribus typhosis, in quibus sitientes potum non petunt, sed oblatum avidissime tamen hauriunt; mox clamosa, uti in frigore febrium intermittentium, sub quo plerumque importune expostulant et ingurgitant potum, atque poculo vix siccato plenum denuo efflagitant. Adeo vesanam sitim sub frigore febris quartanae videre licuit, ut aeger, nullo plane potu satiandus, ad urgentem exstinguendam sitim immerserit ora et linguam vasi aqua pleno.

731. Causa proxima sitis febrilis male quaesita fuit in salsedine humorum, quae omnino sub primo febris ingressu, ubi sitis plerumque maxime urget, subponi non potest; male in siccitate oris, linguae, faucium, quae sane maxima in febribus nervosis est, in quibus sitis raro urget; male in fervore partium organicarum et subductione laticis aquosi, nam et frigidissimi hydropici impetuose sitiunt. Quemadmodum omnium adpetentiarum imminutarum et auctarum, quemadmodum ergo et hydrophobiae et adipsiae ratio, ita et ratio propior sitis in propria, sed incognita nervorum dispositione latet; quod docet tum sitis instinctualis ad salubria potulenta, tum ipse aegrorum spurius instinctus ad nocivum potum, v. g. ad frigidum sub frigore febrium, ad copiosum ventre alioquin jam onerato. Et quidem vel in omni systemate nervorum haec morbosa dispositio latet, uti sub siti febrili; vel unice in nervis tractus alimentaris, uti sub siti ex salsis ingestis, et ex saburra primarum viarum.

732. Jam pro instinctus diversitate potus, ad quem sitis urget, ingurgitatus bonos et malos effectus exerit. Bonos, in quantum humores adtenuat, eorumque dyscrasiae prospicit, deperditum laticem aquosum restituendo. Malos, in quantum omne liquidum haustum, humoribus non totum adsimilatur, atque superfluum organismo molestum fit; imo molestius fieret, si non iterum subduceretur provida excretione, quae nomine urinarum potus venit.

733. Prouti ex omni symptomate febrili, ita etiam ex siti, momenta quaedam prognostica habentur. Absentia omnis sitis, adipsia, calore interim febrili aestuante, mali ominis est; talis enim symptomatum contradictio nervos male dispositos indicat, atque instantem statum nervosum plerumque designat. Sitis quoque clamosa, nullo potu satianda, boni ominis non est. Talis praesertim observatur in aegris, qui gangraena aut magna suppuratione visceris cujusdam laborant. Melioris notae semper illa sitis est, quae intensione sua intensioni febris respondet. Quo melius potulenta sitim sedant, et quo moderatiori potu illa satiatur, eo melior est conditio febricitantis.

734. Cura hujus symptomatis, dum urget, dirigenda erit diversis auxiliis in diverse laesam conditionem virium organicarum. Quod solo potu desiderato minime praestatur; qui quidem sitim fallit, sed non tollit, quousque causa ejus in organismo febricitante latet.

735. Falsum igitur principium est, sitim febrilem absolute potu esse abigendam. Mox enim venaesectio, mox alviductio aut emeticum, mox alia, et diversa pro causae diversitate, therapia hoc symptoma levabit, potu ad summum solummodo coadjuvante. Imo non adeo requiritur febricitanti potus, qui praesentem sitim sedet, quam qui futuram praeveniat.

736. Hoc scopo generatim, ac sub quacunque febrium indole et virium conditione, optime conveniet aegris febricitantibus potus subaquosus, submucilaginosus, subfatuus, egelide aut tepidule, atque non tumultarie sumendus.

D. Cornuti: Ergo sitis in vigore febrium potu tepido lenienda? Par. 1587.

737. Hinc instinctui febricitantium ad frigidum et acidum, et praesertim ad vinosum potum non sine circumspectione indulgendum, nec tamen semper et absolute abnuendum est, cum non desint exempla, aegros a potu, qui denegatus fuit, clandestine hausto, interdum refectos et sanitati restitutos fuisse.

738. Princeps autem indicatio, et vitalis quammaxime, dirigere debebit medicum in concedendo aut abnuendo potu instinctuali, qui restaurante scopo ab aegris desideratur. Imo et specialiores indicationes considerandae erunt, antequam vel aqua frigida, vel emulsum, vel potus acidus, vel vinosus etc., tuto concedi possit desideranti aegro.

LASSITUDO FEBRILIS.

A. Fischer Diss. de lassitudine. Erf. 1728.

739. Segnities ad motum voluntarium aegre vincibilis, cum sensu defatigationis quasi a labore aut itinere peracto, lassitudo dicitur. Quae si oritur sine causa manifesta, vires animales fatigante, spontanea vocatur, atque in febribus, quarum communissimum ac constitutivum symptoma est, febrilis.

740. Minime consistit in impotentia ad motum, atque igitur a paralytica debilitate plane differt; neque partium movendarum dolor motum impedit. Attamen in majori gradu lassitudo stipatur proprio, molesto, praesertim ad musculorum insertiones, sensu, ac si fustibus partes essent dedolatae, tuncque nomine dedolationis venit.

741. Simplex ergo lassitudo non est nisi languor virium animalium, sub quo motus voluntarii cum sensu ponderis et difficultatis, nec non efficaciori tantum voluntatis nisu peraguntur. Hinc non differt ab ipsa debilitate simplici, imo nonnisi debilitas animalis est, mox spuria, mox vera, quae cum universali, ac vitali debilitate qualibet simul semper incedit, illamve instantem prima adnunciat. Quare a febribus, ceu morbis dynamicis ac virium, inseparabile hoc symptoma est; sub omni stadio earum, ab invasione usque ad crisin semper et diverso gradu observandum.

742. Phaenomena socia lassitudinis febrilis sunt: desiderium quietis, lecti, aut situs cujuscunque, sub quo paucissimi musculi agunt, quiete tamen non recreante; fastidium motus et magna ad necessarium anxietas; incessus titubans; motatio tremula, inconstans; cita a minimo motu defatigatio; infirmitas columnae vertebralis, capitis, extremitatum; decubitus negligens; morositas. Hinc penitus differt haec lassitudo a debilitate convalescentium, qui utut lassi, lectum tamen libenter deserunt, pro viribus ambulant, lassi quiete recreantur.

743. Causa proxima hujus lassitudinis febrilis aeque obscura est, ac motuum voluntariorum ratio, et ipsius voluntatis animi alterata ab infirmo organismo dipositio. Multi hujus symptomatis febrilis causam in systemate musculorum voluntariorum, ex circuli humorum laesione aliisque effectibus febrium morbose laeso, ac aegre movendo; alii vero in nervorum systemate quaesiverunt, supponentes liberum commercium inter encephalon et musculos movendos per febris effectus interceptum, spirituumque nervosorum motui commodo insufficientem influxum. Ast in utroque simul momento verosimilius delitescit lassitudinis causa, vires motrices musculorum voluntariorum mox obruens, uti plethora, orgasmus, miasmatica irritatio etc., mox reapse debilitans, uti humorum vitalium dispendium, inedia, etc. Obscuris tamen rationibus propioribus. Ipsa tandem assidua totius organismi oscillatio febrilis, ad fibrarum delassationem non parum contribuit.

744. Effectus hujus symptomatis vix unquam boni sunt, nisi fors quies illa, quam instinctu quaerunt febricitantes lassi, ad morbum felicius absolvendum contribuat. Multo saepius mali observantur, eoque gradu pejores, quo magis urget hoc symptoma. Facile enim nervosae animalium virium laesiones in illas vitalium transeunt, cum focus omnium harum laesionum in encephalo sit.

745. Praesertim lassitudo intensior nimis mature irruens in febribus, aut nimis repente quocunque febrium tempore, item lassitudo non respondens gradui febris, compagi organicae ac aetati aegri, semper ominosa et mala est. Ac inverse — in graviori febre constantia ac libertas

quaedam animalium virium bonis signis merito adnumeratur. Hinc et aliqua prognosis ex hoc etiam symptomate in febribus habetur.

746. Cura hujus symptomatis, si urget peculiarius, cum mere dynamicum sit, etiam unice in virium organicarum diversam laesionem erit dirigenda. Obpressae animales vires erunt liberandae, debilitatae erigendae. Relate enim ad hanc conditionem virium usus restaurantium remediorum erit diversus. Hinc mox venaesectio, mox emeticum, mox incitans medicamen lassas vires sublevat.

747. Unicum igitur ac generale auxilium in omni lassitudine non datur. Generatim tantum aegris his conducet, omni nisu ac animo devincere inertiam ad motum, ac minime indulgere segnitiei. Languentes enim vires animales moderato exercitio optime roborantur. Aeque hoc videre licet sub lassitudine ex spuria debilitate, quam sub illa ex debilitate vera; nam ebrius e. g. intensis omni animo viribus superare tamen valet ignaviam bacho inductam, et equus maximum ex labore exhauriente torporem vincere, si flagello concitatur.

748. Quare lassos aegros continuae quieti committere non oportet; sed diverso impulsu ad moderatas motationes invitare.

b) SYMPTOMATA ADFECTIONUM ORGANICARUM.

749. Febribus minus communia sunt symptomata adfectionum organicarum, quae non pendent a sola et universali omnium virium laesione; proinde non ita constitutiva sunt, ut in omni febre absolute adesse debeant, sed proveniunt potius ab adfectis secundario per vires laesas organis in ipsa compage, quin tamen specialem febrium characterem determinent.

750. Pro diverso situ organorum adfectorum dividuntur in cephalica, thoracica, abdominalia et cutanea.

α. SYMPTOMATA CEPHALICA.

751. Symptomatibus febrilibus cephalicis adnume-

rantur cephalaea febrilis, vertigo febrilis, syrigmus febrilis, delirium febrile, coma febrile, pervigilium febrile, spasmi, convulsiones et tremores febriles.

CEPHALAEA FEBRILIS.

752. Dolor capitis non quidem constantissimum et constitutivum, attamen valde commune symptoma febrium est, in diverso, interdum in omni stadio earum obvium.

753. Ratione sedis est totalis vel partialis, scilicet orbitalis, frontalis, temporalis, occipitalis; internus et externus. Interni sedes plurimum in meningibus ac periosteo interno; externi in pericranio, et membrana Schneideriana. Ratione intensionis diversus est, a levissimo usque ad dirissimum. Ratione sensationis molestae stringens, pungens, pulsatilis, temulentus, vertiginosus. Ratione durationis assiduus, remittens, intermittens, periodicus, vagus. Ratione causae idiopathicus et sympathicus, protopathicus et symptomaticus.

754. Hae vero causae doloris capitis adeo numerosae sunt, ut nonnisi in exacta cephalaeae monographia enumerari possint, suo in speciali nosologia loco. In febribus generatim causas hujus symptomatis sistunt: congestio, inflammatio et spasmus illorum organorum, quae sedem huic dolori praebent.

755. Effectus cephalaeae gravioris semper sunt mali. Inde enim maxima febricitantium inquietudo, pervigilium, febris augmentum. Imo dira cephalaea diu persistens facile inducit delirium, convulsiones, ipsamque apoplexiam. Quare et hoc symptoma ad prognosin in febribus conferre potest.

756. Cura hujusce symptomatis febrium, quod ob vehementiam cruciatuum, quos inducit, non raro urget ad praestandum efficax auxilium, pro ratione causae, qua inducitur, diversa erit. In genere autem, ubi causa non detegenda, aut non amovenda, ubi specialis indicatio non datur, aut data expleri non potest, multum juvabunt in omni

casu remedia derivantia et repercutientia a capite; nempe situs corporis suberectus, versatio in loco obscuro et tranquillo, capillorum abscissio, ligatura capitis, fomentum frontale frigidum, epispastica ad partes inferiores, alvi moderata solutio, evitatio motus, pathematis ac momenti cujusvis, quo humorum ad caput impetus augeri possit. Narcotica igitur hunc dolorem saepius augent, quam minuunt.

VERTIGO FEBRILIS.

757. Vertigo, adparens objectorum externorum rotatio aut nutatio cum metu lapsus, haud insolitum febrium etiam est symptoma, et molestum; mox sereno capite, mox gravi aut temulento. Plerumque urget sub motu ac erectione corporis; interdum vero etiam jacentes aegros molestat, ac minime in sola visus hallucinatione consistit, quoniam etiam clausis oculis percipitur.

758. Utut proxima causa vertiginis plane ignota sit, remotiores tamen ejus in febribus causae fere eaedem sunt, ac illae, quae cephalaeam faciunt; alio tantum earum modificatio est, et ad alia organa directio. Praeterea saepe miasmatum contagiosorum, fere subnarcoticorum in organismum susceptio, situs in lecto horizontalis motu corporis diu neglecto, atque debilitas ex morbo nimis diu protracto, aut ex humorum jactura, symptomati huic producendo in febribus favent.

759. Quod boni ominis nunquam est, et facile statum nervosum aut apoplecticum pro effectu habet; interdum etiam molesto vomitu, ejusque pravis sequelis, stipatur.

760. Cura hujus symptomatis urgentis, molesti et periculosi erit adcommodanda causis, plethorae, saburrae, debilitati etc. Generalia, quae ubique convenient, auxilia ea erunt, quae in dolore capitis, evitato simul omni motu, qui vertiginem inducit. Vertigo convalescentium ex praegressa humorum jactura, aut duratione febris, emendatur nutritione.

SYRIGMUS FEBRILIS.

761. Syrigmus falsas, diversas et molestas offert perceptiones in organo auditus; mox susurrum undarum aut ventorum frementium, mox tinnitum fere campanularum, mox molendinae strepitum. Frequens febrium symptoma, quod non raro stipatur obauditione, aut surditate.

762. Habetur quidem vulgo pro symptomate vel humorali, vel nervoso; nam et apoplexiam, ex utroque fonte prosilientem, plerumque adnunciat. Sed et metastases circa aures oriundas antecedit, et in diversi generis febribus obvenit, potissimum vero in illis catarrhosae indolis, quae adfectis mucosis faucium membranis incedunt. Hinc frequens causa hujus symptomatis in laesa functione tubae Eustachianae quaerenda videtur, qua debita renovatio aëris in cavo tympani intercipitur. Huc autem hujus canalis compressio, constrictio, obturatio, mucositas aut ariditas nimia conferre potest.

763. Hinc cura hujus symptomatis pro diversa causa erit varia. Si febri essentiale est, uti catarrhoso-nervosis febribus esse solet, nonnisi sanato morbo principe profligabitur, imo et convalescentes adhuc molestabit; si vero accessorium est, et a laterali causa oriundum, plurimum juvabit derivans et revulsorius adparatus.

DELIRIUM FEBRILE.

D. Sperling Diss. de diliriis febrium contin. Witeb. 1696.
A. Bing Diss. de delirio febrili. Hal. 1733.
N. Pezold Diss. de delirio febrili. Lips. 1762.
D. Xell Diss. de delirio febrili. Gies. 1784.
J. C. Meyer meletemata delirii febrilis. Hal. 1797.

764. Delirium, paracope, est illa morbosa sensorii communis conditio in febribus, qua ab impressionibus internis spontaneis phantasmata, seu tales ideae in mente provocantur, quae inconcinno sermone, aut gestu, impressionibus externis per sensus factis, non respondente, se ma-

nifestant. Differt ab insomnio absentia somni, et non est, nisi insomnium vigilantis.

765. Delirium est symptoma unice febribus commune, prouti exanthema; hinc epitheto non indiget ad statum febrilem designandum. Alienatio mentis sine febre vesania dicitur.

766. Varii autem sunt gradus delirii, variaeque modificationes. Quod plurimum pendet a fortitudine et duratione impressionum internarum, quae mox elidunt, mox admittunt impressiones objectorum externorum, praevalentibus igitur mox illis, mox his. Inde delirium continuum et grave, si actio causarum internarum in sensorium tam valida est, ut superet omnes impressiones, per sensuum externorum organa factas; tuncque nulla ratione aeger persuaderi, nec ulla externa impressione ab internis averti aut liberari potest. Vel est intercisum lucidis intervallis, si morbosae internae impressiones pro tempore silent; atque tunc ipsimet aegri perpessam mentis hallucinationem agnoscunt. Vel demum variabile est et leve, alternantibus brevi momento internarum ac externarum impressionum actibus praevalentibus; tuncque ideae morbosae interdum delentur, aegri ab adstantibus moniti et correcti resipiscunt, se deceptos phantasmate agnoscunt, imo ipsimet omni voluntatis nisu ad perversas ideas delendas animum intendunt, mox autem in pristinam relabuntur phantasiam.

767. Ab impressionum internarum in sensorium vivacitate diversa pendet etiam diversum, a delirio provocatum, pathema, seu voluntatis directio diversa. Inde mox delirium taciturnum, sub quo aegri secum ipsis occupati sunt, voluntate non multum incitata; mox murmurans, garrulum aut clamosum, ubi fixas, aut vagas suas morbosas ideas libenter aliis communicant; mox jucundum et jocosum, mox iterum triste et morosum, prouti phantasmata vel gaudium, vel aversationem provocant; mox denique placidum, levi solum pathemate stipatum, mox econtra patheticum, nimis impetuose concitans voluntatem, aut furiosum, quo vel fugam omni nisu capere aegri, vel sibi violentas manus in-

ferre, vel aliis, quibus ex phantasia male volunt, minis aut gestibus, opprobrium aut damnum injungere cupiunt et student. Deficiente autem intellectus usu, quo utilem in finem voluntatem dirigere nesciunt, minime tamen, et in summo furore, omni carent ratiocinio, atque, relate ad morbosas suas ideas, non sine consequentia agunt, more somnambulonum.

768. Causa proxima delirii latet quam profundissime, et latebit, quousque omnium sensorii communis functionum ratio erit occulta. Generatim quidem in, morbose mutata, cerebri dispotitione quaerenda est, exactius vero determinare modum, quo internae morbosae impressiones fiant, aeque non licet, ac illum, quo insomnia tempore somni oriantur. Displicet intrare in labyrinthum hypothesium.

769. Remotae causae delirii melius sunt notae, suntque eaedem fere, quae cephalaeae, aliis solum modificationibus cerebrum laedentes, ipsamque, ut videtur, pulpam cerebri, sensuumque organorum primordia alterantes. Hinc, uti cephalaea, etiam delirium vel idiopathicum, vel symptomaticum, vel sympathicum est. Inter numerosissimas in febribus causas delirii communiores sunt: congestio humorum quaevis, et inflammatio in capite, irritatio heterogenei aut in cerebro, aut in organis cum eo consentientibus, aut in omni systemate nervoso; atque nervorum etiam energema fractum. Hinc nullum febrium genus est, quod delirio stipari non possit.

770. Effectus hujus symptomatis morbosi nunquam boni sunt, semper mali. Boni nunquam sunt, quoniam nullus utilis scopus eo adtingi potest. Mali semper, quoniam vel pejora symptomata, praesertim convulsio et apoplexia, delirium febrile facile insequuntur; vel saltem pro tempore homo maximo bono et decore suo privatur, intellectu, atque ad damnosas actiones facile perducitur.

771. Delirium praecipue ferox et pluribus diebus persistens, nullis intervallis lucidis intercisum, pervigilio, clamore ac conatu ad motum assiduo stipatum, notissimis antea non amplius agnitis, semper funestum, ac plerumque morte apoplectica terminatur. Malum quoque omne delirium morosum, tristi pathemate aegrum premens. Pericu-

losum omne, si urinarum et alvi retentio, adsumendorum aversio, ac status nervosi symptomata accedunt. Minus periculosum est delirium leve, nocturnum, aut mox a somno intrans, praesertim in subjectis valde irritabilibus. Ita et delirium jocosum cum risu. Bonum, ubi somnus delirium sedat. Hipp. Ad prognosin igitur hoc symptoma omnino contribuit.

C. H. Döring doctrina Hippocratis de deliriis optimum semiotices exemplar. Marb. 1790.

772. Cum causae delirii adeo diversae esse possint, nulla universalis methodus curationis hujus symptomatis habetur, sed pro diversitate causarum diversa requiruntur remedia. Si plethora aut inflammatio in causa, antiphlogistica derivantia requiruntur; si sordes gastricae, emetica aut purgantia; si colluvies serosa, revellentia irritantia; si debilitas vera et status nervosus, stimulantia et excitantia, praesertim talia, quae libentius tentant caput. Narcotica, absentibus nonnisi inflammatione, humorum ad superiora turgore, saburra et debilitate, tuto adhiberi possunt.

773. Ubi tamen specialis character febris aut non cognoscitur, aut illi satisfacere non licet, generatim illa pro cura hujus symptomatis commendari possunt, quae tum humores, tum nervorum adtentionem ad remotas a capite partes vertunt, repercutientia ac revellentia dicta; nempe capitis tractamentum frigidum, capillorum abscissio, mitrarum abjectio, alvi moderata solutio, epispasticorum ad inferiores partes adplicatio. Universim non bene ferunt calidum tractamentum delirantes, ac numerosis compertum est exemplis, calidis hypocaustis sub delirio retentos, custodumque manibus elapsos, subito resipuisse in aëre libero. Hinc etiam pro potu optime conducunt potus refrigerantes, et praecipue in omni fere delirio, emulsum, pro dato causu, levi camphorae aura impraegnatum. Omnia econtra sunt vitanda, quae turgorem humorum versus caput augere possint.

774. Hinc male fit, si inquieti delirantes statim ligantur aut vinculis coërcentur, nam ob maximum tunc et assiduum nisum ad liberum motum magis adhuc commoven-

tur. Praeplacet, ubi fieri potest, custodum indefessa cura motus inconcinnos delirantium apte dirigere, aut sine magna violentia inhibere.

775. Ipsa moralia et psychica remedia non sunt negligenda. Ideae morbose natae vel delendae, vel minuendae sunt alienis et fortioribus externis impressionibus, quae mentis adtentionem figere valeant. Hinc omnes sensus, praecipue visus et auditus sunt excitandi, tenebrae vitandae, aegri saepius appellandi et commonendi, a pravis ideis revocandi, in phantasmatibus non confirmandi, ludibrio non habendi, non illudendi, maxima patientia et humanitate tractandi.

776. Est tamen gradus delirii, ubi nulla valet persuasio et demonstratio, imo et asperius aegrum alloqui juvat. Quodsi malas intentiones exerant ejusmodi delirantes, statim omnia sunt amovenda, quibus sibi aut aliis damnum inferre possint; fenestrae quoque et januae caute custodiendae.

777. Non semper autem his omnibus auxiliis periculosum hoc symptoma febrium feliciter profligatur, prudensque medicus ideo de matura instantis delirii praefocatione sollicitus esse debet. Hinc tanti momenti est, futurum delirium praenoscere, cujus signa fere sequentia erunt: cephalalgia calida, pulsans, sine remissione; temulentia; pervigilium, aut somni breves, insomniis turbati, terriculamentis interrupti; absentia mentis temporaria mox a somno; memoria madida, reminiscentia debilis; faciei turgor; pressio ad radicem nasi; oculi scintillantes, torvi, vagi, lemosi; susurrus aurium; masticatio ore vacuo; sputatiunculae frequentes; labiorum motitatio et in proboscidem per vices configuratio; potulentum ore retentum et non deglutitum; sitis absentia sub febri intensa; lingua sicca, tremula, aegre porrigenda; silentium ad interrogata, responsio non petita; sermocinatio cum absente; character moralis immutatus, placidi in ferocem, honesti in indecorum; dentium stridor, quibus non consuetus est; respiratio magna, tarda, pulsibus non respondens; decubitus negligens cum gestibus indecoris in homine ceterum verecundo; gesticulationes subconvulsivae; sensilitas imminuta, dolorum

incuria; cutis sicca, alvo et urinis parcis; depositio excretorum in lectum ab homine ceterum mundo; pulsus arteriosi magni, vibrantes.

778. Hisce symptomatibus, aut pluribus eorum, in conspectum venientibus; mature contra inimicum adpropinquantem arma sunt paranda, diversa pro diversa indole febris. Non parum quoque ex parte aegri confert ad praevertendum delirium, determinata et fortis animi erga phantasticas impressiones resistentia.

COMA FEBRILE.

A. Crispus Comment. in letharg. febri acutae supervenient. Panorm. 1668.

D. Schütte Diss. de comate et pervigilio. Traj. 1718.

779. Morbosa assidua somnolentia in febribus coma dicitur; quod duplex est, somnolentum, cum continua, non cohibenda propensione in somnum profundum, ex quo vix excitari possunt aegri; et vigil, ex quo vel suscitari possunt, vel cum delirio, terriculamentis, aut et sponte evigilant, sed mox in priorem somnum relabuntur. Hoc coma vigil cum delirio speciatim dicitur typhomania.

780. Symptoma molestum et periculosum, quod saepe febres per totum decursum comitatur, quae tunc comatosae vocantur. Minus tamen periculosum infantibus et pueris usque ad septimum aetatis annum, quibus in quavis, etiam leviori, febre communissimum est.

781. Causa proxima comatis non facile adsignari potest sine hypothesi, nam et somni sanorum rationes adhuc latent. Encephalon omnino morbose adfectum est, sed quaenam ejus pars, et quo modo, ignoratur.

782. Remotae causae fere eaedem sunt, ac delirii et adfectionum cephalicarum febrilium universim, sed ad alia fors cerebri organa determinatae; potissimum, ut videtur, tales, quae pulpam cerebri vel comprimunt, vel considere faciunt. Hinc aeque turgor, quam collapsus cerebri ex inopia humorum. Specialius vero in febribus coma

producunt, urinarum et alvi subpressio, exanthematum retropulsio, parotidum tumor.

783. Effectus hoc symptoma nonnisi malos in febribus exerit; vel enim apoplexiam pedissequam inducit, imo ipsum jam sistit gradum ejus leviorem, vel vires nervosas saltem obruit, et salubres febriles actiones praepedit.

784. Malam prognosin praecipue statuit coma, quod delirio supervenit, ac statu nervoso stipatur, pulsu exili ac extremitatibus frigidis. Omne autem coma, in febrium principio mox exortum, gravissimi semper morbi praenuncium est, ac promptissima auxilia deposcit.

785. Cura symptomatica generalis non erit alia, quam illa, quae sub delirio exposita: derivans, revulsoria, repercutiens. Mala igitur consuetudo, et potius negligentia est infirmariorum, soporosos aegros somno committere assiduo, atque ideo vel apoplecticae morti, vel inflammationi, aut gangraenae partium, continuo pressarum, occasionem dare. Decet omnino somnolentos ejusmodi truncos saepius agitare, passive saltem commovere, pro sumendo medicamine et potu, pro excernendis deponendis, etc. saepius excitare.

786. Specialior vero therapia hujus symptomatis erit in causas dirigenda; nam saepe oppsita exiguntur auxilia sub causis diversis ac oppositis. Interdum omnibus incassum tentatis, sponte tandem cessat, crisi felici peracta.

PERVIGILIUM FEBRILE.

787. Contrarium comati symptoma in febribus est pervigilium, ἀγρυπνία, quod somnum vel nullum concedit, vel minime protractum. Molestissimum hoc symptoma saepius occurrit in febricitantibus adultis, praecipue vero in senibus, multo rarius in infantibus.

788. Causa ejus proxima aeque ignoratur, ac illa somni, tum morbosi, tum sanorum. Nonnulli crediderunt, peculiarem irritationem sensorii communis, aucto praesertim erethismo nervorum, in causa esse; sed senes universim, quibus tamen fibrae torpidae et nervi stupidi sunt, parum dormire possunt, ac pervigilio etiam sine febre saepissime

vexantur, atque contra sub hemicrania dolentissima non raro maxima est somnolentia. Nec inflammatio cerebri, nec turgor vasorum ejus pro causa pervigilii adsumi possunt, quoniam inflammatorium cerebri statum saepe saepius etiam comate stipatum observamus.

789. Remotae interim causae fere eaedem pervigilium faciunt, quae alias cephalicas in febribus adfectiones; sed ad alia fors organa directae, aut alio modo modificatae. Doloribus tamen, anxietate, et animi pathematibus frequentissime induci videmus pervigilium.

790. Quod non solum summe molestum, sed etiam periculosum symptoma est; facile enim transit in delirium, in statum quemdam somnambulismo analogum, in convulsiones, et in mortem apoplecticam, si diutius perdurat. Hinc malos semper effectus producit, inter quos etiam abscessus ad aures Hippocrates notavit.

791. Ad curandum hoc symptoma causae primariae quidem diligentius sunt respiciendae. Ubi vero hoc fieri nequit, in genere convenient: quies corporis et mentis, alienatio objectorum sensus nimis excitantium, lucis praecipue evitatio, aër frigidiusculus et subhumidus, potus refrigerantes, praesertim emulsa. Susurrus lenis, aequabilis, gratus, egregie quoque somnum interdum invitat, prae ceteris autem, ut Aretaeus adnotat, cuique usitata somnum accersunt, nautis navigatio, undarum murmur, maris navisque odor, musicis cantus etc.

792. Odores grati vegetabilium, quidquam narcotici, soporem potius quam somnum inducunt, cephalaeam vel augent, vel faciunt. Ita et hypnotica interne sumta. Attamen opium justa dosi datum, ab ipso morbo principe non contraindicatum, temporariam saltem, ab aegris efflagitatam, concedit quietem, si non virium refectionem.

793. Pro causa data etiam revulsoria a capite remedia somnum procurare possunt, utut, quemadmodum vesicantia, dolores provocent. Quodammodo ergo etiam illa, quae somnum arcent, somnum faciunt.

SPASMI,

CONVULSIONES ET TREMORES FEBRILES.

794. Violenta, invita et morbosa musculosae partis contractio dicitur spasmus. Qui vel tonicus est, vel clonicus.

795. Tonicus consistit in protracta partium morbosa contractione, relaxatione non subito subsequente. Raro universalis spasmus (tetanus) febrium est symptoma. Multo frequentius localis (tetanodes) in febribus occurrit, musculorum extremitatum, vesicae urinariae, intestinorum etc. Minime ergo pendet hoc symptoma semper ab ipso encephalo laeso, neque cephalicis ideo symptomatibus, nisi in capite, aut universo corpore obveniat, adnumerandum.

796. Spasmi clonici seu convulsiones, consistunt etiam in morbosa, violenta, sed repetita contractione musculorum, intercedente brevi relaxatione; ut ergo contractio et relaxatio sese mutuo et subito excipiant, quin mentis imperio coërceri possint.

797. Etiam convulsiones vel universales sunt, id est omnium musculorum praecipue voluntariorum, vel locales, singulorum solummodo. Universales autem frequentius symptoma in febribus sunt, atque a morbosa cerebri conditione vel pendent, vel illam inducunt; proinde cephalicis symptomatibus adnumerantur. Locales, nisi in capite ipso occurrant, uti oculorum rotationes, faciei distorsiones, risus sardonius etc., cephalicum symptoma minime sistunt, cujus evidentissimum exemplum in singultu, tussi etc.

798. Frequentissimum vero febrium symptoma convulsivum, in omni earum stadio facile obvium, non tantum sub frigore, sed etiam sub calore, sub crisi, sub ipso decremento comparens, est tremor; levissimus convulsionum gradus, musculorum morbosa sed non violenta oscillatio, voluntate non cohibenda. Qui etiam vel universalis est, vel localis, v. g. manuum, labiorum.

799. Tandem intermedius quidam inter tremores et convulsiones observatur gradus inviti motus, propria phaenomena propriasque modificationes et gesticulationes offe-

rens, quae in febribus insigniuntur propriis nominibus, quorum communiora sunt: subsultus tendinum, carphologia et crocidismus, irregularis scilicet, et in nullum cognitum finem directus, motus extremitatum superiorum, quo aegri quasi floccos legere, aut aliquid in aëre venari, aut quaerere conantur.

800. Causae spasmorum, convulsionum et tremoris in febribus valde multiplices et sibi obpositae esse possunt, proinde haec symptomata non semper pertinent ad statum nervosum, nam sub obposita virium conditione comparere, ac aeque adesse possunt sub inflammationibus intensissimis, quam sub summa debilitate. Sic convulsiones frequenter observantur in primo stadio febrium exanthematicarum.

801. Confert imprimis dispositio propria subjecti aegroti, haereditas, fibra delicatula et irritabilis, aetas nativitati propior, sexus femineus. Favente hac dispositione occasionales causas sistunt tum positiva irritamenta, uti stimulus mechanicus, inflammatorius, biliosus, miasmaticus etc., quae heterogenea sua indole nervosum systema irritant; tum etiam immateriales potentiae, uti animi pathemata; tum imo stimulorum consuetorum organicorum defectus, praesertim si illa subest laesa virium ac facultatum nervosarum conditio, quae nomine debilitatis nervorum venit. Manifestissimam, ex vere obpositis causis oriundam, ejusmodi nervosam adfectionem praebet tremor, qui aeque ex maxima plethora, quam ex keneangeia, aeque ex stimulo spirituoso aut pathematico, quam ex summa debilitate oriri potest.

802. Atque ob adeo variabilem, imo interdum obpositam, actionem potentiarum nocentium, quibus producuntur in febribus hae adfectiones nervosae, causa proximae earum, nisi hypothesibus acquiescere velimus, non facile adsignari potest.

803. Sunt autem ceterum vel idiopathicae adfectiones sensorii communis, medullae spinalis, aut ganglionum, vel symptomaticae, vel tantum sympathicae.

804. Effectus spasmorum in febribus nunquam boni sunt, convulsionum interdum boni observantur, ob concussiones, quas organismus inde patitur. Ita convulsiones in primo stadio exanthematicarum febrium exanthema expedi-

re, creditur. Attamen multo frequentius effectus in febribus producunt funestos; jam vel ex eo, quod magnas aegrorum debilitates relinquunt. Sed etiam omnes diutius durantes convulsiones adeo turbare solent sensorium commune, ut universae ejus actiones mutentur, et ipsa apoplectica mors facile adducatur. Imo ex eadem ratione locales convulsiones diu persistentes, aut frequentius redeuntes, facile in universales abeunt; quemadmodum etiam intensiores spasmi frequenter in convulsiones transmutantur. Recte igitur Hippocrates docuit, melius esse, si febris convulsioni succedat, quam si febri convulsio.

805. Quibus consideratis patet, pro instituenda prognosi in febribus, haud indifferentia momenta offerre spasmos, convulsiones, ipsosque tremores. Universalis vel spasmus vel convulsio, cum mentis absentia diu persistens aut pluries rediens, nunquam caret periculo, praesertim in adultis. Brevis et transitoria adfectio sive spasmodica, sive convulsiva, minus periculosa est, praecipue infantibus, ac pueris irritabilibus. Minimum periculum ex spasmo et convulsione locali, brevi. Quodsi diutius persistant, aut frequentius redeant, v. g. singultus, facile in universales abeunt. Idem de tremoribus. Mali sunt universales, qui diu ac vehementer sub aestu febrium persistunt, ac capite adfecto. Partialis tremor, v. g. linguae, minus ominosus est. Tremor labii inferioris, nisi a causa accidentali veniat, uti ab animi pathemate, a pusillanimitate, a lacrymatione etc., saepe designat actum criticum instantem; nam fortissima organismi molimina in heterogeneis e corpore expellendis comitari solet universim, uti sub vomitu, sub partu etc.

806. Si magnus est in junioribus ac irritabilibus subjectis impulsus humorum versus caput, facies plena, turgida; si fixi sunt oculi, aut vage mobiles; si leves faciei motus involuntarii, accedente simul adfectione comatosa, alvo tarda ac urinis limpidis, convulsiones in febribus, aut graviores spasmos praecognoscere utcunque licet, atque mature auxilia instituere oportet ad malum praecavendum, quod, dum jam pleno impetu intraverit, non semper feliciter profligatur.

807. Therapia spasmorum, convulsionum et tre-

moris, illa deposcit remedia, quae obposita sint causis. In febribus inflammatoriis antinflammatoria, in gastricis evacuantia, in nervosis excitantia erunt indicata. Antispastica specifica, in quovis horum casuum proficua, non dantur.

808. Ubi autem specialiores indicationes non habentur, generalis ac symptomatica cura plurimum in eo consistit, ut ab encephalo, vel a parte maxime irritata instituatur derivatio, respondens conditioni virium, atque ut ita nervi, sive obruti, sive irritati, liberentur; siquidem, uti praesertim in initio febrium acutarum, nec jactura humorum, nec vera debilitas pro causa adcusari potest. Huic scopo satisfaciunt cautae alvi solutiones, praesertim ope clysterum, balnea, moderata cutis irritamenta; si aegri deglutiunt, interne talia, quae, nervis irritatis blandiendo, motus inordinatos componunt, quin alios tumultuose provocent, uti potus mucilaginosi, emulsa, mixturae oleosae, camphora, moschus, ammonia, calomel cum opio in refractissima dosi. Quae omnia in casu ancipite tuto exhiberi possunt, nam mucilaginosa debilitatem non augent, aura camphorae, moschi etc., orgasmum non extollit. Caveat medicus, nisi summus esset virium languor, ab usu stimulantium fortiorum, ad quem facile seducunt imperitum speciosa nomina antispasmodicorum. Mala est opinio, omnes spasmos et convulsiones ex debilitate oriri, atque stimulantibus unice indigere remediis. Pessime noceret praxis haec impetuosa in febribus infantum ante eruptionem instantis exanthematis.

809. Tremoris quoque febrilis, si multum urget, eadem cura est. Qui vero pendet a frigore, illis est curandus remediis, quibus frigori occurritur. Convalescentium tremor petit nutritionem et restaurationem. Hinc in cura hujus symptomatis praesertim adtendendum, quo tempore febris fiat.

β. SYMPTOMATA THORACICA.

810. Ad symptomata febrilia urgentiora, ab adfectione organorum pectoris pendentia, pertinet praecipue anxietas febrilis, et tussis febrilis.

ANXIETAS FEBRILIS.

A. Schellhamer Diss. de anxietate praecordiali. Jen. 1694.

L. Heister Diss. sistens theoriam et therapiam molesti symptomatis, cujus signum est anxietas. Helmst. 1755.

D. Fasch Diss. de anxietate praesertim febrili. Jen. 1764.

811. Non dolorifica, peculiariter tamen molesta, fere obpressiva aut constrictiva sensatio, cum situs impatientia ac assiduo desiderio amovendi ingratum, dicitur anxietas (Dysphoria). Quae tamen, prouti dolor, melius sentiri, quam explicari potest.

812. Phaenomena, quae anxietatem comitantur, sunt: tenesmus ad motum, etiam quandoque cum irrito conatu ad eum; inquietudo et jactitatio, quin tamen mutato situ contentus conquiescere possit aeger; respiratio suspiriosa aut luctuosa, pervigilium, morositas, sudor proprius, angore expressus.

813. Locus, in quo hoc malum occurrit, diversus esse potest. Et quidem vel singulae partes, vel omnis organismus anxietate torquetur.

814. In febribus frequentissima est anxietas anhelosa, in pectore sedem habens, molestia, ac metu suffocationis stipata. Quae tunc percipitur, quando liber circulus sanguinis per cor et vasa majora, aut per pulmones impeditur. Et quidem in omni febrium stadio frequens symptoma, sub frigore, sub aestu et praesertim ejus exacerbatione, sub turbis criticis, et sub ipsa ultima lucta vitae cum causa morbi invincibili.

815. Hujus anxietatis duas praecipue species statuere licet, praecordialem et pulmonalem.

816. Anxietas praecordialis exoritur ex praepedito sanguinis exitu ex corde in arterias majores. Stipatur sensu ponderis, angoris et ardoris cordis intolerabili, pulsibus arteriarum inaequalibus aut intermittentibus, proclivitate in syncopen. Eaque est saevissima et periculosissima; frequenter lethalis, si vel anevrysmaticae vasorum majorum extensiones, vel polyposae adsunt in cavis cordis concretiones.

817. Anxietas pulmonalis oritur, si sanguis ex pulmonibus per venas eorum ad cor libere redire non potest, aut quocunque obstaculo in transitu per pulmones impeditur. Haec species anxietatis in praxi febrium est frequentissima, atque occurrit sub omni peripneumonia, imo sub omni secundaria in pulmonibus congestione sanguinis aut aliorum humorum. Stipatur obpressione ac pondere sub sterno, respiratione anhelosa, suspiriosa, sensu ac metu suffocationis, quo quidem symptomate nullum est molestius, pulsibus arteriarum mox inaequalibus, mox etiam regularibus.

818. Si vero transfluxus sanguinis per venam portarum impeditur, moleste quidem etiam adficiuntur pulmones diaphragmate sursum presso, ac respiratio plus minus fit anhelosa; sed maxime angitur plenum hepar ac adjacens ventriculus. Propterea haec anxietas, prioribus minus periculosa, dicitur epigastrica, atque illaeso etiam hepate ex solo ventriculo onerato oritur. Cognoscitur pondere ad hypochondrium dextrum, aut ad cordis scrobiculum, dolore epigastrii pressivo, cardialgico, ad praecordia diffuso, ita molesto, ut etiam aegri prae intolerantia regionem hanc pugnis percutiant. Pulsus arteriarum non sunt characteristici sub hac anxietate.

819. Sunt autem et aliae, minime anhelosae, attamen diversimode molestae anxietates aliarum partium, aliorumque organorum, tum in febribus, tum extra illas. Ita dira cephalaea facit anxietatem capitis, odontalgia anxietatem dentis aut maxillae, pruritus cutis non sedandus anxietatem cutis, podagra anxietatem cruris etc., qua nec per momentum fere minimum partes adfectae in eodem situ retineri possunt, aut denegato motu, assiduis irritis ad eum conatibus molestantur. Ita etiam si habituales ex prava consuetudine motus ac gesticulationes singularum partium omni nisu subprimuntur, aut flexae extremitates diu non extenduntur, anxietas quaedam oritur. Quae musculorum anxietas ex pluribus causis etiam in febribus occurit.

820. Denique etiam datur anxietas universalis omnium simul partium organismi, quae non minus molesta est, ac ipsa anhelosa. Talis extra morbos anxietas est ex animi

pathematibus, ex pudore, zelotypia, ex impatientia, ex mussato desiderio avidiori qualicunque. Talis in morbis est anxietas spasmodica hystericarum, hypochondriacorum, rabidorum. Talis in febribus est anxietas ex saburra, flatulentia, spasmo, inflammatione intestinorum, ex exanthemate non prorumpente aut retropulso, ex doloribus vehementissimis, praesertim arthriticorum, si morbus in omni junctura est. Imo sub omni omnino febre cordis ac arteriarum quaedam anxietas videtur adesse. Quae maxime urget sub crisi instante, et praecipue, sub gravissima vitae reluctatione in agone mortis.

821. Causa proxima omnis anxietatis latet omnino in impatiente desiderio amovendi ingratum, cui voluntas, vehementissimo nisu incitata, satisfacere non potest. Remotae causae universim vero in organorum obpletione aut constrictione tali, qua circuli aut nervorum libertas subprimitur. Hinc humorum congestiones ac spasmi ad frequentissimas anxietatis causas excitantes spectant. Sunt vero et plures adhuc, uti moles heterogenea peccans, rapidior per viscera circulus, consueti organorum situs mutatio, diu cohibitus motus muscularis etc.

822. Pro diversitate harum causarum effectus et periculum hujus symptomatis variant. In genere autem semper mali sunt, quoniam praesertim in febribus summam inquietudinem, pervigilium, proinde augmentum febris, atque tum molestias ingratissimas, tum et periculosas, praecipue in pectore, sequelas, animi deliquia, stagnantium humorum concrementa in praecordiis, et ipsam suffocativam mortem post se trahere possunt. Omnis enim anhelosa anxietas ipsam vitam periclitari indicat, atque promptum auxilium deposcit.

823. Huic jam molesto et periculoso symptomati pro diversitate causae therapia prospiciendum est diversa. Ubi congestio peccat, requiritur depletio, ubi irritatio et moles heterogenei, evacuatio, ubi spasmus, ejus resolutio etc.

824. Ubi vero specialis indicatio non elucet, aut satisfieri illi nequit, ibi symptomatica cura in generalibus quibusdam, sub omni anxietate proficuis, auxiliis con-

sistit, quo fere sequentia spectant: situs corporis talis, sub quo facilior humorum per anxias partes circulus concedatur, in anxietate praecordiali et pulmonali semisupinus, in hepatica in latus sinistrum etc.; ligationes et stricturae partium anxiarum, siquidem instinctus et automatica aegrorum pressio illas indicat; heroica devictio impatientiae ac jactitationis nimiae, quibus omnino causae anxietatatum adhuc augentur; ab alimento et potulento nimio, quo primae viae onerantur, moderata abstinentia; excretionum cauta promotio.

TUSSIS FEBRILIS.

825. Sonora ac violenta pulmonibus repentine compressis exspiratio, sive invita et convulsiva, sive imperio voluntatis provocata, cum nisu exspectorandi, dicitur tussis, βῆξ. Symptoma morbosum nonnullarum febrium essentiale, pluries autem accidentale et adventitium, morbis tamen plerisque, et vix non omnibus febribus commune.

826. Occurrit sub frigore febrili, ex congestione humorum tunc majore in pulmonibus; ex simili ratione sub aestu febrili ac febrium exacerbatione plerumque comparet; sed et in omni febrium stadio obvenit, si major adest pulmonum irritabilitas; a minimo enim tunc aëris inspirati aut potulenti deglutiti irritamento tussis excitatur. Quam, etiam illaeso pulmone, sola provocat diaphragmatis irritatio et convulsio.

827. Triplex universim quoad originem suam tussis est: gutturalis, pulmonalis et abdominalis.

828. Interdum ab irritamento in larynge, aut in faucibus prope laryngem, convellitur diaphragma ex mira harum partium philadelphia, atque tussis excitatur cum nisu irritantis e gutture amovendi, quae gutturalis dicitur, atque non tantum sensu aegri ipsius, sed etiam proprio sono, ac proprio ejiciendi tenesmo dignoscitur.

829. Tussis pulmonalis, omnium frequentissima, ex irritatione in pectore, sive pulmonis, sive pleurae, oritur. Sensus aegri, excretionis, si quae adest, ratio, atque proprius sonus hanc tussim denotant.

830. Si vero ex parte ventriculi, aut organorum contiguorum, descensus diaphragmatis ita praepeditur, ut mox in usum vocatis musculis abdominalibus convulsive adscendere debeat, oritur tussis, nisu exspectorationis non semper stipata, quae gastrica aut abdominalis vocatur, et cujus stimulum ipsi aegri sentiunt infra diaphragma.

831. Causae ergo tussim provocantes, utut proxime nonnisi diaphragma convellentes, remotae tamen multiplices esse possunt, irritantes scilicet in diversis locis. Inde in febribus gastricis, inflammatoriis ac aliis, tussis essentiale poterit esse symptoma morbosum, sub diversis diversorum organorum, cum diaphragmate correspondentium, adfectionibus; accidentali autem modo omnibus febribus se adsociare potest, ex aëre inspirato irritante, ex frigore aut humiditate atmosphaerae, ex heterogeneo diverso in guttur aut pulmones adtracto, ex potu frigido, ex liquido prave deglutito, ex ventriculo nimis onerato etc. Dantur porro homines, qui peculiarius proclives sunt in tussim, uti illi, quibus pulmones morbose adcreti, aut tuberculosi, aut nimis irritabiles, aut ad turgorem proni sunt etc.

832. Tussis eos quidem bonos effectus producit, ut irritans heterogeneum ejiciat, aut viscera interdum salubriter concutiat; hinc quousque molesta non est, negligitur plerumque ab aegris et a medicis. Dum vero sine scopo molesta evadit, aut effectus minatur damnosos, dolores, cephalaeam, pervigilium, dedolationes diaphragmatis, inquietudines, anxietates, vomitum, sputum cruentum, aut irritum expectorandi nisum, aut metum ipsius suffocationis, indiget sane symptomaticis auxiliis.

833. Haec cura symptomatica pro diversa indole speciali febris, cujus symptoma tussis est, mox antiinflammatoria, mox antigastrica, mox antispasmodica etc., requiritur. Generalia auxilia, quae fere in omni tussi conveniunt, illamque mitigant, si non penitus levant, sunt; situs corporis talis, sub quo minime tussire debeat aeger; subpressio nisus ad tussim inanem, nam tussis tussi augetur, uti frictu pruritus; potus blandus, mucilaginosus, non frigidus, non affatim, sed per vices haustus; linctuum, pastillorum etc. in ore volutio, ac successiva deglutitio.

Si haec non sufficiunt, ac princeps indicatio non vetat, cautus narcoticorum usus requiritur.

γ. SYMPTOMATA ABDOMINALIA.

834. Ad urgentiora febrilia symptomata, ab adfectionibus morbosis organorum abdominis oriunda, spectant praecipue: nausea et vomitus febrilis, diarrhoea febrilis, constipatio alvina febrilis, flatulentia febrilis, atque urinarum difficultates in febribus.

NAUSEA ET VOMITUS FEBRILIS.

A. Eysel de nausea, primario atque perenni morborum comite. Erf. 1717.

S. F. Friedrich Diss. sistens generaliora de nausea et vomitu. Francof. 1794.

835. Fastidium ingerendorum, comite idea horroris ac proclivitate in vomitum, dicitur nausea, *ναυτία*. Quae diversos gradus habet. In majori gradu vel sequitur irritus et convulsivus vomendi conatus sine ejectione, vomituritio (das Recken), vel ipse vomitus, realis scilicet, violenta ac convulsiva ejectio contentorum ventriculi per os. Lenis enim ac successiva expulsio chymi ad fauces sine nausea adscendentis sistit ruminationem, quae solo motu antiperistaltico ventriculi peragitur, quin contribuat prelum abdominale convulsum.

836. Omnia haec morbosa symptomata sunt quidem praecipue gastricarum febrium constantes satellites, sed et in omni febrium genere, laterali ac accidentali modo comparere possunt, imo in febribus exanthematicis contagiosis, ac in ipsis nervosis, praesertim sub earum exordio, sunt phaenomena minus inconstantia. Nec mirum, haec symptomata febribus ita communia esse; cum causae eorum multiplices in febribus plerisque sint obviae, et cum ventriculus, sensilitate, irritabilitate ac harmonia sua cum plerisque visceribus, peculiarem prae aliis organis defendat superioritatem.

837. Hae causae pro diversitate intensionis suae mox nauseam tantum, si leviores sunt, mox vomitum ipsum excitant, si sunt graviores. Observationes enim, in discissis animalibus vivis diversimode irritato ventriculo institutae, docuerunt, leves tantum irritationes fibrarum muscularium faucium, oesophagi ac ipsius ventriculi, expulsionem contentorum ejus efficere vix valere, minime autem totalem; cum fibrae ventriculi, quamvis validissime convulsae, ad abolitionem omnis luminis ventriculi contrahi non possint. Imo ventriculus inciso abdomine non admodum contractus videbatur tempore vomitus, verum diaphragma valde concutiebatur, ac si illud cum musculis abdominalibus vomitum unice promoveret. Quod idem confirmatur, si considerantur phaenomena convulsiva, quae vomitum comitantur, atque dedolationes preli abdominalis insignes, quae vomitum insequuntur; demum si reputatur, equos, quorum ventriculus prelo abdominali minus est expositus, vomere nunquam posse.

838. Quibus rite perpensis proxima causa nauseae et vomitus clarius elucebit. Nausea scilicet sine horrida ingerendorum abominatione est sane adfectio mere nervosa, cum omnium adpetentiarum ratio in nervis lateat. Nausea vero cum nisu ad vomitum, seu tenesmus ventriculi, jam supponit fibrarum ventriculi leves convulsiones; quae si etiam graviores fiant, modicam tantum ventriculi exonerationem producere valent; si vero gravissimae eum in gradum augentur, ut diaphragma simul ac musculi abdominales convellantur, tunc primo validum vomitum excitare possunt.

839. Omnes igitur remotae causae nauseae ac vomitus eo conspirant, ut primo nervis ventriculi aliena ac morbosa dispositio inducatur; dein, ut fibrae musculares ventriculi, vel solae, vel potentiis preli abdominalis in consensum tractis, convellantur. Et quoniam copiosissimi nervi ventriculi cum illis diversorum organorum magno in consensu versantur, hinc etiam procul a ventriculo dissita irritamenta eum facile adficiunt morbose, aut convellunt; praesertim si dispositio individua favet, uti in infantibus, feminis, ac omnibus subjectis, quibus major est ven-

triculi ac diaphragmatis irritabilitas, atque nervorum mobilitas.

840. Neque ergo requiritur, ut nocivae potentiae ac irritantes immediate ventriculum adficiant; nam vomitus non semper idiopathicus, imo pluries vel symptomaticus vel sympathicus est. Causae eum excitantes enim vel directe, vel indirecte in ventriculum agunt.

841. Vomitum idiopathicum excitant irritamenta quaevis, ventriculo peculiarius infensa, eumque stimulo suo immediate adgredientia, uti venena, moles ingestorum, saburra acris multiplex, ipsi humores gastrici acriores sub inedia redditi, heterogenea quocunque titulo molesta ventriculo, hujusque ab organicis morbosis adfectionibus irritatio, uti ab inflammatione, ulcere, scirrho etc. Extra ventriculum autem et contigua organa irritantes causae symptomaticum vomitum faciunt; ita irritatio duodeni ac reliquorum intestinorum, oesophagi et faucium, nec non praecipue hepatis ac diaphragmatis actio morbosa in ventriculum. Sympathicum denique vomitum, ex mero nervorum consensu, non tantum generant morbosae adfectiones encephali, quod cum ventriculo summopere concordat, unde ille vomitus ex capitis laesionibus, cerebri inflammationibus, vertigine etc.; sed etiam quaevis totius systematis nervosi inordinata constitutio nauseam et vomitum facile provocat, atque inde ille vomitus, qui fere frequentissimus est, ex ingrata ac aliena quadam impressione in nervos, quemadmodum vomitus hystericarum, hypochondriacorum, vulneratorum, luxatione aut quocunque dolore graviori correptorum, animo vehementer adfectorum, miasmate contagioso infectorum etc. Quarum causarum nonnullae in febribus frequentes esse solent; unde mirandum non est, paucas febres sine nausea aut sine vomitu decurrere.

842. Utut autem molesta haec symptomata sint, non tamen carent omni bono effectu in febribus. Nausea per omnes fibras ac nervos in organismum universum agit, illum alterando, ita interdum salubriter, ut ars imitari conetur hos salubres effectus. Porro nausea aegros ab inge-

rendis nocivis dehortatur, ipsumque serius vomitum adducit, quo nocua expelli possint. Vomitus autem non tantum ejicit illa nociva irritantia, sed et viscera diversa salubriter concutit, cutis excretionem promovet, atque spasmo ventriculi inducto alios diversos resolvit spasmos, et stases morbosas reserat. Talis vomitus saluber merito dicendus.

843. Idem autem vomitus, et quae eum invitat nausea, effectus etiam valde deleterios in febribus generare possunt, praecipue si diutius persistant. Vomitus praesertim denegat ingestionem alimenti, potulenti et medicaminum; contenta intestinorum, praecipue duodeni in ventriculum revocat; violenta concussione inflammationem viscerum aut gignit, aut praesentem exasperat; hernias, abortum aut praematurum partum inducit; vere debilibus debilitatem auget; totum systema nervosum facile turbat, atque vel universales convulsiones serius excitat, vel, non componendis ventriculi nervis, habitualis evadit; denique ob humorum congestiones, quas facit in capite, ad ipsam apoplexiam disponit, aut eam gignit. Talis, nullo plane cum levamine incedens, vomitus symptomaticus dicitur.

844. Atque ex effectuum, vel salubrium sperandorum, vel timendorum nocentium, consideratione, vomitus etiam momenta quaedam prognostica in febribus offert; quo simul materia, quae vomitu rejicitur, considerata in qualitatibus suis, contribuit. Nisi enim ipsa materies irritans vomitu rejiciatur, optima solum erit illa, quae bile et pituita mixtis constiterit, neque admodum spissa fuerit. Vomitus autem sinceros, porraceos, nigros, versicolores, subputris et gravis odoris, damnavit Hippocrates. Et inter hos sincere stercorei sunt pessimi. Damnosus itidem singultus et rubor oculorum a vomitu.

845. Prouti jam diversa causa nauseae et vomitus in febribus est, ita etiam cura hujus symptomatis multum diversa institui debet.

846. Vomitus saluber, quo per concussus validos noxia, in visceribus haerens, materia mobilis redditur, aut saburra ventriculi expellitur, tumultuarie non est sistendus, sed potius tenui potu ita promovendus, ut minori cum mo-

lestia fiat; vacuo enim ventriculo quammaxime aegros affligunt vomendi conatus irriti. Vomitus vomitu praesertim tunc sedatur docente jam Hippocrate, ubi unacum vomitu evacuantur illa, quae vomitum faciunt.

847. Si vero nullus utilis finis vomitu obtinetur, si vomitus in febribus vel molestus nimis, vel periculosus aegris fit effectibus suis nocivis, sedari omnino debet, et quidem illis remediis, quae causae hujus symptomatis obposita sunt, ac speciali indicationi, quantum fieri potest, satisfaciunt. Quod quidem etiam de nausea diutius protracta, ac aegris nociva, valet. Et cum causae horum symptomatum in febribus valde multiplices sint, hinc omni sollicitudine in eas indagandum. Si ex inflammatorio viscerum statu nausea aut vomitus oritur, haec symptomata sedari nequeunt, quousque non tollatur inflammatio. Si oritur e fomite gastrico aut ventriculi heterogeneo, nonnisi evacuantibus; aut amotione heterogenei praehibita, diluentibus ac reagentibus remediis; si a miasmate, diaphoreticis; si ex nervosa causa, nervinis aut narcoticis componentur nausea et vomitus in febribus etc. Adtendendum autem erit praecipue in consensuali vomitu ad illa organa, a quibus ventriculus aegre disponitur.

848. Ubi vero speciales firmae indicationes non habentur, aut illae expleri requeunt, ibi generalis quaedam requiritur cura, quae utut non in omni casu penitus sufficiat, in quovis tamen aliquod horum symptomatum levamen praestat. Situs imprimis aegri saepe sufficit ad vomitum infringendum, praecipue illis, quibus a vertigine venit, qui dum surgunt, aut lateri dextro incumbunt, vomere debent. Alimenta, potulenta et medicamina non debent copiose ingeri, sed parca quantitate, et frequentius exhiberi. Leves frictiones, pressiones, stricturae epigastrii, fomenta calida, leviter irritantia, absente inflammatione rubefacientia, scuta stomachica subaromatica, subnarcotica, plerumque levamen faciunt. Conducit quoque semper, alvum solutam tenere. Si haec non juvant, urgente vomitu, opii moderatus usus, aut ejus cum sale alcalino fixo, quod fibras musculares minus irritabiles reddit, sive alternatio sive miscela, aut denique si omnia adhibita cassa, potus

Riverianus molestum hoc symptoma levat, ad quem obtinendum vel Kali carbonicum, vel terra absorbens cum acido vegetabili miscetur, et sub ipsa effervescentia deglutitur; quo fit, ut extricato gas acido carbonico nervis ventriculi alia inducatur dispositio. Idem interdum obtinetur cauto calomelanos usu. Denique et methodus antagonistica saepe vomitum lenit, si scilicet stimulis irritantibus, quantum febris permittit, nervorum ventriculi adtentio ad alias et dissitas partes figitur.

849. Vomitus febrilis gravidarum, herniosorum, ac ipsorum convalescentium, proprios ac specialiores petit respectus.

DIARRHOEA FEBRILIS.

Chr. G. Ludwig Diss. de diarrhoea in febribus acutis. Lips. 1754.

850. Frequens liquidorum excrementorum per alvum evacuatio dicitur diarrhoea. Differt a dysenteria, in qua liquidi excrementi crebram ejectionem dolor notabilis aut tenesmus comitatur. Differt a cholera morbo, in qua praeter frequentes alvi dejectiones etiam vomitus adest, pedissequo insigni ac subitaneo virium languore.

851. Quoad materiem ex alvo excretam multiplex est diarrhoea, chymosa (lienteria), chylosa (passio coeliaca), mucosa, serosa, biliosa, cruenta, putrida, verminosa etc.

852. Varia haec diarrhoea frequens est febrium symptoma, sub diverso earum genere, ac sub diversis earum stadiis occurrens. Causae enim hujus profluvii sunt numerosae, ac praesertim in febribus obviae.

853. Communiores autem hae causae in febribus sunt: irritamenta intestinorum multifaria, entericorum humorum secretionem ac motum peristalticum morbose provocantia; stimulus praesertim saburralis, biliosus, verminosus, medicamentosus, stimulus levior inflammatorius, vel et catarrhosus aut rheumaticus ad intestina directus. Deinde etiam tubi intestinalis laxitas et debilitas, energiam in coctione ac absorptione minuens, cum passivo simul defluxu humorum ad cavum intestinorum.

854. Unde facile patet, remotas diarrhoeae in febribus causas numerosas esse posse. Quae nec semper directe, sed et per consensum ab aliis partibus morbose adfectis, praecipue autem ab organo cutaneo indirecte in intestina agunt; atque eo promptius agunt, quo major in certis individuis ad hoc profluvium est dispositio.

855. Effectus, quos diarrhoea in febribus producit, possunt esse diversi, et plane oppositi. Sub actu critico judicatorium levamen fert diarrhoea, quae dicitur critica. Sub ipso autem jam initio febrium diarrhoea interdum comparet cum eupathia aegrorum, decisivum quidem non adducens levamen, salubris tamen omni jure dicenda, noxiumque aliquid e corpore expellens. Utraque haec diarrhoea morbosis symptomatibus non potest adnumerari. Ita quoque nec illa indifferens diarrhoea, quae quidem morbum nec tollit, nec levat, integris tamen manentibus incedit viribus, probabiliter aliquid eliminando, quod superabundat in corpore. Morbosa vero in febribus est illa per superioritatem dicta symptomatica diarrhoea, quae virium jacturam damnosam inducit, initiante adhuc morbo materiem ad exitum non dispositam falsis conatibus eliminare contendit, ipsam nutrimentorum ac medicaminum desideratam actionem praepedit, atque liquescentibus unacum massa organica viribus salubres operationes criticas aut inhibet, aut retardat, aut pernicioso modo vires plane exstinguit, uti diarrhoea colliquativa.

856. Haec diarrhoea in febribus eo pejoris notae esse solet, quo citius vires consumit, quo magis aetate provectum est subjectum, quo minus in aegri voluntate est facultas excretionis, quo magis cruda et heterogenea sunt excreta etc. Hinc ex hoc etiam symptomate aliqua interdum habetur in febribus prognosis.

857. Sub cura diarrhoeae febrilis omnium primo est dijudicandum, an hoc profluvium reapse sit sistendum. Si enim in emolumentum aegri, aut saltem sine ejus noxa comparet, intempestive non est inhibendum; atque universim praestat, in febribus alvum habere lenitur solutam.

858. Si vero quacunque ratione urget, praesertim si

vires aegri frangit, aut exhaurire minatur, eo majori molimine coërcenda erit diarrhoea, quo magis infensa est viribus. Et quidem rationalis cura, ubi fieri potest, semper in causam hujus symptomatis erit dirigenda. Hinc specialis ejus therapia, pro diversitate causae erit diversa. Acre irritans ex intestinis erit amovendum, aut saltem corrigendum, aut diluendum, aut obvolvendum. Stimulus inflammatorius, si qui adest, erit dissipandus. Laxitas intestinorum peccans remediis tonicis, debilitas stimulantibus erit emendanda. Subpressa atque ad intestina tendens transpiratio cutis restituenda etc. Nunquam tamen tumultuarie est sistendum hoc profluvium in febribus, nisi periculum urgeat. Nimis enim, ac derepente constricta quaevis colatoria facile congestiones in diversis organis faciunt, atque salubres intercipiunt criticas operationes.

859. Quodsi autem specialis indicatio ad sistendam diarrhoeam febrilem non eluceat, aut ob contraindicantia momenta illi satisfieri nequeat, generalis quaedam cura symptomatica requiritur. Haec consistit imprimis in usu remediorum mucilaginosorum ac plasticorum, qualia sunt: decocta radicis salep, symphiti, lichenis islandici, oryzae, cremor hordei, mucilago gummi arabici, seminum cydoniorum, gelatina tragacanthae, ichthyocollae etc. His enim abstersus per nimium profluvium mucus restituitur, intestina custodiuntur, ostia secernentium vasorum intestinalium obliniuntur, acre in intestinis hospitans inviscatur. Hae autem mucilagines nec mole nec frigore intestinis debent esse infensae.

860. Porro, quoniam fere semper irritabilitas intestinorum exaltata est, qua motus peristalticus atque adfluxus humorum augetur, et diarrhoea sustinetur, praeter remedia mucilaginosa, si nulla est opposita indicatio, minuunt diarrhoeam pharmaca narcotica, praesertim opium refracta dosi, ac in connubio radicis ipecacuanhae, quae peristalticum motum simul invertit. Rebellis diarrhoea, amoto stimulo irritante, ac laxitate relicta, petit usum radicis colombae, quae inter omnia amara pharmaca minime aperit alvum.

861. Ad externa auxilia spectat: sicca abdominis et

calida fomentatio, usus clysterum summe mucilaginosorum, ac plasticitate sua blennostaticorum, parcissima dosi, ut libentius retineantur, injectorum; quibus optime inservit cremor hordei non salitus cum vitello ovi. Vesicantia quoque alvum retardant, si ex cantharidibus parantur.

862. Quod regimen concernit, male universim habent diarrhoici in aëre frigido, humido; male sub spurcitie ac immunditie, quae pravas etiam ex decubitu inflammationes invitat. Petit igitur hoc profluvium pro sanatione sua semper siccum ac aequabiliter calidum aërem. Frequens ac intenta urinarum excretio, saepe etiam diarrhoeam minuit.

CONSTIPATIO ALVI IN FEBRIBUS.

863. Constipatio alvina, stypsis, causas agnoscit oppositas illis, quae diarrhoeam faciunt. In febribus praesertim eos molestat aegros, qui jam ex dispositione sua proclives sunt in tardiorem alvum, uti feminae, praecipue gravidae, viri haemorrhoidarii, melancholici, quibus fibra stricta, viscera obstructa, systema venae portarum infarctum.

864. Oritur quidem non raro ex bilis inertia, ex laxitate fibrarum intestinalium cum tardo motu peristaltico, ex defectu lubricationis, ex obstaculis mechanicis diversis, herniis, stricturis, faecibus crassis copiosis, quibus intestina ita extenduntur, ut sphincteres, ceu antagonistae claudantur. Saepius tamen in febribus ex spasmo aut inflammatione intestinorum originem habet.

865. Sunt quoque febres, quae ex indole sua magis disponunt ad alvum obstipatam; uti inflammatoriae legitimae, inter illegitimas rheumaticae ac nonnullae exanthematicae. Urget interdum etiam in febribus intermittentibus hoc symptoma, atque in convalescentia ex continuis plerisque.

866. Deleterii effectus, quos pertinacior alvi constipatio producit in febribus, sunt: turgor versus superiora, cephalaea, vertigo, delirium, nisus in parotides; augmentum caloris ac febris; evacuationum criticarum salubrium praepeditio; anomaliae diversae in omni febris decursu. In intestinis autem ipsis ex nimia faecum adcumulatione ac extensione facile oritur debilitas paralytica, partialis sal-

tem, quae et morbosam interdum admittit introsusceptionem (volvulum), pedissequa universim summa difficultate in alvi excretione; quae intestinorum pertinacia, si prospiciens huic symptomati medela procrastinatur, etiam ileum morbum inducere potest.

867. Moderata, non diu persistens constipatio, quae aegris nec molesta est, nec febrim auget, tumultuario auxilio quidem non indiget, praesertim in subjectis, quae ad tardiorem alvum in sanitate sunt proclivia. Praestat tamen omni die alvum semel apertam habere in febribus, praesertim junioribus subjectis, et quammaxime infantibus et pueris.

868. Haec cura symptomatica, alvum sub febribus adstrictam sollicitans, potissimum consistit in clysteribus emollientibus, relaxantibus, mucilaginosis ac oleosis. Quodsi his non respondeat venter, ad leviter irritantes, mellitos aut saponatos; atque hisce inefficacibus, serius ad salitos erit adscendendum.

869. Pharmaca purgantia, scopo alvum semel aperiendi, inepte porriguntur, nisi princeps in febri indicatio alviductionum petat usum. Fortiora praecipue et drastica, post validas purgationes adhuc magis stringunt ventrem. Remedia autem aperientia ac leni modo laxantia, ubi princeps morbus non vetat usum eorum, symptomaticam etiam ad curam utilius adhiberi possunt. Quo spectant decocta solventia, mannata, tamarindata, salina, ac inter sales praesertim mirabilis et amarus. Quibus non sufficientibus, aut intestina nimis irritantibus, calomelanos duo aut tria grana adultis una dosi exhiberi possunt.

870. Semper tamen cura haec symptomatica ad eandem cum vitali collineare debet indicationem. Ita in febribus nervosis, aut in intestinorum inflammationibus plane non licebit adhibere purgantia, in gastricis econtra febribus, praesertim si tenax est saburra, propinare oportebit etiam fortiora.

871. Hisce autem auxiliis therapeuticis etiam diaeta correspondere debebit, quae et sola in leviori casu ad promovendam alvum saepe sufficit. Pertinent huc: fructus cocti, aut jura eorum; potus aciduli cum acido tartrico,

succo citri; fomenta emollientia ad abdomen, inunctiones relaxantes, balnea tepida. Ipse situs aegri aliquid facit ad promovendam ventris exonerationem; sunt enim aegri, qui jacentes excernere non possunt, illico autem excernunt, dum surgunt. Quare et leve corporis exercitium, quantum vires in febribus permittunt, ad alvum facilitandam confert.

FLATULENTIA FEBRILIS.

J. G. Plenker Diss. de meteorismo, ejusque praecipuis speciebus. Vindob. 1782.

A. Mayer Diss. de meteorismo, ejusque speciebus. Francof. 1797.

872. Morbosa Gas elastici copiosi in cavo ventriculi et intestinorum collectio dicitur flatulentia, quae, praeclusis exitui viis, murmuribus abdominis seu borborygmo, apertis autem viis secessu ructuum aut flatuum stipatur.

873. Expansio ventris, quae inde oritur, in febribus meteorismus (juxta etymon vocis, elatio), in chronicis morbis tympanites dicitur. Analogum quidem morbum sistit colica flatulenta, quae vero plerumque minori ventris expansione, doloribus intestinorum gravioribus, ac universim decursu breviori distinguitur.

874. Non tamen omnis meteorismus oritur ex flatulentia; hinc dividitur in verum et spurium. Verus, qui oritur ex abdominis expansione per Gas elasticum, dignoscitur morbose voluminosa elatione ventris, quae elastica est, et digitis pulsa adinstar tympani resonat, comite dolore intestinorum aut nullo aut obtuso. Spurius non a solo Gas elastico, sed ab aliis heterogeneis fluidis in ventre morbose collectis generatur, atque fluctuatione manifesta aut obscura, cum minori a pulsu resonantia cognoscitur; uti meteorismus purulentus, meteorismus vesicae etc.

875. Meteorismus verus et flatulentus est frequens symptoma febrium, praesertim gastricarum, nervosarum, etiam putridarum. Mox a primo initio comitatur febres, uti v. g. gastricas; mox in decursu ac serius evolvitur, uti in nervosis et putridis.

876. Sedes, quam occupat Gas elasticum, diversa est.

Frequentissime in cavo tractus alimentaris colligitur, et quidem interdum in ventriculo aut in colo transverso, atque tunc epigastrium prae reliquo abdomine elatum est; quae inflatio superioris ventris minime offert, uti nonnulli voluerunt, distinctivum characterem a tympanite; nam multo frequentius sub febrili etiam meteorismo in tenuibus intestinis hoc Gas colligitur, atque circa umbilicum aequabiliter prominens reddit abdomen. Nonnunquam autem in ipso cavo abdominis Gas elasticum extricatur et colligitur, intestinis aut plane liberis, aut simili flatulentia adfectis.

877. Pro materie omnis flatulentiae, ita etiam febrilis, semper medici agnoverunt aërem in intestinis evolutum, hinc nunquam atmosphaericum, nec ergo deglutitum, sed in ipsis intestinis extricatum, quem diversis aevis mox fixum, mox inflammabilem etc., nominarunt. Docet autem chemia melior, hanc materiem non esse, nisi Gas diversae originis et indolis, et quidem congeriem plurium specierum, ad quam concurrunt praecipue Gas acidum carbonicum, Gas hydrogenium, Gas hydrothionicum etc.

878. Causae, quibus haec morbosa extricatio per ipsum organismum perficitur, nondum penitus cognitae sunt. In cavo intestinorum quidem aliqua, sed moderata evolutio Gas elastici diversi etiam in sano statu obtinet, atque ad ipsum chylificationis negotium confert. Vehiculum inclusi, ac sub digestione extricandi, Gas offerunt tum ingesta, tum humores in tractum alimentarem excreti. Ast uberioris sub iisdem ingestis evolutionis ratio latet omnino in propria morbosa dispositione solidae compagis ventriculi et intestinorum, qua vel plus extricatur, vel minus fors absorbetur, aut excernitur de Gas elastico evoluto. Absorptionem et excretionem praepediunt utplurimum spasmi in diversis locis intestinorum et ventriculi, quibus exitus clauditur, alias enim libere exhalaret Gas elasticum, nec explosionis impetu exiret. Inde flatulentia spasmodicorum hominum universim, atque illorum, qui abdomen arcte stringere solent, concipitur. Ad explicandam autem Gas uberioris sub iisdem ingestis extricationem, recurrere multi medici voluerunt ad spasmum peculiarem et propriae indolis, quem propterea inflativum nominarunt.

879. Gas, in cavo abdominis collectum, multo graviores causas agnoscit. Supponit enim aut degenerationem solidae compagis, aut fluidorum, in cavo abdominis contentorum, corruptionem.

880. Hinc causas communiores meteorismi febrilis sistunt: tum evolutio Gas uberioris ex ipsis ingestis, fermentationem potius, quam justam digestionem subeuntibus, tum excretio uberius evoluti Gas praepedita spasmo intestinali, tum ipsa morbosa extricatio vaporum elasticorum ex inquilinis etiam humoribus, sub proprio quodam ac speciali intestinorum molimine morboso, normalem horum organorum processum chemico-organicum alterante.

881. Atque inde concipiuntur sequentes meteorismi species, in praxi febrium occurrentes:

a) Meteorismus saburralis, cui materiam sistunt sordes primarum viarum, praesertim abundans aut morbose secreta bilis, atque ingesta, etiam medicaminum titulo, vel flatulenta, vel putrescentia, acescentia, vel et ea copia peccantia, ut in tractu alimentari potius validam fermentationem, quam digestionem subeant normalem. Secessu flatuum copioso hic meteorismus stipatur, illoque levatur; dolores intestinorum aut nullos, aut perexiguos, illosque intermittentes habet comites, signaque communia saburrae, in primis viis latentis, simul offert.

b) Meteorismus inflammatorius, qui oritur ex inflammatoria intestinorum irritatione, ac spastica inde contractione in singulis intestinorum partibus, Gas, utut non nimis copiose extricatum, includentibus; inflammatione autem tantum leviori, cum ex graviori omnis fere intestinorum diameter aboleatur. Et quidem legitima intestinorum inflammatio, sive phlegmone, hanc flatulentiam rarius gignit, sed plurimum illegitima, ac in specie frequentius catarrhosa, membranas intestinorum mucosas infestans. Cognoscitur doloribus intestinorum insignioribus, praesertim sub tactu auctis, per consensum se ad alias partes etiam diverse expandentibus; secessu flatuum exiguo, illoque sine levamine mali; atque signis praesertim inflammatoriae aut irritativae febris

c) Meteorismus nervosus, quem inducit sim-

pliciter spasmodica intestinorum contractio, praecludens liberum exitum elastico Gas, sive extricato e contentis intestinorum, copioso praesertim hydrogenio scatentibus, sive ob pravam ac proprie morbosam tunicarum intestinalium secretionem uberius subministrato, praecipue in altero inflammationis mucosarum membranarum, sic dicto relaxationis, stadio. Haec species cognoscitur defectu symptomatum, gastricas sordes indicantium, doloribus intestinorum summopere obscuris, ac nonnisi rudiori adtactu provocandis (cadaverum sectiones semper autem levem intestinorum inflammationem, interdum ex suppuratione aphthas exhibent), atque signis status nervosi in diverso gradu, quammaxime autem siccitate linguae, ac cutis antagonistice in sua secretione laesae. Notandum est, in hac specie meteorismi tum secessum flatuum, tum tenesmum ad flatus nunquam respondere enormitati flatulentiae, ac voluminis abdominalis inde orti.

d) Meteorismus putridus et gangraenosus; quae species oritur ex ipso partium abdominis organicarum sphacelismo, vel ingrediente, vel jamjam ingresso, quo Gas sub putrescentia evolutum sive in cavo intestinorum, sive etiam in ipso abdominis cavo congeritur. Dignoscitur cito increscente ac enormi volumine ventris elastico, dolorum in provecto malo absentia, siti insatiabili, facie cadaverosa, extremis frigidis, prostratione virium summa, pulsu exili, frequentissimo; quibus signis plerumque accedunt maculae ventris externae lividae, et reliqua putredinis phaenomena.

e) Hisce speciebus adhuc addere liceat meteorismum artificialem, in febribus et aliis morbis obvium, ex adplicatione clysterum copiosorum inepte, ac syringa malo embolo instructa exhibitorum, quibus aëris atmosphaerici magna copia in colon intestinum injicitur.

882. Omnis meteorismus in febribus malum est symptoma, in nullum finem utile, sed vel anxietatem aegrorum, vel ipsum morbi periculum augens. Actiones medicaminum desideratas quivis infringit, atque digestionis ae chylificationis negotium turbat; nec non contigua viscera premit, et in functionibus suis laedit; ipsisque demum in-

testinis ex nimis diuturna distractione paralyticam minatur debilitatem. Minime tamen periculosus est meteorismus saburralis. Minus ille, qui ex leviori intestinorum inflammatoria irritatione oritur. Pejor, quem nervosa diathesis in febribus inducit; magnum enim est illud imperium, quod nervi intestinorum in vitales functiones habent. Pessimus autem ac insanabilis meteorismus est, qui ex adcumulatione Gas heterogenei per putrescentiam organorum, praesertim in cavum abdominis extricati, originem habet. Inde prognosis diversa ex symptomate meteorismi in febribus.

883. Cura hujus symptomatis febrilis pro diversa ejus causa, etiam diversa est instituenda.

884. Si meteorismus est saburralis, cura requiritur evacuatoria; id enim, quod materiem pro extricatione elastici Gas largitur, unacum eo evacuari debet. Hinc purgantia requiruntur, additis, si inertia aut debilitas intestinorum peccaret, roborantibus, rhabarbarinis, aut leviter carminativis remediis. Simulque ab omni ingerendo, quod flatulentiam foveret, abstinendum erit. Reagentia optima non raro indicant ructus suo sapore.

885. Meteorismus inflammatorius petit auxilia, quae crispatas ab irritatione fibras intestinales relaxant, ac congestiones cruoris in hoc organo levant; adparatum igitur antinflammatorium diversi gradus, pro diversa symptomatis intensione. Decocta emollientia in fermentationem minus prona, atque emulsa huc optime facient. Spasmum simul comitem optime reserabit levissima aura camphorae. Quae etiam inunctionibus emollientibus externis pro majori efficacia inserviet.

886. Spasmodicum meteorismum et nervosum allevant remedia antispasmodica ex classe leviter ac diffusibili stimulo incitantium, carminativa proprie dicta, et physagoga, aut si minus pellunt flatus, visceralia; uti chamomilla, mentha, anisum, foeniculum, macis, spiritus nitri dulcis, vinum etc. Externe inunctiones nervinae, oleo presso nucistae, aut destillato aromatico diverso. Hisce mucilaginosa conjungere oportet, si vel minima notula inflammatoria subsit. Atque universim medicus debet esse cautus, ne nomine antispasmodicorum ac carminantium,

quorum virtus multum relativa est ad diversas morbi causas, seducatur.

887. Meteorismus gangraenosus, praesertim autem putridus, ex vero jam organorum abdominalium sphacelo exortus, vix amplius auxilium admittit. Tentari tamen debent ad mortem procrastinandam remedia optima antiseptica, ac vires instantanee erigentia, nec non organismum ab ulteriori corruptione praeservantia. Hinc et externe fomentationes ac inunctiones putredini adversae, atque ejusdem virtutis clysteres.

888. Praeter hanc specialem Therapiam, praesertim in casibus illis, ubi directis indicationibus non penitus satisfieri potest, hoc symptoma adhuc petit curam quamdam generalem, stricte symptomaticam. Hunc in finem talia proponi mererentur remedia, quae deglutita, atque ad intestina delata absorberent Gas, in cavum intestinorum morbose evolutum. Vix autem tale invenietur corpus, quod compositum illud Gas imbibere valeret, simulque organismo alia ratione non esset inimicum. Neque tale, quod valeret illud in massam fluidam sive compingere, sive transmutare. Quapropter, si ipsae causae meteorismum facientes, atque morbosae intestinorum dispositiones, speciali adparatu tolli nequeant, saltem talia erunt adhibenda, sive medicamina, sive alimenta, quae minus copiosam subpeditent flatulentiae materiem.

889. Vitari igitur debent ingerenda omnia, quae majori quantitate Gas nocivi scatent, ac universim ad fermentationem nimis prona sunt. Nocet itidem frequens invito aegro sorbitio liquidorum; quibuscum ipsius atmosphaerici aëris considerabilis ingeritur copia. Nocent denique sub meteorismo fomentationes calidiores abdomini adplicatae, ad quas dolores intestinorum facile seducere possunt medicum et aegrum. Caloricum enim maximopere expandit Gas elasticum, quo facto anxietas et omnia inde pendentia mala febricitantium augentur.

890. Non infrequenter bilis, ad justam chylificationem absolute necessaria, diversis suis pravis qualitatibus aeque, ac diversa quantitate peccans, ad meteorismum fa-

ciendum conferre potest. Unde et hepatis respectus in hoc symptomate curando saepe saepius erit necessarius.

URINARUM DIFFICULTATES IN FEBRIBUS.

891. Urinarum difficultates et subpressiones, sexui virili praesertim infensae, in diversis febrium stadiis frequenter occurrunt; interdum quidem ex causis organicis ac individuo propriis, ex urethrae strictura, ex calculo, in feminis ex uteri pressione etc., multoties vero ex causa ipsius febris, ac circumstantiarum ad eam spectantium.

892. Hae causae dysuriae ac ischuriae febrilis communiores sunt: vesicantium cum cantharidibus adplicatio, mechanica pressio vesicae urinariae a faecibus durioribus, in recto intestino adcumulatis, assiduus in dorsum decubitus, atque spasmus sphincteris vesicae, qui saepenumero in febribus nervosis, si cutis siccescere incipit, quandoque etiam in aliis febribus ex urinarum acredine oritur.

893. Hoc symptoma non solum molestissimum est in febribus, quoniam distenta nimis vesica dolet ac febrilem anxietatem auget, sed etiam periculosum. Diu enim expansa vesica facile paralytica fit increscente urinarum copia, atque diversa etiam secundaria symptomata ex hac expansione proficiscuntur, intestina premuntur, diaphragma sursum truditur, respiratio magis laeditur, ipsa secretio urinarum serius praehibetur renibus non exoneratis, nec non symptomata cephalica diversa, sopor, ipsaque apoplexia accedere potest, qua lethali facta, aperto post mortem cranio, foetor urinosus nares ferit; certo signo, urinas non excretas vel metastasi ad encephalon deferri, vel saltem principium urinosum aliarum arteriolarum actione extricari, quo tenera cerebri compages irritari debet summopere. Neque casus desunt, vesicam urinariam ex nimia expansione ruptam fuisse, urinis lethali semper cum eventu in cavum abdominis effusis, ita ut meteorismus vesicae in asciten urinosum abeat.

894. Quapropter ad hoc symptoma praecipue adtendi debet in febribus typhosis, ubi aegrorum peculiaris est

animi indifferentia, qua nec mictum curant, nec molestias ex silente sentiunt, prouti alii ex inertia et pigritia hoc faciunt. Ejusmodi aegris diligenti cura et admonitione, pertinax urinarum retentio interdum praecaveri potest, uti et illis, qui ex proprio delirio mingere non audent.

895. Ubi autem ischuria vera jam adest in febribus, cura symptomatica illico requiritur. Quam tamen, utut malum negligere minime deceat, a levioribus semper auxiliis ordiri oportet.

896. Primo tentanda sunt clysmata emollientia ac aperientia, quibus a crassis faecibus rectum intestinum liberatur, simulque, praesertim in viris, quorum organismo hoc symptoma communius et periculosius est, ad spasmum vesicae levandum, tum emolliendo, tum antagonistice leviter irritando contribuitur.

897. Aliud auxilium consistit in situ corporis mutato. Dum surgunt ejusmodi aegri, vel erecto corpore, vel illo ad proprium instinctum diversimode inclinato, urinas, quas prius mittere non valuerunt, saepe nunc facilius excernunt. Conducunt porro fomentationes calidae aut cataplasmata emollientia ad regionem hypogastricam et ad perineum, quibus fibrae spasmodice constrictae relaxantur et decrispantur. Quod idem balnea quoque praestant tepida, si usum eorum permittunt vires aegri. Laudantur quoque inunctiones unguenti mercurialis et laudani, ad femora, perineum, inguina et sacram regionem; talesque petrolei ab aliis.

898. Ab internis remediis minus sperandum. Commendatur quidem narcoticorum etiam internus usus; sed non possunt in omni febre, et in omni febrium stadio tuto exhiberi, neque omnem spasmum sedant, et nimis tarde operantur. Melius agunt in hunc finem emulsa crassa, quae laticem aquosum non augent, cum aura camphorae; aut potius mixturae oleosae eadem aura impraegnatae. Quorum quidem usus praesertim in dysuria a cantharidibus egregius est. In omni ceterum spasmo camphora est laudabile remedium, quod nec ipsam irritativam notam multum exasperat.

899. His autem omnibus non sufficientibus, urinae catheteris ope sunt emittendae, antequam vesicae paralysis me-

tuenda esset. Praeplacent pro viris catheteres elastici, atque nonnisi sub obstaculo eis non devincendo, metallicorum fiat usus. Nunquam autem rudi et violenta manu intrudantur, ne inflammetur sphincter vesicae, et spasmus adhuc augeatur, aut traumaticae partibus infestatis inducantur laesiones. Obstaculo commode non movendo, satius et minori periculo punctio vesicae in viris per rectum intestinum, in feminis per vaginam instituitur.

900. Contrarium retentioni urinae symptoma est enuresis et incontinentia urinae, frequentius adhuc priori in febribus, quo prae aliis aegri debiles, inertes et delirantes adficiuntur. Molestum, tum ob spurcitiem, tum ob inde oriundas inflammationes, excoriationes et exulcerationes partium decubitu pressarum. Auxilium non ita in inhibendum diabeten erit dirigendum, qui raro damnosus est in febribus, sed potius in summa munditie erit quaerendum, in frequenti aegrorum ad matulam commonitione, atque in excipulis urinarum continuo, sed caute adhibitis.

§. SYMPTOMATA CUTANEA.

SUDOR
ET ARIDITAS CUTIS IN FEBRIBUS.

D. Schlichting Diss. de sudore febrili. L. B. 1722.

901. Duplex in febribus conditio cutis morbosa obvenit, vel nimis transpirans, vel nimis sicca; sudor scilicet, ἐφίδρωσις febrilis et ariditas cutis.

902. Sudor in febribus est vel criticus, vel symptomaticus. Criticus ad finem febrium, praegressis criticis turbis, et cum levamine comparet. Symptomaticus autem sudor dicitur, qui initio febrium ac ante criticum tempus apparet, de causa morbi nihil tollit, atque febrim non judicat, sed vel transitorium levamen inducit, saluber; vel plane indifferens; vel et damnosus, si dissipatis tenuissimis humoribus vires aegrorum inutiliter frangit aut debilitat; imo perniciosus, dum vires exhaurit, quemadmodum colliquativus sudor.

903. Sudor symptomaticus et morbosus in om-

nibus quidem ante crisim stadiis, praesertim autem in stadio incrementi ac aestus febrilis comparet. Sed interdum etiam jam primis febrium diebus, imo quandoque in stadio primae invasionis febrilis et frigoris observatur. Et quidem frequenter in febribus intermittentibus, inflammatoriis, rheumaticis et gastricis; rarius in catarrhosis et miasmaticis. Estque vel universalis, vel partialis, qui posterior minus considerabilis. Quoad materiem est vaporosus, aquosus, roscidus, viscidus, pinguis, interdum subsanguinolentus. Quoad temperaturam calidus, frigidus. Quoad odorem acidus, nidorosus, diversimode foetidus. Quoad originem probe distinguendus est in factitium et spontaneum.

904. Factitius facile exprimitur in certis febribus calida atmosphaera, stragulo aut vestitu oneroso, potibus calidis, et medicaminibus stimulantibus, praesertim diaphoreticis. Hic sudor, absque molimine critico nunquam febrim levans, facile subprimitur regimine obposito, quidquam frigido.

905. Spontaneus sudor in febribus ex numerosis quidem causis, diversis pro diverso febrium genere, oriri potest. Sed generatim vel a nimio circuli humorum impetu, atque arteriarum in secernendo activitate nimia; vel ex locali solius cutis irritatione idiopathica, vel etiam sympathica, praesertim intestinis diverso stimulo lacessitis, excitatur. Rarius in febribus ex laxitate cutis, aut ex aliarum excretionum imminutione, aut ex abundantia laticis aquosi in humoribus proficiscitur.

906. Ast, quaestionem saltem movere liceat, an reapse omnis sudor ex uberiori cutis secretione proveniat? An non in certis morborum casibus sudor symptomaticus profusus et roscidus praecipitatione potius, quam exsudatione generetur? An non sub certis circumstantiis hydrogenesis super cutim fieri queat? Ita quodammodo videtur, si consideramus ephidrosin in febribus algidis, in moribundis, atque illam tabidorum summe debilium, quae miro modo sub ipsa evigilatione e somno oritur.

907. Effectus sudoris symptomatici nunquam boni sunt, sed pro diversitate intensionis symptomatis hujus di-

verse infensi organismo et viribus ejus. Hinc sudor arte expressus, praesertim in initio febrium, quam methodum non pauci medici, atque omnes fere gentes orientales ob imaginariam miasmatis febrilis expulsionem multum observant, semper damnosus. Subtilissimae enim humorum circulantium partes, πνευμα quasi sanguinis sistentes, difflantur, diluente aquoso vehiculo non facile restituendae (aqua enim communis non est, quae per sudores eliminatur), debilitas virium inde vel inducitur, vel augetur, crises salubres aut praepediuntur, aut procrastinantur, atque humoribus circulantibus inde nascitur dyscrasia, unde numerosi effectuum effectus morbosi prosiliunt.

908. Sudor partialis, qui venit ex parte vel debiliori, vel magis irritata, raro inducit deleterios effectus; excepto illo, qui in fronte, jugulo aut pectore apparet, in guttas collectus et frigidus, atque utplurimum summa exprimitur anxietate. Universalis vero sudor symptomaticus, qui copiosus est, sive vaporum sive guttarum forma comparens, semper est malus, quoniam aegrum semper debilitat; eoque pejor esse solet, quo ocyus oritur in febribus. Valde malus igitur ille, qui sub ipso febrium initio exoritur, atque per decursum persistit. Raro enim talis sudor unacum febre simul exortus saluber esse solet, qualis observatus fuit in illo mirabili morbo, qui ephemera britannica, vel et sudor anglicus dicebatur, seculo XVI aliquoties per Europam viso, in quo largus sudor subito manare incipiens, ac per 24 horas perstans, aegros levabat, profluere autem impeditus trucidabat. Minus periculosus etiam in exordio febrium est sudor saburralis, proprii odoris, qui vero mere sympathicus est, ex irritatione in primis viis, ac solorum intestinorum anxietate oriundus. Pessimus semper ille, qui viscidus in cute frigida, quemadmodum in febribus algidis, et copiosus simul profluit, in stadio febrium qualicunque. Ille summi virium languoris vel comes est, vel causa, omni jure colliquativus dictus, et in ipso convalescentiae stadio depascens, atque firmam sanitatem non permittens.

909. Ita ex sudoris symptomate prognosis etiam varia habetur in febribus.

910. Quamprimum sudor febrilis copiosus nullum fert levamen, aut et ipsas vires aegri notabiliter consumit, medicus illi obponere debet auxilia, quae pro diversitate causarum etiam diversa esse debent. Therapia specialis igitur in principem characterem febris erit dirigenda, cujus symptoma sudor est, atque justum motuum febrilium moderamen, primarium semper auxilium praestabit. Sudor ex actionibus vasorum nimiis indiget adparatu temperante, ille ex saburra primarum viarum remediis evacuantibus materiem irritantem, sudor ex laxitate et debilitate cutanei textus, qui in febrium initio rarus est, remediis tonicis aut et incitantibus vasa cutis.

911. Quae si non sufficiant, aut tuto adhiberi nequeant, cura symptomatica requiritur, alias praecipue excretiones, et prae ceteris illam urinarum, quae omnium minime debilitat, augens. Generalia vero contra hoc symptoma auxilia, plurimum ex adparatu diaetetico petenda erunt. Talia sunt: potus levis, blandus, egelidus, temperatura aëris moderata, stragulorum ponderosorum et onerantium subtractio, surrectio e lecto, versatio diuturnior in sedili, vel, si vires hoc non admittant, cubatio super torum non plumeum in levi vestitu. Omnia haec tamen caute et gradatim sunt instituenda, ne repentine sudor subprimatur, qui utut mere symptomaticus, nimis repente disparens alia et majora in febribus mala producere potest.

912. Convalescentium et languentium sudor, tabis periculum minitans, petit, nisi causa directe amoveri sciatur, remedia leviter tonica, infusum Corticis peruviani, Quassiae, Salviae, aquas chalybeatas, vini moderatum usum, corporis modicum exercitium, rusticationem.

913. Contrarium sudori profuso vitium in febribus est siccitas et ariditas cutis. Occurrit non raro in paroxysmis febrium intermittentium, et quidem in stadio caloris, ubi futurum et levantem sudorem antecedit. In febribus continuis, praesertim catarrhosis, frequenter inducit statum nervosum, intercepto, ut videtur, commercio desiderato nervorum cum aëre atmosphaerico. Hinc etiam in febribus nervosis et typhosis frequentissimum est sym-

ptoma. Sed et in aliis acutis diversae indolis sub anomalo decursu observatur.

914. Nisi virium debilitas urgeat, non semper petit usum stimulantium remediorum. Melius saepe movent inhibitam transpirationem potus theati calidi, frequenter sorbillati, sub regimine, quoad stragulorum conditionem et aëris temperaturam, calidiori. Coadjuvant quoque frictiones, fomentationes humidae calidae, aut ipsa balnea; sub majori virium debilitate irritationes cutis per rubefacientia aut vesicantia. Ubi mordax simul comes est calor, suadetur ab aliis etiam lotio aqua frigida. Atque compertum reapse est, praemisso valido sed brevi frigore, cutem melius dispositam fieri in liberalem transpirationem; nam a minimo calorico dein efficacius adficitur.

915. Sed nisi critica accedant molimina, haec ariditas cutis non facile emendatur in febribus; atque sub actu critico, si debite dirigitur, sponte dein cessat, ac solutis spasmis ostiolorum salubri transpirationi via aperitur.

EXANTHEMATA FEBRILIA.

D. Bloch Diss. de exanthematibus. Fr. 1762.
A. Mangold Diss. de exanthemat. acutor. differentia. Erf. 1763.
E. Juncker Diss de diversa exanthematum indole. Hal. 1763.
D. Böhmer Diss. de exanthematum differentia et origine. Viteb. 1766.
F. Raymund Diss. de exanthematibus febrilibus. Viennae 1768.
D. Tömlich de ortu exanthematum. Jen. 1785.
J. G. Dorl Diss. sistens rudimentum Exanthematologiae. Jen. 1794.
R. Willan of cuteneous diseases. Order I — III. Lond. 1798 — 1805. 4to. Deutsch durch Friese. Breslau 1799.
Th. Bateman Practical Synopsis of cuteneous diseases. Edit. 3. Lond. 1814. Deutsch, Halle 1815.
J. J. Reuss über das Wesen der Exantheme. Aschaf. 1814.
Fr. W. Nushard Skizze einer Dermato-Pathologie. Prag 1816.

916. Exanthemata juxta vim vocis sunt efflorescentiae, satius autem eruptiones humorum, in cutem pullulantium, eamque vel scabram, vel maculosam ac diversimode decolorem reddentium. In morbis acutis ac febrilibus frequentissime comparent, minime tamen desunt etiam in chro-

nicis; imo proprium ibi genus cutaneorum morborum constituunt, quod autem impetiginum potius, quam exanthematum nomine dignum est.

917. Nonnulla eorum diversas molestias, pruritum, ardorem, tensionem, alia tamen et nullam sensationem producunt. Notabiliora universim sunt in subjectis, quibus major cutis teneritas est.

918. In febribus diversae indolis, febriumque diversis stadiis, tempore mox fixo, mox incerto erumpunt, ortu, loco, forma, effectu multum diversa.

919. Quoad originem exanthemata omnium primo distinguuntur in essentialia seu specifica, et accidentalia seu communia.

920. Essentialia exanthemata generantur proprio, et quodvis eorum specifico miasmate, quod contagio disseminatur, atque in hominum organismo, debite disposito, sui simile producens, semper febrim propriam et sui generis (identicam) excitat, cujus essentiale ac inseparabile sunt symptoma, sine quo febris specifica felicem decursum absolvere nequit. Raro pluries in vita infestant hominem. Talia sunt variola, varicella, vaccina, morbillus et scarlatina cum suis varietatibus, atque typhosae eruptiones. Eorum diligentior explanatio spectat omni jure ad specialem febrium doctrinam.

921. Accidentalia exanthemata proprio miasmate carent, contagio non propagantur, specificas febres non agnoscunt, sed febribus omnis, etiam obpositae, indolis adsociari, imo ipsis essentialibus exanthematibus quasi parasitica adhaerere, atque eundem hominem pluries in vita infestare possunt. Sistunt summe variabilia febrium symptomata, quae in quavis sine distinctione febri quidem adesse, sed etiam abesse possunt, utpote ab accidentalibus seu adventitiis circumstantiis pendentia. Talia exanthemata summe communia omni febrium generi sunt: sudamina, miliaria, petechiae etc.

922. Nosogenia utriusque generis exanthematum plane diversa ergo est. Essentialia et miasmatica ex proprio ac specifico fomite contagioso originem trahunt, qui ut videtur, sub forma proprii Gas (extricandi data occasio-

ne), vel muco animali inclusus, vel ex ipsis aegris sub aestu febris exhalans, in disposito, cui communicatur, organismo sano, excitata specifica febre, multiplicatur, atque simili specifica progenie in cutem ultra efflorescit. Ita variola, morbillus, scarlatina etc. generantur, et nonnisi continuata generatione propagantur. Accidentalia et adventitia exanthemata autem (nisi quis vellet adsentire opinioni (1), omnia exanthemata esse zoophyta, et quasi parasiticos super cutem lichenes), minime agnoscunt specificam causam, atque in omnibus sine distinctione febribus possunt generari, nam pro materie habent solummodo aliquid, quod textum cutaneum ex ratione febris universim laedit, ac normalem illius integritatem mutat; eodem fere modo, quo ex constrictione superficiei spasmodica cutis anserina, atque ex stasibus humorum in vasis minimis diversae aliae aliarum formarum congestiones in cute fieri possunt. Quo quidem, quod in febribus passivo modo humores raro ruunt ad cutem, irritatio diversa cutanei organi plurimum confert.

(1) J. A. Danzer Synopsis der Hautkrankheiten. Landsh. 1808.

923. Irritatio autem cutis morbosa duplici modo fit; vel causis directe ac immediate in cutem agentibus, vel a procul, sive per consensum, sive per continuitatem aliorum organorum, praesertim intestinorum, eam adficientibus. Unde exanthemata juxta hanc duplicem originem in idiopathica et sympathica distinguuntur.

924. Idiopathica progenerant: diathesis universalis morbosa diversa, in pathologicas cutis secretiones nitens, stases secretoriae in cute, caloricum intensius, aëris conditio diversa cutim laedens, sudor acer, sordes, atque stimuli numerosi, tum mechanici, tum chemici, cutim immediate irritantes, rubefacientes, inflammantes.

925. Sympathica vero producunt irritamenta a procul in cutem agentia, utplurimum in visceribus abdominalibus hospitantia, in hepate, utero, quam frequentissime autem in tubo intestinali, qui cum integumentis communibus non solum continuus, sed et intima familiaritate connexus est. Hinc biliosa, rancida, verminosa, atque diversa alia primarum viarum saburra, praesertim in febribus, frequentia et multifaria excitat exanthemata.

D. Welti Diss. de exanthematum fonte abdominali. Got. 1784.

926. Denique antagonistico etiam modo, ad leges secretionum vicariarum, exanthemata oriuntur non raro ex subpressa secretione et excretione bilis, urinarum, catameniorum, ulcerum habitualium etc., modo tum sympathico, tum etiam plane symptomatico.

927. Sed ad horum omnium, etiam adventitiorum, exanthematum generationem requiritur propria dispositio individui febricitantis, quae interdum haereditaria est, cum peculiari in cutaneas eruptiones proclivitate, multo saepius adquisita, vel neglectu culturae cutis, vel econtra nimia sollicitudine in abstergendis imaginariis sordibus, vel praegressis morbis lymphaticis etc. Universim aetas infantilis, sexus femineus, compages cutis delicatula et irritabilis, tempus aestivum, clima calidius, atque certae epidemicae constitutiones, peculiares ad exanthemata largiuntur dispositiones.

928. Data ejusmodi dispositione facile interdum arte produci possunt exanthemata. Quapropter a medicis distinguuntur spontanea et factitia; quorum priora causis proëgumenis non evitandis, posteriora vero, si specifica sunt, miasmatis insitioni, si vero accidentalia, ineptae therapiae ac regimini pravo in febribus originem debent. Sic omissa sordium gastricarum evacuatione sub regimine calido, therapia stimulante aut diaphoretica, atque aëris ventilatione neglecta, omnino artificialia in febribus parari possunt exanthemata accidentalia, imo et ipsa essentialia numerose multiplicari; imminui autem aut et plane praecaveri sub obposito tractamine.

A. Büchner de incongruo diaphoreticorum usu, frequenti exanthematum causa. Halae 1752.

929. Quoad sedem et locum, quem occupant exanthemata, discernuntur imprimis fixa et vaga; quorum priora constantem sedem observant, ubi erumpunt in cute, ibi persistunt; posteriora vero sedem saepius mutant, in confinia se extendunt, vel et pristinam possessionem inopinato derelinquunt, ac alienam partem praecipitanter invadunt. Distinguuntur porro externa seu cutanea, et interna, quae pluries in tunicis cum integumento communi

continuis, in faucibus, tubo aëreo, pharynge, ventriculo et intestinis observata sunt.

930. Ipsa externa autem in diversis partibus textus cutanei sedem habere possunt, ac praesertim habere solent vel in reticulo mucoso, vel in vasculoso, vel in ipsa corii substantia papillari, vel in systemate capillari.

931. Non quidem omnia exanthemata, utut acuta et febrilia, consistunt, ut quidam auctores docuerunt, in partium mox dictarum vera inflammatione; quam tamen singulorum quorumdam phaenomena et terminationes omnino vindicare possent; turgorem autem irritativum harum partium, atque congestionem aliquam saltem subinflammatoriam, in omni, sine exceptione, exanthemate acuto reapse adesse, forma et ratio eruptionum sane confirmant.

932. Quoad formam exanthemata tot et adeo diversis varietatibus occurrunt, tanta in decursu mutabilitate, tantaque inter se invicem commixtione, ut normales et primariae formae tum per decursum facile mutatae, tum a parasiticis facile deletae, vix admittant systematicam descriptionem constantiorum ac magis essentialium characterum. Nulla enim morborum species tam multifariis anomaliis sese offert, quam illa exanthematum. Inde etiam illae differentiae auctorum omnis aevi in delineatione hujus symptomatis morbosi, omni tamen sensu facile perlustrandi; inde ille dissensus in denominatione, ac illa in terminologia exanthematum confusio babylonica. Ad quam plurimum contulit, quod varietates eorum, summe mutabiles ac accidentales, inepte ad dignitatem specierum fuerint elatae.

933. Sed neque practica est illa divisio exanthematum, quae ex sola forma illorum petitur; atque specialiores eorum notae, ad diagnosin, prognosin, et therapiam facientes, firmioribus ex momentis ac utilitate practica majori, in speciali doctrina de febribus exanthematicis exponentur.

934. Praemittere tamen hisce juvabit, generalem aliquam exanthematum nosographiam, quae etiam ex conspectu formae principis illorum, sed plane praeter-

missis anomaliis, atque sincera consideratione tum habitus illorum totius, tum singularum molecularum eam constituentium, depingere ea intendit.

935. Respectu formae ab auctoribus omnium primo dividuntur exanthemata in glabra, et scabra, atque posteriora pro aspredinum diversitate iterum varie subdividuntur.

936. Apte igitur etiam, considerato omni exanthemat in habitu externo, atque textura eorum specialiori simul spectata, distinguuntur in maculosa, papulosa, phlyctaenosa, vesiculosa et pustulosa. Crustosa enim, squamosa, tuberculosa forma etc. magis propria est exanthematibus chronicis, seu impetiginibus, aut, si in febribus adest, nimis accidentalis esse solet, aut ex prioribus aliis posthuma.

937. Monetur autem denuo, ingratum esse negotium, spectata unica forma in rite ordinatas series distribuere exanthemata; quum eadem saepe quoad indolem et genesin, sub decursu formam mutent, alia iterum pro varia dispositione individui variam induere consueverint faciem.

938. Maculosa exanthemata dicuntur, quae ultra cutis superficiem non extuberant, aut nonnisi levissime et aequabiliter prominent, ita ut non tactu, sed solo visu distingui possint, cutis solummodo discolorationem offerentia. Spectant huc sequentes species: I. Purpura (*Riverii*), nomen aliis exanthematibus, frequentissime miliaribus, inepte impertitum; exanthema (qua exanthema) non contagiosum, plane glabrum, indolens, summe frequens, et in omni febrium genere obvium, omnibus etiam aliis exanthematibus frequenter parasiticum, consistens in maculis discretis, diversae magnitudinis, ab illa stigmatis pulicis usque ad lenticularem, coloris rubri, purpurei, lividi aut nigri. Sub hac forma venit nomine petechiarum aut peticularum, quae praesentant parvas echymoses aut sugillationes, quarum materies, ut videtur, sanguis venosae partis reticuli vasculosi est, unde etiam in aliis, quam cute, membranis, illisque internis, peritonaeo, pleura, meningibus ac ipso periosteo occurrunt. Interdum autem hae sugillationes plagas in cute occupant majores, figura diversa ac summe irregulari,

frequenter illis similes; quae a verberibus oriri solent; tunc-que nominantur vibices, molopes, in putridis febribus non infrequentes. Universim hoc exanthema, utpote indolis magis passivae, in sphacelismum prae ceteris tendit, nam absque omni phlogosi cutis incedit, quo ab omnibus reliquis abunde differt. II. Roseola (male interdum cum rubeolis commixta), exanthema non contagiosum, valde glabrum, vix ardens, nec pruriens, maculosum, coloris rubri, satius carmesini, sine vera cutis inflammatione. Mox discreta est, e pluribus diversae amplitudinis consistens; mox et annulata, maculis in centro albis; mox diffusa, raro per integram cutim, frequentius per magnas plagas, ac si syrupus rubi idaei super cutim esset effusus. In febribus quidem aestivis frequentius hoc exanthema est obvium, certo tamen febrium generi non adstrictum. III. Scarlatina, exanthema miasmaticum et contagiosum, coloris, ut nomen exprimit, alte rubri aut coccinei, vehementer pruriens, ardens, suberysipelaceum, glabrum quidem, dum normale est, sed ad diversas anomalias ita proclive, ac parasiticis exanthematibus ita frequenter deformatum, ut characteristica sua forma raro compareat. Quo itidem confert fugax hujus exanthematis indoles, colori et formae ejus mutandis summe favens. Interdum per omnem quidem superficiem aequabiliter diffusum est, plerumque autem majoribus maculis distinctum. Sedes, ut videtur, in arteriolis reticuli vasculosi et ipsius systematis capillaris est. Terminatur solemni desquamatione epidermidis per laminas laciniosas, relicto nisu in oëdema. — Huic exanthemati proxime accedit erysipelas, quod autem majori jure inflammationibus adnumerandum.

939. Papulosa exanthemata constituuntur nodulis minimis, numerosis, vix visu, sed subtiliori tactu distinguendis, rubris, non quidem inflammatis, nec suppurantibus, apice tamen quid humidi rejicientibus. Dum marcescunt, in furfures epidermis abit. Huc pertinent species sequentes: I. Sudamina (eczema et prurigo varietates sistunt), exanthema minime contagiosum, symptomaticum et adventitium communissimum in omni febrium genere, calore et sudore extortum, vix urens, nec multum semper pruriens,

constans numerosis papulis rubris, plus minus elevatis, epidermidem, nisi singulae in phlyctaenas abeant, raro desquamantibus. Hoc exanthema plerumque ad certas tantum partes, calore ac sudore maceratas erumpit, atque nisi acri sudore foveatur, fugax est. II. Urticaria, uredo, cnidosis, exanthema non contagiosum, fugax et inconstans, formae multum variae et sub ipso decursu variantis, interdum quidem glabrum, rubrum, aut hinc inde flavescens (maculosa), multo frequentius autem papulosum et tactu asperum (miliaris), imo nonnunquam phlyctaenosum (vesiculosa), valdopere ardens et pruriens, ac si cutis esset caesa urticis. Sedes in reticulo mucoso et vasculoso, et in substantia papillari. Terminatur defurfuratione epidermidis. Hoc ipsum exanthema quandoque maculas subelevatas, subduras, diversi coloris, atque, e papulis confluentibus, nodulos ac fere furunculos hinc inde offert, tuncque dicitur essera, aschara *Serapionis*, porcellanum exanthema Gallorum. III. Morbilli, exanthema contagiosum, intensae, sed variegatae rubedinis, ad speciem glabrum, sub tactu autem leviter asperum ac papulosum, papulis formae irregularis, magis urens quam pruriens, cuti universa notabiliter tumida, in turgidis, ut videtur, bulbis capillorum consistens. Terminatur furfuribus epidermidis. IV. Exanthema typhosum adhuc innominatum, miasmaticum et contagiosum, morbillis summe analogum, papulis autem magis elevatis, magis irregularibus, cuti non tumidae, non inflammatae, sed rubellae, marmoreo-variegatae insidentibus, non pruriens, non ardens. Sedes in toto reticulo mucoso, irritatis simul papillis cutaneis ac bulbis capillorum. Terminatur totius epidermidis defurfuratione, ac capillorum defluvio. Inepte commiscetur cum miliaribus et petechiis, utut utrumque hoc exanthema parasitico modo adsociari possit, ac perfrequenter soleat.

940. Cum phlyctaenae non sint, nisi papulae aut protuberantiae in cuti exiguae, pellucido apice, repletae humore, quo erupto exsiccantur; hinc papulosa exanthemata, alioquin ex apice plerumque sudantia, facile in decursu abeunt in phlyctaenosa. Sed specialius ad phlyc-

taenosa exanthemata pertinent sequentia: I. Miliaria, exanthema non contagiosum, valde commune in quovis febrium genere, et aliis cutaneis efflorescentiis fere omnibus parasiticum, visu scabrum et tactu asperum, papulis aut potius phlyctaenulis constans numerosissimis, multum elatis, formae regularis, semina milii aequantibus, ex turgida omni substantia papillari ortis, defurfuratione epidermidis terminandis; odoris specifici, magis pruriens quam ardens. Distinctionem specialiorem facit color. Rubra consistunt in papulis et phlyctaenis diversi ruboris, sine inflammatione, suntque frequentiora in praxi, sed non raro etiam albis hinc inde interspersa. Inepte insigniuntur a nonnullis nomine purpurae. Alba, ineptissime purpura alba dicta, constituuntur phlyctaenis majoribus, mox sero diaphano refertis (crystallina), mox opaco, albo praesertim in puerperis (lactea). Horum sedes videtur esse in parte serosa reticuli vasculosi; haecque serosa miliaria etiam in organis cavi oris, in fistula aërea, in pharynge, in ventriculo, perfrequenter autem in intestinis deprehenduntur; in quibus internis locis, humidis ac calidis, singulae phlyctaenulae non raro fatiscunt in ulcuscula, quae aphthae dicuntur, sed exanthematibus jam immerito adnumerantur. II. Rubeolae, scarlatina miliformis *Frankii*, exanthema contagiosum, hermaphroditicum, ex scarlatina quasi et morbillo compositum, aut potius hybridum, ex amalgamate utriusque miasmatis fors generatum, utriusque etiam hujus exanthematis characterem, illumque in ipsa febri comite exhibens, consistens in maculis rubris, irregularibus, ab initio fere glabris, serius autem in phlyctaenulas serosas copiosissimas abeuntibus, cuti tamen universa minus quam sub morbillis tumida. Inepte cum morbillis commiscetur, nam charactere suo praevalente, morbus hic universim magis ad scarlatinosum inclinat, eundemque cum scarlatina in eadem posthuma mala nisum offert. III. Hydroa, exanthema summe accidentale, non contagiosum, plerumque locale, et ad minores plagas restrictum, ad labia et ad auriculas frequentissime obvium, cito erumpens, non diu persistens, constans phlyctaenis parvis, confertis, lymphatico humore in decursu repletis, in crustas exsiccantibus.

Intermittentibus ac catarrhosis febribus commune est. IV. Zoster, zona, locale, non absimile priori, nec contagiosum exanthema, sine omni jure pro specie erysipelatis habitum (nisi exaltata, in abnormi statu, irritatione ad indolem erysipelaceam accedat), plerumque ad pectoris, et abdominis latera, magnis plagis, quandoque semicinguli adinstar comparens, notabiliter interdum dolens, constans phlyctaenis majoribus ex cute subinflammata erumpentibus, in decursu fatiscentibus potius quam ruptis, ex quibus spissa ac fere puriformis lympha sudat, quae exsiccata crustas format.

941. Vesicula dicitur insignior, quam in phlyctaenis, ac hemisphaerica epidermidis prominentia, ex elatione ejus per collectionem humoris serosi, lymphatici aut puriformis, quem includit. Quodsi majus adhuc volumen obtineat, bullae nomine insignitur. Ejusmodi vesiculosis et bullosis exanthematibus adnumerantur: I. Varicella, exanthema contagiosum, vesiculas offerens ardentes, areola rubra circumcinctas, valde discretas, brevi vel rumpentes, vel considentes et corrugatas, crusta sicca relicta, qua decidua raro cicatrices remanent. II. Vaccina, exanthema contagiosum, solitarium, quod si maturescit, vesiculam offert cellulosam, non exacte hemisphaericam, lympha limpida repletam, areola rubra, serius et ampliori halone circumdatam, parum dolentem, crassa et dura crusta terminantem, qua delapsa relinquitur cicatrix. III. Pemphigus, morta *Linnei*, exanthema bullosum, non contagiosum, vix unquam simultanea, sed continuata diutius eruptione prodiens, consistens in discretis, non copiosis, sero, vel limpido, vel etiam colorato, repletis bullis, diversae magnitudinis, ab illa pisi, usque ad magnitudinem nucis juglandis et ultra, in basi ardentibus, quibus ruptis, aut absorptione depletis, plaga exsiccata rubra relinquitur. Sedem hoc exanthema in systematis capillaris parte serosa habere videtur. Quoniam cum et sine febre, aut ea potius lenta et occulta comparet, in acutum et chronicum dividitur. Nulla tamen febris est, cui, data dispositione, adsociari non possit. Cum systemate uropoëtico in nexu aliquo esse videtur. IV. Carbunculus, anthrax, exan-

thema contagiosum, febris pestilentialis in Oriente constitutivum ac essentiale, discretum, consistens in paucis vesiculis, bullae pemphigosae ad formam analogis, brevi autem disrumpentibus, relicta plaga livida, dura, ad margines dolentissima, inflammata, cito in latum vergens, cum summo nisu in gangraenam.

942. Pustulae sunt protuberantiae in cuti exiguae, rubrae, durae, apice suppurantes, ruptae evacuato pure in crustas abeuntes, quibus delapsis remanet cicatricula, eo major, quo plus de substantia per suppurationem fuit consumtum. Utut pustulae accidentales, tum solitariae, tum et congregatae in febribus diversis non infrequenter, erumpant, tamen, stricte ita dicendum, non habetur, nisi unicum exanthema pustulosum, scilicet variola legitima, proprio miasmate orta, ac nonnisi contagio propagata. Imo et haec variola in anomalo decursu non semper pustulas suppuratas exhibet.

943. Hae jam sunt formae exanthematum quasi principes, quae medici cujusvis oculo distingui possunt, et ad quas numerosae aliae varietates, quas nimis oculati medici barbaris nominibus distinguunt, facile reduci possunt. Omnes varietates et physiognomias exanthematum, in cute hominum, adeo diverse disposita, occurrentes delineare, nec licet, nec juvat, atque aeque inutilis esset labor, ac gallinarum quoad pennarum colorem systematicas dare descriptiones.

944. Quoad effectum exanthemata dividuntur in symptomatica et critica. Exanthemata symptomatica, quemadmodum communia et accidentalia fere quaevis, vel indifferentia sunt febribus, vel eas unico, sed vix considerabili symptomate augentia. A febrium initio, et sine levamine solemni erumpunt, noxas tamen raro ferunt, si non molestias faciunt. Interdum autem etiam ab initio febrium jam levamen adducunt, sed exiguum, non perstans; ita miliaria et ipsa miasmatica exanthemata. Quae vero febribus ad crisin maturis erumpunt, easque solemniter judicant aut levant, critica dicuntur. Quod tamen raro contingit, quoniam papulae exanthematicae omnem materiem, febri defaecante ejiciendam, omnino suscipere non

valent. Miliaribus interdum febris judicari dicitur, sed sola omnino non judicant, nisi aliae criticae operationes et evacuationes accedant. Nunquam solemniter judicant miasmatica exanthemata, quarum febres non cessant, nisi exanthematis processu absoluto. Plane nunquam petechiae, quae semper symptomaticae sunt. Nunquam sudamina, nunquam reliquorum adventitiorum exanthematum cohors.

945. De terminationibus exanthematum in genere, aliquid adhuc commemorare oportet. Nonnulla eorum terminantur evanescendo, vel singula pauca, persistentibus pluribus, vel et omnia, sine noxa et posthumo malo; ergo summe benigna stasium resolutione. Sed de specificis ac miasmaticis exanthematibus semper aliqua remanere, et decursum sibi proprium ac a natura praescriptum absolvere debent, alias in sanitatem morbus non terminabitur. Nonnulla vero plane fugacia, ac indolis suberysipelaceae, evanescunt e cute in damnum aegri, aliisque saepe nobilioribus organis per metaschematismum insidias struunt, ad encephalon versa convulsiones, coma, delirium, ad pectus peripneumoniam, ad abdomen enteritides etc. producunt; aut etiam regressu suo conditioni virium dynamico modo infensa fiunt; multo frequentius tamen, inverso modo, ex virium graviori laesione, praesertim languore, recedunt, aut marcescunt. Alia denique constanter persistunt, atque processum suum morbosum absolvunt, terminantia vel in suppurationem et exsiccationem, uti unica variola legitima; vel in indurationem partium cutis inflammatarum, uti variola anomala et essera; vel in gangraenam, uti carbo pestilentialis; vel directe in sphacelum, uti praesertim petechiae; vel feliciori eventu, in epidermidis defurfurationem aut desquamationem, uti miliaria; demum etiam in oëdema textus cutanei, atque universim in diversas laesiones cutaneae functionis, sive excernentis, sive absorbentis, insequentibus dein secundariis malis diversis; uti scarlatina et suberysipelacea exanthemata.

E. Stahl de exanthemat. malignor. retrocessione. Hal. 1713.

946. Prognosis certa, ex solis exanthematibus, qua symptomatibus febrilibus generalibus, non habetur, nisi

alia simul computentur graviora febrium momenta et symptomata. In tantum autem haec quoque exanthemata sub cauta prognosi adtentionem merentur, in quantum omnium, insolitorum praecipue, symptomatum augmentum anomalias creare, atque discrimen adferre solet. Accedit, quod et insontes cutis eruptiones sub maximo febris aestu cum periculo saepe evanescere possint, ancipite metaschesmatismo ad nobile viscus facto. In speciali prognosi autem, febrium praecipue miasmaticarum, magnam dignitatem habent exanthemata, quoniam reflexum sistunt processus vitalis dynamici, viriumque organicarum, quod summum est, actiones justas aut injustas, ceu in speculo exhibent.

947. Cura exanthematum specialis nunquam in ipsum exanthema, sed semper in febrem, quae illud fovet, dirigenda est, respectu ad characterem ejus praevalentem, atque ad causas habito. Sub charactere febrium inflammatorio, utut ipsae petechiae v. g. in cute sederent, cura requiritur antiphlogistica; sub gastrico evacuans, praesertim si exanthema ex irritamento primarum viarum exortum fuerit; sub virium denique vera debilitate, erigens et incitans medendi methodus. Nequaquam igitur una eademque medendi ratio in curandis omnibus exanthematibus sufficit, et tuto adhiberi potest, atque antiphlogistica aut evacuans methodus indiscriminatim usitata, quae, aliis excretionibus immodice auctis, activitatem cutis nimis deprimit, ac exanthematum deflorescentiam nimis tumultuarie inducit, aeque damnosa fieri potest, ac stimulans sine distinctione, quae humores ad cutem, exanthemate alioquin irritatam, nimio impetu determinat.

D. le Gay, ergo in exanthematibus evacuandum? Parie. 1574.
W. Geuss methodus exanthematicos curandi morbos. Fr. 1613.
S. Baldi necessitas phlebotomiae in exanthematibus. Gen. 1663.
A. Büchner de circumspecto clysterum in morbis exanthematicis usu. Hal. 1757.
E. Nicolai Diss. de venaesectione exanthematum eruptionem promovente ac impediente. Jen. 1765.
D. Schönmetzler de necessitate laxantium in morbis exanthematicis. Heidelb. 1769.
D. Westphal de magno usu laxantium in exanthematibus acutis. Marb. 1779.

948. Cura symptomatica, ipsum exanthema directe respiciens, si quae urgentius requiritur, sub essentialibus ac miasmaticis exanthematibus etiam summe specialis esse debet, atque propriae et specificae indoli exanthematis adcommodata. Ubi autem accidentalia, et quidem mere symptomatica exanthemata in febribus adsunt, saepissime, ac praesertim si indifferens febri symptoma sistunt, nec requiritur cura symptomatica. Exanthemata haec, qua talia, indicationes principes in febribus non mutant.

949. Hoc tamen notandum venit, non decere medicum, symptomatica ejusmodi exanthemata, utut urgentes indicationes curatorias vix offerant, penitus negligere ac vilipendere. Regula illa practica generalissima, saltem nocendum non esse, si directe juvare nescitur, in cura exanthematum summum valorem jam vel ex eo habet, quod illorum nonnulla indolis sunt valde fugacis ac dolosae, atque a cute evanescentia aut repulsa, facile generant graviora mala. Qua ex ratione in cura exanthematum, etiam accidentalium, hae efflorescentiae non quidem impetu extorquendae, sed neque, etiam neglecto omni cutis respectu, illico profliganda sunt. Qui scopus optime obtinetur, si aliae excretiones sine speciali necessitate ac tumultuose non moventur, remedia diluentia, ut materies mobilis conservetur, sufficienter subministrantur, atque ad paulatim evanescentis exanthematis sequelas caute adtenditur.

950. Quo plurimum etiam confert exquisitum regimen diaeteticum, quod in omnibus febribus exanthematicis maximi momenti est. Praeprimis omne repentinum refrigerium caute evitandum; temperatura aëris moderata et aequabilis concilianda, aëre ceteroquin puro et sufficienter libero; potus si non calidus, saltem tepidulus aut egelidus exhibendus.

E. Pohl de regimine caloris et frigoris in morbis exanthematicis, Lips. 1767.

951. Localia autem ad cutem auxilia generatim vix desiderantur. Sufficit munditiei cura, sub cauta linteorum mutatione. Balnea, sive frigida, sive calida, anceps

sistunt in febribus exanthematicis remedium. Universim non bene ferunt humidum exanthemata febrilia. In specialibus vero casibus, tamen etiam localis cura interdum requiri potest; quae ad specialem therapiam spectat.

952. Quodsi praemature marcescant, aut plane et inopinato retrocedant exanthemata in febribus, aliis et gravioribus inde symptomatibus exortis, ad causam hujus recessus praecipue adtendendum, et juxta illam therapia est instituenda, quae evanidum exanthema ad cutim iterum provocare valeat. Raro quidem nimius vitalis turgor, ac virium organicarum inde suppressio in causa est exanthematum languide florentium; sed tamen accidere potest, ut adparatus antiphlogisticus, imo ipsa venaesectio, et in cute scarificatio ad eorum vivaciorem eruptionem indicetur. Multo frequentius autem ex virium vitalium debilitate, imo maligna illarum ac repentina dejectione retrocessus exanthematum exoritur; atque tunc medicaminibus stimulantibus ac alexipharmacis interne datis, sub regimine calido, et externo usu rubefacientium et vesicantium erunt revocanda, simulque obsessa metaschematismo organa liberanda.

A. Büchner de scarificatione remedio ad regressa exanthemata iterum producenda. Hal. 1750.

— — — Diss. de vesicantium ad exanthemata a nobilibus partibus avocanda efficaci usu. Hal. 1759.

B. SYMPTOMATA CRITICA.

953. Symptomata critica dicuntur, quae actum criticum in febribus comitantur, aut et perficere juvant; proinde nonnisi provecta febrium aetate, eisque ad criticum judicium maturis occurrunt. Quoniam autem ille actus toties etiam funestos effectus producit, symptomata criseos non quaevis sunt salubria, sed in certis casibus etiam perniciosa esse possunt; atque nonnisi illa proprie nominantur symptomata critica, quae salutifera sunt, et ad felices crises conferunt. Haec igitur veneranda, fovenda sunt; illa, dum deleteria fiunt, omni conatu amovenda. Ast non facile semper damnosa a salutiferis distinguuntur.

954. Actus criticus, si faustus est, constat praeviis exacerbationibus criticis, ac ipso mox insequente judicio febrim levante. Merito igitur symptomata hujus stadii dividuntur in illa perturbationis criticae, et in illa criseos ipsius, seu proprie critica.

955. Sub perturbatione critica, quae ultima omnino, sed et vehementissima organismi molimina sistit ad febrem debellandam, symptomata febrilia non tantum intensione, sed et interdum numero augentur, maximique vitae conatus ex omnibus hisce symptomatibus plerumque elucent. Praegresso recenti horrore plus minus notabili, recentes exoriuntur, aut graviores prioribus, calores, turgores, praecipue in vultu, pulsus arteriarum intenduntur, carotides vibrant, respiratio magis laeditur, anxietas augetur, atque specialiora et secundaria febrium symptomata, deliria, status nervosus etc. vel increscunt, vel recentia accedunt; gravior uno verbo praegressis oritur exacerbatio febrilis.

956. Ubi ex aetate febris, stadiorum ac exacerbationum justa observatione haec symptomata criseos instantis cognoscuntur, quoniam pro futuro febris judicio sunt adeo necessaria, cautissimo modo sunt tractanda; lateralia quidem, quibus salubres operationes non praestantur, v. g. deliria, convulsiones etc., quantum in potestate artis est, infringenda aut amovenda; constitutiva autem ac essentialia, quibus ipse actus criticus perficitur, juste tantum moderanda. Ac ubi sufficientium organismi moliminum signa exhibent, vix aliquid suscipiendum, aut saltem heroicis auxiliis in gravi hoc negotio natura nequaquam turbanda est. Si vero vires organismi nimis exorbitarent, aut subpressae forent, cauto tractamine deprimendae aut liberandae; si econtra nimis languerent (quo in casu nec semper feliciter deteguntur hae perturbationes), adcommodatis stimulis erigendae essent, illis regulis, quae pro virium et symptomatum moderamine universim adsignatae fuerunt. Atque sic natura ad crisin disponitur.

957. Hi autem summi ac ultimi conatus organismi terminantur colatoriorum in superficie corporis reclusione, spasmorum scilicet resolutione tali, qua morbose stagnan-

tia in ostiis, ac per febriles motus ibi collecta, liberum exitum e corpore inveniunt, imo molientibus a tergo viribus expelluntur; sicque alter actus incipit, evacuationum scilicet criticarum, quae eo optatiorem febri finem imponunt, quo liberius procedunt. Haec phaenomena, persistentibus jam levioribus turbis, sistunt symptomata proprie critica.

958. Arrogans esset medicorum temeritas, illa ad libitum amplius dirigere, et certas evacuationes criticas per sudores, per alvum etc., determinate praestituere velle. Quemadmodum solius naturae organismi, et occultarum ejus legum opus est, materiem morbi uni vel alteri humori excrementitio adsimilare, atque unum prae altero corporis orificium a spasmis liberare, sic etiam solius naturae opus erit, locum judicatoriae evacuationis definire. Neque omni molimine artis adhibito medicus ad alvum determinabit, quod natura urinis destinavit, nullo modo per sputa evacuabit, quod natura ad exitum per sudores determinavit. Frustraneus omnino labor esset, tali in casu legibus naturae organicae se obponere, atque proprio arbitrio absolute insistere.

959. Unde officium medici sub hoc febris tempore sponte elucet. Consistit enim unice in diligenti observatione moliminum organismi, atque in subministratione eorum, quae actiones ejus in opere critico suffulciunt. Quod optime indirecto modo praestatur, si nulla evacuatio praepeditur, turbatur, aut interrumpitur, nulla econtra nimis tumultuose promovetur et augetur. Minime igitur de eo agitur, quod faciendum sit, sed potius de eo, quod faciendum non sit.

960. Symptomata critica, quae constituuntur evacuationibus levantibus, sunt: diarrhoea critica, vomitus criticus, sputa critica, urinae criticae, haemorrhagiae criticae, sudores critici, et exanthemata critica.

961. Sub diarrhoea critica, si organismus exitum materiei sub febre congestae et subactae molitur per alvum, non solum haec molimina turbanda non sunt remediis alvum adstringentibus, aut talibus, quae alias ex-

cretiones promovent, neque econtra alvus fortioribus purgantibus erit solicitanda, sed tantummodo lenissimis eccoproticis facilitanda et expedienda, aut quod longe securius erit, sola impedimenta alvo liberiori erunt amovenda; in quem finem clysteres emollientes et diaetetica auxilia saepe sufficiunt. Optima alvus critica est pultacea, cocta, homogenea, non nimis copiosa, libere prodiens, cito levans.

D. Werkshagen Diss. de valore critico diarrhoeae. Hal. 1795.

962. Ita et vomitus criticus nonnisi potu tepidulo blando erit sustentandus, minime illico narcoticis aut stomachicis remediis inhibendus.

963. Sputa critica eisdem regulis mox adsignatis nec subprimenda sunt stypticis aut narcoticis medicaminibus, neque expectorantibus acribus sine urgente necessitate propellenda, sed potibus emollientibus, saccharinis aut mellitis leniter promovenda.

964. Sub crisi per urinas, ubi natura materiei exitum per vias urinarias determinavit, non solum non subprimenda erit haec excretio, aut aliis excretionibus promotis imminuenda, sed etiam nequaquam vehementer urgenda, et solo potu aquoso, largo ac non stimulante sustinenda. Distinguuntur urinae criticae, quod turbulentae sunt, aut hypostaticae, simulque levantes.

965. Ita et haemorrhagiae criticae nec timide sunt sistendae, nec temere promovendae, sed caute moderandae. Quae regula eo magis inculcanda erit junioribus medicis, quoniam unacum aegris a minimo sanguinis profluvio plerumque anxii redduntur. Attamen omne nimis tumultuosum et profusum sanguinis profluvium desideratissimum vix ferre valet levamen.

F. E. Vogel de valore critico haemorrhagiae narium et haemorrhoidum. Hal. 1792.

966. Si judicatoria evacuatio fit per sudores, quae in febribus communissima, nullatenus est subprimenda frigore, remediis tonicis aut purgantibus; neque alexipharmacis, calore hypocausti et stragulorum extorquenda, sed sustentanda potius temperata atmosphaera, et potu diluente tepido. Sudor blandus, vaporosus, sensim ortus, uni-

versalis, aequabilis, calidus, perstans, mox aliquantisper levans, optimus est, et incongruis remediis non turbandus.

967. Quae de sudore critico dicta sunt, illa etiam valent de exanthematibus criticis, si talia occurrerent.

968. Si autem nulla manifesta observatur evacuatio, et febris per lysin evanescit, praeter diluentem potum, plane nihil adhibendum est.

969. Alia tamen praxis requiritur, ubi febris nititur in metastases, quas praevertere, si jam instant, non semper est in potestate medici. Si quidem depositiones metastaticae judicatoriae fiunt ad partes externas, easque non nobiles, natura vix est turbanda in hoc opere, imo pars ad metastasin selecta, potius fovenda erit cataplasmatibus emollientibus, aut et leniter irritantibus, ad alliciendam copiosiorem materiem, quod plebeji pasta mellita aut caepa praestare solent; alias haec materies exitui e corpore jam non adaptata, ad aliam fors nobiliorem regionem majori cum periculo appellere potest. Si vero vel minima indicia sunt, materiem ad partes externas nobiliores, v. g. ad glandulas parotides, vel ad organa interna et viscera vergere, quod ex febre non cessante et recentibus localium adfectionum symptomatibus desumitur, illico et maximo, quo fieri potest molimine, quoniam quaevis materiei febrilis interna collectio periculosa est, corporis colatoria sunt aperienda, simulque humorum derivatio ac revulsio ad dissitas et minus nobiles partes instituenda, atque materies ad alias vias trahenda, ejusque eliminatio tentanda est. Maximae hic utilitatis erunt purgantia et vesicantia. Raro tamen in hisce casibus desideratus obtinetur effectus, quoniam nisus febrium in metastases non semper tuto cognoscitur, nisi tunc, ubi metastases vel jam inceperunt, vel revera jam factae sunt, et impetus humorum ad male delectas partes vix amplius coërceri potest.

CURA IN DECREMENTO FEBRIUM.

970. Quandoque in febribus, praecipue in acutissimis, unica solemnis et decisiva crisis morbum ex integro et perfecte in sanitatem judicat, tuncque febre derepente finita,

mox intrat stadium convalescentiae, sine gradario morbi decremento.

971. Multo frequentius autem febres pluribus ac intercisis crisibus judicantur, quarum quaevis aliquod fert levamen, ita ut morbus per gradus decrescat, et symptomata febrilia gradatim imminuantur, donec ultima quaedam crisis perfectum morbi judicium pronunciet, ac, abolito omni febrili charactere, convalescentia insequatur.

972. Ubi hoc decrementum lente procedit, in febribus praecipue minus acutis, ibi sub illo decremento febrium, quae saepe jam judicatae videntur, tamen adhuc posthumae quaedam crises contingunt, quibus adhuc aliquid de morbo, ad speciem quidem absente, sed subdole adhuc praesente, abstrahitur. Manifeste hoc videre licet in febribus intermittentibus sibi relictis et sponte judicatis, in quarum decremento nullus amplius solemnis paroxysmus, sed leves tantum admonitiones ejus, longiori saepe tempore abhuc insequuntur, sub quibus aeger vel solam lassitudinem, vel solam cephalaeam sentit, vel tantum morosus est, vel solito plus transpirat etc.

973. Illae crises posthumae, sub continuis ac intermittentibus febribus, si negliguntur, aut inepto tractamine turbantur, non tantum tardam convalescentiam aut recidivam, sed ipsas metastases, et secundarios morbos diversi generis, inducunt.

974. Has ob rationes febres etiam in decremento versantes, caute adhuc sunt tractandae, ut serotinae crises bene dirigantur, atque posthuma mala praecaveantur. In quem finem ipsa plerumque remedia, quae sub principe diathesi febrili prius in usum vocari debuerunt, ultra continuantur.

975. Commonere igitur oportet, ne crisibus ad speciem absolutis, febrique in convalescentiam vergente, falsa roborandi individui indicatione, ad medicaminum tonicorum aut stimulantium, atque ad victus lautioris ac vinosi praematurum usum fiat transitus. Etenim etiam in hoc adhuc febrium stadio molimina salubria organismi consideranda et moderanda sunt, atque remediis aperientibus omnia obstacula amovenda, quae naturam in finalibus criticis operationibus, sociisque evacuationibus interturbare possent.

976. Hinc ab omnibus heroicis auxiliis in hoc stadio est abstinendum. Et quoniam leviori morbo leviora etiam opponenda sunt auxilia, supersedendum omnino erit adparatui medicamentoso graviori, et praesertim nauseoso; nam facultates adpetentes jam redeuntes, majorem in medicamina aversationem inducunt, victumque potius lautiorem ad restaurandas deperditas vires petunt. Leviorum autem solventium, ac colatoria corporis leniter aperientium remediorum usus ultra adhuc desideratur, quousque vel minima febrilis nota in organismo restat. Quo simul nunc ex parte regiminis diaetetici, praesertim victu eupepto ex fructibus, oleribus, juribus bonis, potu diluente, ad summum subvinoso, vitatis adhuc carnibus, contribui potest.

CURA IN CONVALESCENTIA.

D. Pischl Diss. de cura convalescent. ex febribus acutis. Lips. 1775.

977. Crisibus feliciter peractis, atque symptomatibus febrilibus plane evanitis, functiones organismi, intermedio aliquo opportunitatis stadio, pedetentim ad normalem sanitatis statum accedunt, atque aeger convalescere dicitur.

978. Quamprimum haec convalescentia incipit, desinit indicatio curatoria, atque exsurgit nunc indicatio confirmatoria, qua viribus per morbum perditis, prospiciendum, jactura substantiae organicae restituenda, et recidiva in priorem morbum praepedienda est.

979. Abjectis nunc medicaminibus (nisi intercurrentes anomaliae ea deposcerent) haec cura confirmatoria plurimum absolvitur regimine exquisito diaetetico. Quod autem in genere indoli mox exantlatae febris est adcommodandum, atque residuae ex ea diathesi, sive inflammatoriae, gastricae, nervosae etc. exacte adaptandum, ne, exaltata denuo opportunitate, relapsui in eundem morbum occasio detur.

980. Ubi convalescentia prompta est, quemadmodum ex illis febribus acutis, sub quibus vires organicae non multum dejectae, ac humorum bonorum jactura non multum consumtae fuerunt, confirmatoria haec cura citius absolvitur; diutius vero continuanda erit illis convalescentibus, qui

exantlarunt febres diuturnas, aut magna humorum et substantiae organicae jactura stipatas, aut magna in recidivas proclivitate donatas, quales sunt febres intermittentes, catarrhosae, rheumaticae etc.

981. Inde liquet, in cura ejusmodi convalescentium plurimum etiam ad specialem characterem febris praegressae esse adtendendum, quod ad doctrinam morborum specialem spectat. Hic tantum generalia quaedam momenta, sub cura convalescentium ex febribus universim sunt exponenda.

982. Omnium primo aeger lectum, quem tempore febris occupavit, deserere debet, aliumque, si fieri potest, quaerere, aut in alium locum, imo in aliud cubile transferri; quem in finem etiam in nonnullis nosocomiis propria cubilia convalescentium habentur. De die sedili insideat leviter vestitus, et quantum vires permittunt, obambulet, maturius vero iterum lectum petat.

983. Aer cubilium purus et temperatus procurandus; aestivo tempore et sereno in aëre etiam libero versandum. Hinc praestat rus petere, ibique corporis exercitiis diversis uti, animo libero, a severis cogitationibus et curis alieno.

984. Somnus adhuc protractior requiritur, imo et a meridie suadendus, quousque vires non ex integro recuperatae. Atque convalescentes fere universim prouti infantes sunt tractandi.

985. Caveant quammaxime ab animi pathematibus, et a salacitate, in quam valde proclives sunt.

986. Nihil autem majorem circumspectionem deposcit, quam diaeta in victu, nam fame canina plerumque vexantur convalescentes, atque instinctibus pravis trahuntur. Incipiant igitur frequentius, sed semper parce comedere. Jura carnium concentrata utplurimum quidem fastidiuntur, sed plurimum nutriunt. Mucilagines hordei, oryzae, panatellae, juscula vini libentius plerumque sumuntur. Pauxillum vini cum pane bis cocto aliquoties in die concedi potest, si febris praegressa non fuerit inflammatoriae indolis. Serius adscenditur ad usum panis albi, qui maxime plerumque adpetitur; ad fructus coctos, olera teneriora non flatulenta, atque post plures dies ad licentiam carnium, ab

initio tenerrimarum, imo prius cerebri potius vitulini, pulmonum coctorum et conscissorum cum succo citri, deinde vero ad ipsas carnes gallinaceas, vitulinas, atque omnium ultimo bovillas. Pauperibus autem, quibus selectus alimentorum non habetur, illa erunt optima, ad quae in sano statu adsueti fuerunt. Sed haec omnia adeo caute sunt porrigenda, ut ventriculus, a morbo debilitatus, inde non oneretur, atque gastricis cruditatibus et recenti febri occasio non praebeatur.

987. Propterea valdopere ad excretionem alvinam quotidie est adtendendum, quae si justo et solito modo non procedat, si inde molestiae quaedam, vertigo, anorexia, calores etc. oriantur, clysmatibus leniter urgenda erit.

DIVISIONES FEBRIUM.

Cl. Galeni de differentiis febrium Libri II.
J. Planer febrium divisio et compositio. Venet. 1596.
J. G. Brendel de febrium partitione. Got. 1740.
A. de Haën Theses sistentes febrium divisiones. Vien. 1763.
D. Schwannenfeld Diss. sistens febrium divisiones. Vien. 1768.
E. Baldinger Diss. de febrium acutarum differentiis. Jen. 1770.

988. Ut jam febres in specie pertractari, atque pyretologia specialis systematico, aut saltem utili practico ordine exponi possit, praemittenda est adhuc febrium divisio. Quae illud simul offert emolumentum, quod febrium classe in ordines, genera et species una cum suis varietatibus distributa, illae, quae ad aegrorum lectos occurrunt, ad certa hujus divisionis membra reduci, juxta characteres ibi expositos denominari, atque in certo nosologiae specialis loco exquisitius pertractatae inveniri possint.

989. Plurimae atque plurimae hunc in finem nosologicae et practicae divisiones fuerunt propositae, a tempore Cl. Galeni, qui primus et optime de morborum divisionibus universim meritus est, usque ad hodiernum tempus. Quas omnes hic loci recensere, spatium non permittit. Sufficiet sane, fontes illos, aut satius principia, ex quibus hae multifariae divisiones haustae fuerunt, indicare et aestimare, atque illa inde exquirere et adsignare, ex qui-

bus, si non scientificae et systematicae, saltem practicae febrium divisiones erui possunt.

990. Quoniam formae morborum passim pro ipsis morbis inepte habitae, aut cum eis commixtae fuerunt, atque nonnulla illorum, quibus hae formae constituuntur, symptomata omnino eminentia ac urgentia sunt, nec non ipsam praxin instituendam dirigunt; hinc etiam omnium antiquissima, et per plura saecula vulgatissima febrium divisio ex symptomatibus praevalentibus fuit desumta. Ita jam veteres distinxerunt febres in ardentes ab ardore praevalente, in epialas a frigore, in typhosas a stupore, in hydropyretas a sudore, in hecticas a tabescentia etc. Imo et recentiorum multi febres ex praedominante quodam symptomate denominare solebant et adhucdum solent, atque distinguunt febres comatosas, phreniticas, pleuriticas, dysentericas, petechiales, verminosas etc. Quorum symptomatum, utut in certis febribus praevalentium, nonnulla tamen vel plane accidentalia sunt, vel aequivoca et febribus obpositae etiam indolis propria, ac proinde determinatam indolem febrium non indicantia. Hac ex ratione symptomata minus constantia, utpote morbi tantum formam constituentia, nonnisi pro subdivisione, et ad statuendas species ac varietates febrium adhiberi possunt, minime autem, quoniam genericos characteres non offerunt, ad genera febrium determinanda. Neque etiam horum generum numerus et finis haberetur, si ex symptomatibus febrium vix numerandis, atque sub ejusdem febris decursu adeo variabilibus, desumeretur generica divisio.

991. Alterum momentum, quod antiquissimis ac omnibus aevis in febrium distinctione respiciebatur, est typus, decursus scilicet et durationis ratio. Hoc respectu febres in typicas et atypicas, in acutas et lentas, in continuas et intermittentes dividuntur. Valore omnino summe practico, non tantum pro secundariis, sed etiam pro primariis febrium divisionibus.

992. Ratione numeri aegrorum, eodem tempore febri correptorum, ratione itaque causarum, sive singulos, sive plures homines simul febre infestantium, ab antiquis

etiam temporibus febres distinctae fuerunt in sporadicas et populares (epidemicas, juxta vim vocis, super populum dominantes).

993. Sporadicae generantur causis singularibus ac domesticis, proinde in pauca tantum individua agentibus. Populares autem oriuntur ex causis nocivis magis universalibus, plurima simul individua adgredientibus; proinde vaste in populum grassari solent. Subdividuntur in contagiosas, et epidemicas stricte tales.

994. Febres contagiosae, loimicae, ex specificis miasmatibus proficiscuntur, quae contactu vel immediato, vel mediato, vel etiam sola adproximatione in atmosphaeram aegri diffunduntur et propagantur, similesque iterum in dispositis febres producunt. Differunt ab epidemicis non solum miasmate proprio, sed etiam eo, quod passu successivo progrediuntur inter homines, sub commercio hominum aucto augentur, atque imminuuntur eo imminuto; demum quod sub diversa mutatione atmosphaerae, victus etc. eaedem persistunt in specifica sua indole.

995. Epidemicae febres econtra veniunt ex causis morbosis summe universalibus, semet ipsas in organismo non regenerantibus, et quidem plurimum ex conditione aëris et victus, proinde ex ratiocinibus mere diaeteticis, et minime ex miasmatibus successive migrantibus. Mutatis conditionibus aëris et victus, mutantur etiam in indole sua speciali. Subdividuntur in endemias, stationarias, annuas et epidemice intercurrentes.

996. Endemiae febres fixam sedem et perennem indolem habent, utpote ex causis prosilientes, quae certis locis aut provinciis integris continuo infensae sunt. Ita febres intermittentes in regionibus paludosis.

997. Stationariae febres, endemiis fere analogae, non tamen continuo, sed pluribus plerumque annis incertis regionibus dominantur proprio charactere, qui leniter increscit, viget, decrescit, alterique tandem locum cedit et dignitatem illam, qua febres hae imperium peculiare in omnes morbos tum febriles, tum non febriles ita exerunt, ut eis suum characterem plus minusve impertiant. Rationes hujus epidemiae non in solis manifestis qua-

litatibus atmosphaerae delitescunt; quae omnino spatio plurium annorum diverse mutantur.

998. Annuae febres certis anni temporibus adstrictae sunt, et cum illis periodice quotannis recurrunt. Pendent a qualitatibus atmosphaerae sat manifestis, frigore, calore, humiditate, siccitate etc. Inde enim certis anni temporibus certae etiam diatheses imprimuntur organismo, et quidem hyemis tempore inflammatoria, aestatis tempore biliosa, atque temporibus aequinoctii frigida, aut fere neutra. Ex qua diathesi, datis gravioribus nocivis potentiis febrim excitantibus quibuscumque, febres oriuntur, certis anni partibus respondentes, et propterea annuae dictae, quae quidem, utut regantur imperio stationariae febris, ipsae iterum omnes epidemice intercurrentes, contagiosos et sporadicos morbos in suum trahunt jugum, propriumque suum illis characterem communicant. Atque ita etiam divisio febrium non plane inutilis quoad anni tempora habetur, in hyemales, vernales, aestivas ac autumnales.

999. Febres epidemice intercurrentes denique certis anni temporibus minime adstringuntur, indefinitis temporibus ac sub quavis regnante epidemia intercurrere possunt, dominium in alios morbos non habent, sed ipsae potius subalternae sunt stationariis ac annuis febribus. Tales sunt febres catarrhosae, rheumaticae, et aliae, quae manifeste pendent a sola tempestatum variabilium constitutione, aut ab aliis publicis, sed summe variabilibus causis.

1000. Haec jam febrium divisio, ex causarum singularium vel universalium consideratione desumta, utut a l primariam febrium distributionem minus apta, maximum tamen in praxi valorem habet, quoniam tum febrium, tum aliorum morborum specialiores modificationes respicit, ipsamque utiliter dirigit medendi rationem.

1001. Imo febrium epidemicarum annuarum diligentior intuitus stabiles omnino offert earum characteres, certis anni temporibus proprios; hyemali inflammatorium, aestivo biliosum, atque temporibus aequinoctii intermittentem, frigidum et pituitosum. Quaprop-

ter hae febres annuae a medicis observatoribus cardinales vocabantur, cum vix non omnes reliquae, in praxi occurrentes, febres primario ac praevalente suo charactere ad harum unam reduci possint.

1002. Ex eodem fere fonte suas febrium divisiones petunt, qui, gravissimum momentum, indolem scilicet febrium illam, quae principalem therapiam dirigit, unice respicientes, eas in inflammatorias, gastricas, nervosas, putridas, frigidas lentas etc. dirimunt. Quae divisiones, cum proximam fere causam atque diathesin, diversis febribus propriam, penetrare intendant, inter omnes alias summum pretium in nosologia et praxi habent.

1003. Sed praeter has summe practicas, adhuc plures habentur aliae divisiones febrium, utilitatis longe minoris.

1004. Quoad exitum et effectum diversum dividuntur in benignas, quae brevi ac facile in pristinam sanitatem terminantur; in salubres seu depuratorias, quae adhuc meliorem, quam ante febrim fuit, statum inducunt; in malignas, quae difficulter sanantur, et summo cum periculo excurrunt; et in perniciosas, quae inopinata morte finiunt.

1005. Quoad extensionem distinguuntur in universales et locales, posterioribus non sine maxima licentia, et contra omnem linguae usum ita dictis.

1006. Quoad intensionem denique in manifestas, diverso gradu tales; in occultas seu latentes, quae symptomatum suorum lenitate nec minimum redolent febrim, et tamen febres sunt; atque in larvatas, quae plane sub alienis symptomatibus delitescunt, et nonnisi urinis febrilibus et moliminibus criticis se praesentant, non tantum intermittentes, et saepius ac periodice redeuntes, sed et interdum continuae, plerumque ephemerae sunt, et quarum exemplum non infrequens offert apoplexia.

1007. Hisce jam febrium divisionibus communissimis, nec non principiis, ex quibus desumtae fuerunt, expositis, videndum jam erit, quaenam harum maximam in praxi utilitatem, simulque systematicum febrium ordinem offerre valeat.

1008. Quousque causa proxima febrium ignorabitur, eousque etiam ultima illa differentia, qua a se invicem discrepant genera febrium, occulta erit, et logica aut scientifica earum divisio, nisi hypothesibus acquiescere quis velit, non habebitur; sed unice practicis, ex symptomatum essentialiorum ac therapiae requisitae differentia desumtis, insistendum erit divisionibus.

1009. Practico autem respectu nonnisi duo sunt momenta, quae utilem in praxi divisionem primariam febrium determinare valent, character morbosus praevalens et typus.

1010. Praevalens character febrium, inflammatorius, gastricus, nervosus etc. minime ex singulis symptomatibus, sed potius ex universali organismi propria morbosa diathesi desumendus, indicat et dirigit ipsam therapiam specialiorem necessariam, pro diversitate casuum diversam, antiphlogisticam, antigastricam, stimulantem etc., atque propterea, cum ipsas fere designet causas proximas, momentum sistit praecipuum in febrium distinctione primaria.

1011. Typus ideas quoque directrices in medendo minime excludit, ab ipsa enim indole febrium specialiori pendet, pluries, exemplo intermittentium, propriam ac specificam methodum petit, et non tantum rationes seligendae, sed etiam tempus opportune adhibendae therapiae exquisitius determinat. Hinc quoque grave momentum offert ad febrium distinctionem.

1012. Multum igitur sapiebant jam antiqui, qui utrumque momentum, typum ac indolem respicientes, febres distinguebant in intermittentes et continuas, posteriores subdividendo in synocham, seu febrem continentem indolis inflammatoriae, per septem fere dies decurrentem, in typhum, seu febrem remittentem indolis nervosae, per quatuordecim circiter dies durantem, atque in synochum, febrim remittentem indolis aut gastricae aut putridae, ad viginti circiter dies excurrentem.

1013. Hisce consideratis, vel typus febrium primarias dabit illarum divisiones practicas, atque character eminens et propria indoles febrium secundarias seu subdivisio-

nes; vel etiam inverse, ex indole febrium primariae, atque ex typo earum secundariae divisiones erui possunt.

1014. Quodsi autem perpenditur, typum offere phaenomena diagnostica tum magis aperta, tum magis generalia, quam specialiores et magis intricati characteres febrium offerre solent; aptius omnino erit, primos ordines classis febrium ex ipso typo, subalterna vero genera potius ex indole febrium, earumque proprie generico charactere desumere, quo sane specialior therapia dirigitur.

1015. Jam quoad typum exactissima dichotomia febres dirimuntur in intermittentes, quae in decursu suo apyrexiis intercisae sunt, et in continuas, quae veris apyrexiis nullis intercedentibus decurrunt. Hinc respectu hocce duo etiam exoriuntur ordines classis febrium. PRIMUS ORDO: *Febres intermittentes.* SECUNDUS ORDO: *Febres continuae.*

1016. Et juxta hanc divisionem summe antiquam et vere practicam specialis febrium doctrina exponetur.

Opera recentiora praecipua, quae de febribus tractant.

Schäffer Versuch eines Vereins der Theorie und Praxis in der Heilkunde. 3 Theile. Tübingen 1817, 1820, 1826.

Horsch Handbuch der besondern Krankheitslehre und Heilkunde. Frankf. 1819.

Barzelotti Elementi di Medicina practica. Vol. I. Pisa. 1819.

Richteri (A. Th) Therapia specialis. Opus posthumum in latinum sermonem transtulit Fr. G. Wallroth. II Tomi. Berolini. 1819 et 1820.

Broussais Examen des doctrine médicales et de systèmes de Nosologie etc. II Vol. Paris 1821 et 1823.

Gregory (Georg) Elements of the theory and practice of Physic etc. Lond 1820.

Park Pathology of Fevers. Lond. 1822.

Gendrin Recherches sur la nature et les causes prochaines des fièvres. II Vol. Paris. 1823.

Dreyssig's Handwörterbuch der medicinischen Klinik. 4. Bandes 2. Thl. die Fieberlehre enthaltend von Schlegel. Erfurt. 1824.

Harless Neues praktisches System der speciellen Nosologie. Coblenz. 1824.

Burserii Institutiones medicinae practicae; emendatae et auctae cura Valeriani Brera. Vol. I. Mediol. 1824.

Authenac Nosographie médicale ou Elemens de Médecine pratique. Tom. I. Paris 1824.

Mason Good the Study of Medicine. 2. Edit. V Vol. London 1825.

Boisseau Pyretologie physiologique, ou traité des fièvres etc. 3. Edit. Paris 1826.

Bouillaud Traité clinique et expérimental des fièvres dites essentielles. Paris 1826.

Wolfart Nosologische Therapie, oder Lehre der Erkenntniss und Heilung aller Krankheiten des Menschen in 4 Büchern. Berlin. 1826.

Frank (Jos.) Praxeos medicae universae praecepta. Editio altera. Vol. I et II. Lips. 1826 et 1827.

Sundelin Pathologie und Therapie der Krankheiten mit materieller Grundlage. 2 Bde. Berlin 1826 et 1827.

Puchelt Umriss der besondern Krankheits- und Heilungslehre. 3 Bände. Heidels. 1827 — 1831.

Berends Handbuch der praktischen Arzneywissenschaft, oder der speciellen Pathologie und Therapie. Herausgegeben von Sundelin. 9 Bände. Berlin 1827 — 1829.

Barbier Précis de Nosologie et de Therapeutique. II Vol. Paris 1827 et 1828.

Baumgärtner über die Natur und die Behandlung der Fieber etc. 2 Bde. Frankf. a. M. 1827.

Boisseau Nosographie organique. III Vol. Paris. 1828.

Andral Clinique médical. 2. Edit. 3 Tomes. 1829 et 1830.

Naumann Handbuch der medicinischen Klinik. 3 Bde. Berlin 1829 — 1831.

Nasse (Fr.) Handbuch der speciellen Therapie. 1. Band. Leipz. 1830.

Berndt die Fieberlehre nach dem jetzigen Standpunkte der medicinischen Erfahrung bearbeitet. 2 Thle. Leipz. 1830.

Bischoff (J. R.) Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber und Entzündungen. 2. Aufl. Wien 1830.

Raimann Handbuch der speciellen medicinischen Pathologie und Therapie. 4. Aufl. 2 Bde. Wien 1831.

Choulant Lehrbuch der speciellen Pathologie und Therapie Leipz. 1831.

Neumann Specielle Pathologie und Therapie der fieberhaften Krankheiten des Menschen. Berlin 1832.

PYRETOLOGIA SPECIALIS.

ORDO PRIMUS FEBRIUM.

FEBRES INTERMITTENTES.

FEBRES

INTERMITTENTES.

AUCTORES MONOGRAPHI.

Rolfink Diss. de febribus intermitt. Jen. 1638.

Rivinus Diss. de febribus intermitt. Lips. 1683.

Torti (Franc.) Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas. Mutinae 1712.

Boettger Diss. de febribus intermitt. Lips. 1721.

Werlhof Observationes de febribus intermitt. Hannov. 1745.

Senac de recondita febrium intermitt. tum remittentium natura. Amstelod. 1759.

Coliny de febribus intermitt. cognoscendis et curandis. Argentor. 1760.

Müller Diss. de febribus intermitt. Vien. 1765.

Trnka de Krzowitz Historia febrium intermitt. Vind. 1775.

Cassel Diss. de febre intermitt. Giess. 1781.

Thom. Bowdler de febrium intermitt. natura et indole. Edinb. 1776.

Mayer Diss. de febribus intermitt. Giess. 1781.

Grönberg Diss. de febribus intermitt. Jen. 1783.

Fidler de febrib. intermitt. Prag. 1784.

Jac. Grainger Pract. Bemerkungen über die Behandlung der kalten Fieber. Leipz. 1785.

C. Strack Observat. de febribus intermitt. Offenb. 1787.

Thompson Treatise on the febris intermitt. Lond. 1787.

Van Hoven Versuch über das Wechselfieber und seine Heilung. Winterthur. 1789.

Fr. Schraud de febribus periodum habentibus. Vien. 1797.

Kottum Bemerkungen über das Wechselfieber. In Hufeland's Journ. XV. B.

Fizeau Recherches et observations pour servir à l'histoire de fièvres intermittentes. Paris 1803.

Schwalt Diss. de febribus intermittentibus. Viennae 1814.

Baumés Traité des fièvres remittentes et des indications qu'elles fournissent pour l'usage du quinquina. II Vol. Montpel. 1821.

Mongellaz Essai sur les irritations intermittentes, ou nouvelle théorie des maladies périodiques, fièvres larvées, pernicieuses, etc. II Vol. Paris 1821.

Bailly Traité anatomico-pathologique des fièvres intermittentes simples et pernicieuses. Paris 1825.

Schneider F. J. über den sporadischen Typhus und das Wechselfieber. Tübingen 1826.

1. Pyretologiam specialem a doctrina febrium intermittentium incipere convenit; harum enim notio facilior, tum quia characteres manifestiores sunt, tum etiam quia paroxysmus quivis febrem brevissimam sive acutam quasi in nuce praesentat.

2. Hae febres ab omni aevo distinctae fuerunt a continuis ob essentiales, quas offerunt, notas, unde etiam Ploucquetio febres idiaetatae dicuntur, quod idem significat, ac febres sui generis, specificae. Posterioribus autem saeculis, post detectam virtutem specificam Corticis febrifugi, tanto majori jure ceu proprium genus considerari potuerunt.

3. Numerus febrium intermittentium, quae generi humano omnino coaetaneae dici debent, ingens est in praxi; cum sporadice non solum occurrant, sed vix non semper epidemice aut endemice grassentur. Neque, utut crebro salubres sint ac depuratoriae, omni periculo carent; imo posthumis, quae relinquunt, malis generi humano diversas struunt insidias.

4. In aliis, praeter hominem, animalibus febres intermittentes occurrere, certis observationibus nondum constat. Ferunt quidem, leones et equos (1) hoc morbo etiam laborare; verum dubiis non carent adserta.

(1) Royston in Brodley's Med. and Physical Journal. 1809.

DEFINITIO.

5. Febres intermittentes, (διαλείποντες πυρετοι) Hippocr. et Galeni (a διαλείπω intermitto, unde derivatur dialeipyra Swediaueri), Germ. Weclselfieber, kalte Fieber, illae dicuntur febres subsantivae et autonomae, quae paroxysmis, seu insultibus febilibus a se

invicem separatis per circuitus ratos recurrunt, intercedente inter duos accessus apyrexia plus minusve perfecta.

6. Sunt ergo e pluribus invasionibus compositae, quarum quaevis, Sydenhami verbis, „febrim continuam in compendium contractam sistit.“ Quapropter — vix non rectius loquendo — febris intermittens esset febris acutissima, ephemera, certo, aut incerto tempore recurrens ita, ut reciproca inter singulas invasiones relatio persistat; quae nonnisi tunc periodica nominari potest, cum definito ac certe praedicendo circuitu redit.

7. Quatenus talis definitio, quae solummodo summe generalem ac evidentem morbi proprietatem complectitur, causam proximam, multis adhuc tenebris occultam, ultimamque ab aliis morbis differentiam non includit, logica nominari nequit.

8. Ut itaque tanto certior adquiratur febrium intermittentium notio, earum omnium primo cum aliis morbis analogiam, ac differentiam ab illis essentialem exponere, atque fusiorem, seu graphicam descriptionem in decursu tam normali, quam abnormi subjungere oportet.

ANALOGIA CUM ALIIS MORBIS ET DIFFERENTIA.

9. Febres intermittentes cum plerisque, iterato accessu periodice recurrentibus, morbis remotam quamdam habent analogiam, a quibus tamen, ut in therapia et in praesagio futuri eventus damnosi evitentur errores, caute distingui debent; inter aliquos enim essentialis subest differentia.

10. Omnium maximam germanitatem habent cum illis febribus, quae quidem etiam e pluribus et manifestis in decursu compositae sunt paroxysmis, tempus tamen intercalare vere apyreticum non agnoscunt; et ideo, quoniam apyrexiarum perfectarum loco, remissionibus potius interciduntur, febres intermittentes subcontinuae (etwas anhaltende Fieber), aut subintrantes (einfallende) nominari solent; uno enim paroxysmo nondum finito, jam alter ingreditur.

11. Adfinitas non multum absimilis obtinet inter febres intermittentes illasque febres continuas remit-

tentes, quae remissionibus luculentis, et solemnibus exacerbationibus periodicis incedunt.

12. Differentia inter has et intermittentes febres non est adeo insignis; imo omnes supradictae febres, utut forma et typo diversae adpareant, indolis ejusdem esse possunt, quamobrem saepenumero nonnisi febrium intermittentium varietates sistunt, generico ac principali febrium charactere, nisu videlicet in salubres crises, donatas. Hoc tamen molimen ea ratione variare videmus, ut febres intermittentes evidentiorem nisum in singulos paroxysmos perfecte solvendos ostendant; febres e contrario continuae remittentes minorem quidem in singulos paroxysmos truncandos, ast tanto efficaciorem in paroxysmorum syndromen, ac pendentem inde febris ipsius decursum jugulandum potestatem manifestent.

13. Alia est analogia inter febres intermittentes et febres symptomaticas periodice redeuntes, quales sunt febres pomeridianae et vespertinae tabe purulenta, arthritide, rheumatismo, syphilide, scorbuto laborantium; febres vulneratorum (1); itidem periodicae febriculae hominum debilium ac summe sensilium; feminarum hystericarum, hypochondriacorum, tabe sicca languentium, vitiis organicis adfectorum.

(1) Dumas della natura e del modo curativo delle febbri remittenti, che si associano alle grandi ferite. Firenze 1805. — Lüders über das intermittirende Wundfieber, seine Symptome, Ursachen und Behandlung. Hamburg 1831.

14. Ast notabilior hic obtinet differentia; tales febres enim neque nisu in salutares crises, ceu principali febrium, quae morbum sui generis sistunt, charactere (Pyret. gen. §. 181), gaudent, neque specifico, quod intermittentes domat, remedio sanari possunt; neque, febrium intermittentium adinstar, morbos simpliciter dynamicos, primarios et epidemicos sistunt; sed praeexistentem labem, plerumque organicam, supponunt, quam umbrae ad modum comitantur; sesundaria igitur mala sunt, atque e domesticis vix non semper proficiscuntur causis.

15. Denique etiam Nevroses periodicae aliquam cum intermittentibus offerunt analogiam, vel potius

similitudinem, tum ob proprium nisum in periodicas invasiones, tum ob initium a sensu frigoris, tum ob utilitatem therapiae nervino - tonicae et antagonisticae; quapropter ipsam dialeipyram ceu nevroseos speciem considerare liceret.

16. Desunt autem Nevrosibus sinceris, utut periodicis, molimina critica, eminens proinde febrium character, atque remedia antipyretica viribus suis specificis eas sanare nullatenus valent. Quodsi enim Cortex peruvianus nevroses interdum vincere videatur (1), viribus solummodo nervino-tonicis, minime specificis, id praestat. Arsenicum, efficax febrifugum, in nevrosibus incassum tentatur. — Porro nevroses unice vires et facultates systematis sensitivi, febres e contrario intermittentes omnes vitae efficientias alteratas exhibent.

(1) Fr. Cas. Medicus von periodischen Krankheiten. Carlsruhe 1764.

17. Hisce jam febrium intermittentium cum aliis morbis similitudinibus, earumque iterum ab illis differentiis rite consideratis, prima nascitur febrium intermittentium in legitimas sive veras, et illegitimas sive spurias divisio. — Priores gaudent manifestissimo nisu in crises, sufficiente ad singulos accessus perfecte solvendos; apyrexiis distinguuntur plus minusve luculentis; atque specificis obediunt remediis. — Posteriores mentiuntur tantum formam aliquam febrium intermittentium; criticis et spontaneis naturae operationibus non solvuntur; specificis febrifugis non cedunt.

Reinhard Carmen de febribus intermitt. spuriis. Glogov. 1795.

18. Febrium intermittentium legitimarum nonnisi exponenda hic loci venit doctrina.

NOSOGRAPHIA SPECIALIS FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

19. Ut febris intermittentis notio quam exactissima, ac facilior ad lectum aegri diagnosis habeatur; pernecessaria

est fusior per omnia stadia, in decursu tam normali, quam anomalo, descriptio.

20. Abnormitates autem observantur non solum in symptomatibus et singulis stadiis paroxysmorum; verum etiam extra illos sub ipsa intercalari apyrexia, nec non in periodo, qua invasiones febriles redire consuescunt, seu in typica paroxysmorum ad se invicem relatione.

21. Si paroxysmi frigore ordiuntur solemni, subsequo aestu, atque sudore levante terminantur, quem apyrexia perfecta excipit, febris intermittens dicitur manifesta, aut evidens. — Paroxysmi certa et fixa periodo redeuntes, ita, ut ab ipsis aegris vel hora, vel dies saltem invadentis febris praedici possit, regularem, seu typicam constituunt. — Utraque, summe vulgaris, paroxysmorum et typi ratio febrem intermittentem normalem, quasi ordinariam facit.

22. Si vero paroxysmi omnia sua stadia vel plane non, vel perverso ordine percurrunt; si constitutiva eorum symptomata omnia, aut plura deficiunt, aut ob levitatem deficere videntur; si prorsus insolita subintrant phaenomena, atque apyrexiae perfectae non sunt; sed, absente utut febre, organismi vario titulo laesi vestigia offerunt, febris intermittens anomala nuncupatur. — Si accessus, utut symptomatibus et stadiis manifesti, et perfectis apyrexiis sejuncti, certum in reditu typum non observant, sed vage ac sine lege recurrunt, febris irregularis seu atypica audit. — Utroque in casu febris intermittens abnormis est, et quasi extraordinaria.

23. Si denique, nullo prorsus respectu ad paroxysmorum rationem et periodum habito, apyrexiae perfectae singulas separant invasiones, febris nominatur simplex, meraca, perfecta. — Intermissionis e contrario plenariae absentia, cujus loco aut febrilia quaedam, aut alius generis continuant phaenomena, ad reditum subsequi paroxysmi perseverantia, febrem intermittentem imperfectam, subcontinuam aut complicatam efficit.

24. Summe momentosae igitur febrium intermittentium divisiones sunt: 1) Respectu paroxysmorum in ma-

nifestas et anomalas. 2) Respectu apyrexiarum in perfectas et imperfectas. 3) Respectu typi in regulares et irregulares.

1. HYPOTYPOSIS

FEBRIUM MANIFESTARUM, PERFECTARUM, REGULARIUM.

25. Quaevis intermittens legitima, proinde tanto clarius manifesta, regularis, et simplex, verbo normalis, catenam sistit paroxysmorum apyrexiis interruptam; quapropter in hypotyposi hujus morbi paroxysmorum, apyrexiarum atque relationis inter utrumque momentum, seu typi ratio est habenda.

α) PAROXYSMORUM RATIO.

26. Paroxysmus, accessus, invasio, insultus febris intermittentis, dum manifesta est, omnibus, quae febri in genere competunt, characteribus distinguitur, atque, uti dictum, febrim acutam in nuce praesentat. Adgreditur vel sanos, vel praegressam sequitur apyrexiam, triaque vulgo absolvere dicitur stadia: frigoris utpote, caloris et sudoris; in quibus tamen rite consideratis integra stadiorum, prouti aliis febribus acutis competit, series, facile animadverti potest.

27. Omnem paroxysmum praecursores quidam annunciare solent, quorum syndrome opportunitatis stadium constituit. Aeger, quem febris intermittens habitura est, languet ad motum gravis, lassus et morosus; facies, extremitates et praesertim ungues pallent, livent et frigent; capitis gravedo cum insolitis alternat in cervice et occipite tensionibus; cum oblectamenti cujusdam sensu extenduntur membra, atque ex hac iterata pandiculatione et oscitatione brevi imminentem aeger ominatur paroxysmum. — Quum tota febris brevis sit, etiam opportunitatis phaenomena intra quadrantem, aut medium horae, utplurimum, in magis essentialia fatiscunt symptomata.

28. Sequitur dein stadium invasionis, quod, prioribus signis gradu auctis, pallore et livore intenso unguium, labiorum, nasi, et universim partium exstan-

tium, sensu frigoris interno, horripilationibus et formicatione per spinam dorsi, cuti anserina, quasi miliaribus obsita, se distinguit. Nonnunquam maculae lividae notantur, quae irruente calore evanescunt; itidem disparent exanthemata, sub caloris accessu iterum adparitura. Pulsus arteriarum fiunt frequentiores, sed contracti. Increscente lassitudine, ac membrorum quasi quassatorum sensu, aeger, etiam robustissimus, lectum petere cogitur.

Walther Diss. de frigore et febris intermittentis accessione. Lips. 1740.

29. Breviter durante hoc stadio succedit jam alterum, horroris, et quasi incrementi febrilis; (tempus exhorrescentiae Sydenh.) — Augetur non solum sensus frigoris interni, quem in partibus externis thermoscopium non indicat, sed vagae horripilationes cum dorsali myrmekismo in continuum et universalem transeunt tremorem, cum totius corporis defatigantibus succussionibus, dentiumque crepitu, quae apud teneros infantes in veras facile degenerant convulsiones. Corporis moles tartillum adtenuatur, facies collabitur, annuli a digitis sponte secedunt et vestitus, pressus antea, relaxatur. Aeger calorem avide quaerit, atque tremula membra lodicibus sollicite tegi curat, etiamsi realis corporis temperatura ne hilum alterata, imo aucta observetur. In senibus tamen quartana correptis non raro reale obtinet frigus, adeoque intensum, ut penitus immobilia rigeant membra. (Algor seu rigor febrilis.)

30. Eodem tempore vix non omnium virium et functionum laesio subsequitur. Oculorum adspectus fit turbidus, languidus. Adpetitus silet omnis; imo ad nauseam et apositiam increscit anorexia, ipsumque vomitum invitat (1); sitis e contrario, vere constitutivum hujus stadii symptoma, maxima et insatiabilis incenditur, ad frigidum potum spurio instinctu ducens. — Diversimode laeduntur secretiones et excretiones; oculi illacrymantur; oris cavea et fauces arescunt; alvus plerumque est clausa; urina copiosa, et cruda, aquae instar pallescit, nec nubecula circumflua, nec sedimento demisso turbatur; sudor cohibitus.

(1) Stahl Diss. de vomitu praecipuo febrium intermittentium symptomate. Erf. 1730.

31. Frigus extremorum, et spasticae in finibus arteriarum contractiones circulum in systemate vasorum capillarium praepediunt; unde sanguis in majoribus congeritur vasorum truncis, et quidem maxime in circuli centro: pulmonibus et corde. Dyspnoea et anxietas subnascitur peripneumonica cum molimine spontaneo circuitum sanguinis per pulmones faciliorem reddendi mediante respirio accelerato, sublimi et tussiculoso. — Eadem ex causa cor palpitat potius celerrime ac tremit, quam ut libere et ordinate pulset; inde arteriarum ictus frequentes quidem, ast parvi, contracti, non raro inaequales, ad sensum debiles; quum minor sanguinis in vasorum fines irruat copia, contractione undique praevalente.

32. Summe periculosum itaque est hocce febris intermittentis stadium, praesertim si morbus intensior graviori sociatur praecordiorum cum oppressione et oppletione. Atque major aegrotantium numerus, qui sub ipso paroxysmo febris e medio tolluntur, in primo obit stadio, morte apoplectica vel suffocativa; quemadmodum id confirmant incisa defunctorum cadavera; quae teste Harvaeo, vasa in encephalo tum rupta, tum turgida, ac sanguinem crassum pulmonibus impactum monstrant. Harv. Exercit. anat. Cap. 16.

33. Prouti vehementia, ita et duratio frigoris non est eadem in omnibus febrium intermittentium paroxysmis. — Vehementiam seu intensionem plurimum determinant aetas subjecti, typus, anni tempus, epidemica constitutio, et therapiae adhibitae ratio. Intensius esse solet frigus unacum reliquorum symptomatum caterva in febribus quartanis, praecipue senicụlorum, tempore autumni et hyemis, sub therapia perversa et pravo regimine. Mitius est sub circumstantiis oppositis. — Mora seu extensio unius aut duarum horarum est; raro tres, quatuorve horas excedit. Diutius excurrit in quartanis, brevius in quotidianis.

34. Frigoris stadium excipit illud caloris, quasi

ακμὴ seu consistentia paroxysmi, (tempus ebullitionis Sydenhami.) — Composito nimirum tremore, ac frigore febrili paulatim decrescente, redit gradatim calor in extremis corporis partibus; pallore excusso, subintrat solitus, aut et justo intensior superficiei rubor et turgor; spiritus, antea difficilis et anhelosus, redditur liberior et tranquillior; pulsus fit major, plenus, fortis, obstaculis a corde victis, spasmo soluto, ac circulatione restituta. Remanet quidem sitis, sed magis satiabilis. Persistunt quoque dedolationes artuum a praegressa valida membrorum succussione et musculorum agitatione. Urinae fiunt magis coloratae, et sub mictu ardentes.

35. Per gradus crescentis, et cum vagis horripilationibus alternantis, caloris aequabilis demum evolvitur aestus, saepe urens, cum cute praerubra et sicca, inquietudine, ac stragulorum, antea desideratorum, intolerantia. Molestat simul kephalaea, quae adeo essentiale stadii hujus symptoma est, quemadmodum sitis in stadio frigoris, durante quo caput nonnisi grave et vertiginosum esse solet. Ex ingrato hocce capitis dolore et aestu, continue aucto, respiratio acceleratur, quin tamen difficilis fiat. — Cuncta symptomata in infantibus et juvencis, praecipue plethoricis, ad altiorem evehuntur gradum; quaedam subjecta plane delirant aut convelluntur, alia e contrario profundo obruuntur sopore.

36. Postquam calor aequabiliter dispersus intensitate quidquam decreverit, factorisque expansivi actio suppressa pristinam libertatem adquisiverit, cutis mollescere, et hinc inde madere incipit; praesertim in vultu, pectore, sub axillis, et in vola manus: signum manifestum instantis criseos.

37. Mora hujus stadii diversa, ab una ad plures horas, non semper in directa ratione cum illa frigoris, prouti et intensitas ejus in nulla ferme cum frigore febrili relatione esse consuevit.

38. Sequitur tandem ultimum paroxysmi febrilis stadium, seu criticum, (despumationis Sydenhami), quod se manifestat oborta larga evacuatione, utplurimum sudore, urinarum vel et alvi secessu copiosiori, atque reciproco febrilium symptomatum decremento. — Pacatur

paulatim aestus, sedatur kephalaea, sitis exstinguitur, praecordia, intenta prius et agitata, permulcentur, atque suppressae per expansionem nimiam vires ea ratione ad normam redeunt, qua levantes subintrant excretiones, colatoriis superficialibus suapte fere sponte apertis.

39. Creberrimam in febrium intermittentium paroxysmis crisin constituunt sudores, qui summum phaenomenorum febrilium culmen sequuntur, gradarium inducentes decrementum, profusi, calidi, vaporosi, aequabiliter per totam superficiem manantes, odoris specifici, illi quidpiam analogi, quem panis fermentum calidum spirat. — Hi sudores, nisi interrumpantur, pluribus interdum durant horis, pedetentim evanescentes.

40. Unacum sudoribus, plus minusve largis, non raro hydroa prorumpit juxta nasi labiorumque margines, congeries nimirum phlyctaenarum, limpida, aut albescente lymphula repletarum, quae, dum rumpuntur, crustas relinquunt sponte deciduas. — Tale exanthema jam ab Hippocrate notatum invenitur (1).

(1) Epidemicorum. Lib. VI. Sect. VIII. Text. 41.

41. Continuante ephidrosi critica copiosae simul mittuntur urinae, crassae, profundius tinctae, olidae, mox a mictu turbidae, jumentariae, sedimentum serius deponentes lateritium aut roseum, quod copiosius et crassius cernitur in febribus autumnalibus, quam in vernalibus. Hujus hypostaseos color plerumque vividus, quem fere diagnosticis febrium intermittentium signis adnumerare volunt, ab acido roseo pendet, quod, (ab urico diversum), Anglus Prout, nuper detexit.

42. Minus frequenter finito paroxysmo critica evacuatio per alvum fit, secessibus fluidis et olidis. Una tamen excretio pultacea plerisque aegris post paroxysmum communis esse solet.

43. Tanto solemnius et promptius invasionis febrilis judicium erit; quanto plures dictarum evacuationum concurrunt, salutifero naturae virium molimine promotae.

44. Vomitus critici, post paroxysmum suborti, rara sunt exempla, nisi excipias febres intermittentes gastricae colluviei junctas.

45. Compositis evacuationibus omni jam paroxysmo, si regularis fuerit, imponitur finis, qui tamen nonnisi pedetentim adtingi consuevit, relicta adhuc per aliquot horas capitis temulentia et quadam lassitudine. Excipit demum haec symptomata, cuivis convalescentiae propria, ac illis stadii opportunitatis fere analoga, blandus somnus, e quo aeger, continuante utplurimum adhuc transpiratione benefica, ad speciem sanus evigilat.

46. Hic est ordo stadiorum et series symptomatum in paroxysmis febrium intermittentium manifestarum et simplicium.

b) APYREXIAE RATIO.

47. Quemvis paroxysmum febris intermittentis, perfecte terminatum, excipit apyrexia, ad reditum novae febris duratura. Dum hocce apyreticum tempus, quod duobus accessibus febrilibus interponitur, speciem sanitatis praesentat, ita, ut nullum prorsus observetur phaenomenon morbosum, et tanto minus quoddam cum ipsa intermittente primitiva in aliquo existens nexu; — febris intermittens vocatur perfecta, seu discreta. Sistit haec symbolum morbi summe normalis, si simul paroxysmi manifesti supra notatum exhibent decursum.

48. Ast merito nonnisi relativa et apparens nominari poterit illa sanitas intermedia; etenim latitans in aegro diathesis serius ocyusve recentem provocat paroxysmum. Qua propter etiam apyrexia pro vario febris recursu — variam offert durationem.

49. Febres intermittentes perfectae, spectato charactere et indole morbi, etiam simplices, seu meracae dici possunt, quatenus in eis nulla patet labes alicujus in corpore systematis, eminenter ac citra normam adfecti; nisi excipiamus propriam et specificam febris intermittentis naturam nervoso-irritativam, quae a gangliaris sphaerae passione dependet, et periodice soluumodo sub paroxysmi regularis forma se manifestat.

c) TYPI RATIO.

50. Febris intermittens typica observat certam in pa-

roxysmorum reditu periodum, ita quidem; ut ipse aeger tempus redeuntis accessus interdum adcurate praedicere sciat. Quamquam invasiones non semper adeo consistentes sunt, ut certo ac determinato horae minuto revertant, nihilosecius tamen periodicis ac typicis adnumerantur, quousque vel anticipando, vel postponendo notabiliter a periodo non deflectunt. — Regulares itaque etiam dici merentur febres cum typo mobili, seu fluctuante, anticipantes et postponentes dictae, dummodo reciproca paroxysmorum inter se relatio non alteretur.

51. Tales febres regulares praeprimis distinguendae veniunt in simplices et compositas. — Priorum accessiones omnes inter se sunt similes, et harmonicae, respondentes nempe sibi invasionis tempore, stadiorum symptomatibus, vehementia, et duratione. — Posteriores, quae ex duabus, vel tribus febribus, alternatim sibi invicem quasi insertis, conflatae esse videntur, non agnoscunt quidem perfectam inter omnes accessus harmoniam; sed tamen convenientiam alternam, seu vicissitudinem harmonicam et constantem manifestant, quo ab irregularibus differunt.

52. Regulares simplices, pro circuitus ratione varioque intermissionum spatio, in quotidianas, quartanas, quintanas, e. s. p. dividi passim assolent.

53. Quotidiana simplex seu amphemerina est, quae omni die adgreditur aegrum, relicta inter duos accessus apyrexia, ita tamen; ut singuli paroxysmi quoad invasionem, intensitatem et durationem sibi respondeant.

54. Familiaris est junioribus ac succulentis subjectis, sexui praecipue sequiori, tempori vernali et humido. Stipatur apud nos plerumque paroxysmis matutinis et meridianis; juxta Galenum vero, aliosque veteres aliorum climatum observatores, vespertinis et nocturnis. — Frigus paroxysmos ordiens est breve, absque rigore, quod ideo Lommius vocavit tenue, (perfrigeratio). Calor ad sensum aegri mitis, ast longus et mordax ad tactum, cum quadam acritudine, verbis Galeni; sitis non intensa. Proclivitas in somnum, praecordiorum inflatio, facies sublivida aut pallida etiam in ipso paroxysmi vigore. Sudor nullus aut

parcus; urinae tenuiores cum hypostasi imperfecta. Duratio paroxysmi, caeteris paribus, longior. Ideo apyrexia brevissima, et raro perfecta singulas separat invasiones, cujus rationem defectui sudoris levantis jam Galenus tribuit. Inde etiam pertinacior est haec febris, et non raro insidiosa, diutius plerumque excurrit, ac lubenter in continuam fatiscit.

Münck Diss. de febre quotidiana intermittente. Argent. 1754.

55. In genuinis Hippocratis operibus nihil de ea reperitur. — Galenus, praeeunte Platone, singulis febrium speciebus certum humorem tribuens, quotidianis pituitam et gluten adsignat (1). Atque reapse familiarior est pueris et subjectis mucosis; in febrem continuam pituitosae indolis facile transit, paroxysmis anticipantibus simulque prolongatis; aut viceversa ex continua pituitosa nascitur. Ex quo, Galeni sententiam omni veritate destitutam non esse, patet.

(1) Galeni Method. Med. ad Glauconem. - De Crisibus. Lib. II. Cap. 5.

56. Tertiana simplex, tritaea, tritaeophya omni alterna, seu tertia die revertitur, intercedente inter duos insultus febriles nycthemero apyretico.

57. Saepius infestat adultos et viros, quam pueros et feminas; quovis anni tempore occurrit, sed frequentissime aestivo inter bina aequinoctia. Claudit itaque vernalium agmen; autumnales ducit. In praxi longe crebrior est, ac sanatu facilior. Subinde post quintum, septimum aut nonum paroxysmum sponte cessat. Invadit plerumque paroxysmis meridianis, inter decimam matutinam et quartam pomeridianam. Frigus mox leve, mox intensum, per horam circiter quatit, cum siti magna. Calor demum sequitur aequabilis, siccus, ardens, a manu tangentis autem superandus, siti superstite. Accessum absolvit sudor solemnis, vaporosus; interdum vomitus, aut alvi secessus biliosus. Universim unum stadium prae altero vix praevalet. Totus paroxysmus duodecim absolvi solet horis, quibus elapsis perfecta succedit apyrexia.

Grieve Diss. de febribus tertianis intermitt. Edinb. 1770.

Neuschaeffer Diss. de synocho paroxysante, vulgo tertiana vernali. Giess. 1786.

Wynacker Diss. de febre intermitt. tertiana. Loew. 1790.
Fordyce Second dissertation on fever, containing the history and method of treatment of a regular tertian intermittent. Lond. 1795.

58. Hippocrates pluribus in locis tertianae meminit febris (1). — Galenus huic febri tribuit bilem; et reapse illo anni tempore quam maxime grassatur, cui biliosi morbi vulgares sunt, ipsam febrem non raro inquinantes; emeticis libenter sanatur; ac excretionibus biliosis crebro comitata, iisdem interdum lenitur. — Idem Medicus Pergamenus subtilem adhuc febrium tertianarum divisionem in exquisitas, simpliciter tales, et productas facit, durationi paroxysmorum innixam (2).

(1) Aphor. III. 21. — Aphor. IV. 59. — Coac. 148 et 123. De Morb. II. XXXVIII.

(2) Comment. 3. in Lib. I. Epidemicorum.

59. Quartana simplex, tetartaea, tetartophya vocatur, quae post duos dies apyreticos quarto recurrit.

60. Communis esse consuevit subjectis adultis, senibus, et cachecticis, atque constantem autumni progeniem sistit. Ipsae quartanae per hyemem protractae, ac vernis non raro comparentes diebus, nil aliud sunt, quam autumnalium recidivae. — Febris quartana reliquis intermittentibus pertinacior est, sanatu difficilior, in recidivas summe prona, organicae compagi certorum organorum ventris eminenter infensa, vexa medicorum ab omni aevo dicta. — Naturae viribus solis non eradicatur; sed vel apta remedia, vel saltem faventes exigit circumstantias. — Quibusdam regionibus endemicam pestem parit. — Invadit plerumque paroxysmis pomeridianis aut vespertinis, per noctem morantibus. Frigus ordiens est validum, per plures protractum horas, cum horrore totum corpus conquassante, aut rigore algido, anxietate peripneumonica insigni, sitique tantalea sociatum. Sequitur calor intensus, quem sudor excipit minus largus, quam in reliquis febribus. — Praevalet itaque stadium primum prae reliquis intensitate et duratione. Totus paroxysmus per nycthemeri spatium durat, remanente adhuc, etsi jam finitus fuerit, per aliquod tempus languore, a violentis corporis succussionibus relicto.

61. Apud Hippocratem frequens fit quartanarum mentio, quas Galenus ab atra derivat bile. — Etiamsi hodierno aevo longe alius habeatur de humore atrabiliari conceptus; nihilominus tamen Galeni opinio, ad normam modernae pathologiae modificata, eo corroboratur, quod quartanae hepati et lieni maxime sunt infensae, eorumdem parectamata et infarctus contumaces inducunt, viros cachecticos et haemorrhoidarios libenter adgrediuntur, atque habitum externum insigniter depravant.

Fellinger Diss. de febre quartana. Groning. 1784.
Kreysig Observationes quaedam de febribus intermitt. quartanis. Viteb. 1797.

62. Quintana febris, pemptaea, pemptophya ea dicitur, quae post tres apyreticos dies redit. — Etiamsi quaedam, febris hujus rarioris, a variis auctoribus fide dignis visa fuerint exempla, mox manifesta (1), mox obscura et ambigua (2); dubitare tamen licet de existentia febris quintanae legitimae. Videntur potius esse aut quartanae cum paroxysmis notabiliter retardantibus (3), qualis fuit casus Svietenii; aut (quod probabilius) tertianae simplices, quarum alterni paroxysmi vel minus clari subintrant, ab aegris praetervisi, vel vero fortuito casu in evolutione praepediuntur.

(1) Hippocrat. Epidem. Lib. I Sect. II. — Tulpius Observat. med. Lib. III. Cap. 52. p. 269. — Svietenii Comment. ad §. 746. — Stolii Aphor. 397.
(2) Galeni Comment. 3. in Libr. I. Epidem.
(3) J. B. Sylvatici Prof. Ticinensis Controv. medicae. Francof. 1601.

63. Multo magis in dubium vocandae sunt febres omni sexto (1), septimo (2), octavo (3), nono (4) recurrentes die, sextanae, septanae, octanae, nonanae, a quibusdam notatae medicis. Inter has typi varietates, septenarius vix non verisimillimus est, a Boerhaavio et Morgagno observatus, pluribus etiam nevrosibus familiaris. — Omnes vero probabilitatis limites excedunt illae febres, quae longiora adhuc intervalla relinquunt, uti sunt menstruae, et annuae.

(1) Zeviani Nuovo fonte di Pronost. P. I. — Schenkii Observ. med. rar. Lib. VI.

(2) Hippocrat. Epidem. Lib. I. Sect. 3. — Svietenii Comment. ad §. 746. — Morgagni de sed. et caus. morbor. Epist. 49. N. 36.

(3) Sim. Schultzii Ephem. Nat. Curios. Dec. I. An. 4 et 5. Tissot Anleitung für den gemeinen Mann. C. 18. §. 251.

(4) Hippocrat. Loc. cit. — Zacut. Lusit. Prax. med. Lib. III. Obs. 34.

Hactenus de febribus regularibus simplicibus.

64. Febres regulares compositae referuntur ad eundem, qui simplicibus proprius est, typum, ea tamen cum differentia, quod singulis invasionibus aliae insertae sunt, reciprocam alternamque harmoniam et periodum conservantes. — Tales sunt febres intermittentes duplicatae et triplicatae. Inter communiores spectant quotidiana duplicata, tertiana duplicata, quartana duplicata et triplicata.

Vrancx Diss. de febribus intermitt. compositis. Loew. 1793.

65. Febris quotidiana duplicata a Foresto (1), Stoerckio (2), Gutfeldio (3), nobisque ipsis observata (4), binis in die stipatur paroxysmis, uno matutino, altero vespertino, qui, etiamsi brevissimi fuerint, spatium pro perfecta intermissione non relinquunt; unde tales febres continuis remittentibus perquam similes sunt. Singulae accessiones mox sibi respondent quoad symptomata et durationem, mox autem differunt, frigore plurimum intenso et livore totius superficiei orsae. Libenter tabem comitatur haec febris, aut diutius persistendo eam inducit cum virium prostratione maxima, inque febrim hectico-nervosam lentam transit. Typus geminatus autem nonnisi morbo provectiori et jam in malam sortem flexo suboritur, ideoque potius debilitatis et liquationis universalis effectus esse videtur, ita ut paroxysmum matutinum ad superstitem febrem quotidianam, pomeridianum vero ad subortam hecticam referre possis.

(1) Observ. med. Lib. V. N. 8.

(2) Annns med. Lib. II. p. 164.

(3) Hufeland's Journal. B. 24. S. 51.

(4) Franc. ab Hildenbrand Annales scholae clinicae Ticinensis. Pars. II. Ticini 1830 pag. 272.

66. Tertiana duplicata quotidianae simplicis speciem refert, accessus enim omni die invadunt aegrum; alterni tamen, et tempore invasionis et symptomatibus, correspondent. — Est plerumque vernalis, quotidiana febre multo crebrior, sanatu facilior, circa septimum sponte haud raro soluta paroxysmum; saepe subcontinua, nunc inflammatorio, nunc gastrico characteri stipata. — Abit vel in tertianam simplicem, evanescentibus pedetentim paroxysmis alternis lenioribus, vel in continuam. — Jam ab Asclepiade Bithyno Romae visa, atque ab aliis ejusdem urbis medicis diligenter descripta fuit.

Kaltschmid Diss. de febribus intermit. et speciatim de tertiana duplici. Jen. 1756.

67. Tertianae duplicatae proxime accedit hemitritaeus, seu semitertiana, circa cujus typum dissentiunt medici. — Hippocratis sententia, cui etiam nuperrimus observator Mindererus adhaeret, hemitritaeus est febris subcontinua, accessionibus dissimilibus, nocturna leviori, longiori diurna. — Archigenes compositam e quotidiana remittente et tertiana febrem habuit. — Celsus uti tertianam simplicem describit, quae tertio quidem die revertitur, ex octo autem et quadraginta horis fere sex et triginta per accessionem occupat, neque ex toto in remissione desistit. — Galenus vero hemitritaeum tamquam febrem tertianam duplicatam clare describit, ita, ut paribus diebus horrida fuerit accessio, imparibus vero mane altera quaedam, ea, quae praecesserat, longe minor, ut altera die febris accessio super accessionem advenire videretur (1). — Ex hacce Galeni descriptione non solum typus tertianus duplicatus, ipso nomine hemitritaei vindicatus, sed etiam perfectae apyrexiae absentia facile desumi potest. Quapropter in ea sumus opinione, quod hemitritaeus ob insolitam accessionum longinquitatem locum suum potius inter febres intermittentes subcontinuas, sive subintrantes, vel vero inter remittentes, ad normam tertianae duplicis exacerbatas, defendat.

(1) C. Sprengel Institut. pathol. spec. Vol. 1. §. 23.
Goldhagen Diss. de febris hemitritaeae antiquitatibus. Hal. 1782.

68. Quartana duplicata per duos invadit dies consecutivos, subsequa tertio apyrexia, ita; ut primus paroxysmus quarto, secundus quinto correspondeat, cadente in tertium et sextum apyrexia.

69. Quartana triplicata omni die paroxysmum habet, quorum quivis, in relatione ad alterum ejusdem tenoris accessum, quartanum observat typum, correspondentibus itaque inter se paroxysmis diei primae et quartae, secundae et quintae, tertiae et sextae, vel quoad tempus invasionis, vel quoad intensionem, symptomatumque rationem.

70. Ambae species febris quartanae compositae in praxi non solent esse infrequentes. Occurrunt praesertim sub epidemia autumnali, in subjectis diuturna diathesi febrili detentis, cachecticis, sub prava medendi methodo, et occasione recidivae. Dilabuntur in quartanas simplices, atque hoc exitu a quotidianis differunt in decursu, etiamsi in exordio illis simillimae fuerint. — Duplicatae pertinaciores esse solent triplicatis.

71. Caeterae febrium compositarum distinctiones, quae tot earumdem varietates, aut anomalias sistunt a quibusdam medicis descriptas, quales sunt febres tertianae duplicatae, aut duplices, quae omni altera die binis invadunt vicibus, intercedente nychthemero perfecte apyretico; febres tertianae triplices a Galeno et Schenckio notatae; quartanae duplices et triplices omni quarta die duobus aut tribus invadentes paroxysmis; — similes inquam distinctiones ad subtilitates et nugas pathologicas spectant potius, quam ut practicum habeant valorem. In praxi rarissime occurrunt, a nonnullis plane in dubium vocantur, atque, etiamsi obvenirent, medendi rationem non mutarent. Neque grammatices legibus vindicatur discrimen mere arbitrarium inter febres compositas duplices et duplicatas.

72. Clariorem de vario typo ideam dabit adnexum schema, quod plerasque febrium regularium tam simplicium, quam compositarum species, communiores et rariores complectitur.

SCHEMA.

FEBRIUM INTERMITTENTIUM TYPICARUM.

QUOTIDIANA SIMPLEX.	TERTIANA SIMPLEX.	QUARTANA SIMPLEX.	QUINTANA SIMPLEX.
1 —	1 —	1 —	1 —
2 —	2 0	2 0	2 0
3 —	3 —	3 0	3 0
4 —	4 0	4 —	4 0
5 —	5 —	5 0	5 —
		6 0	6 0
		7 —	7 0
			8 0

QUOTIDIANA DUPLICATA.	TERTIANA DUPLICATA.	TERTIANA DUPLEX.	TERTIANA TRIPLEX GALENI.
1 — m. v.	1 — — m.	1 — m. v.	1 — m. v.
2 — m. v.	2 — — v.	2 0	2 —
3 — m. v.	3 — — m.	3 — m. v.	3 — m. v.
4 — m. v.	4 — — v.	4 0	4 —
5 — m. v.	5 — — m.	5 — m. v.	5 — m. v.

QUARTANA DUPLICATA.			QUARTANA DUPLEX.	QUARTANA TRIPLICATA.	
1 —	—	— m.	1 —	1 —	— m.
2 —	0	— v.	2 0	2 —	---- M.
3 0	—	0	3 0	3 —	— v.
4 —	—	— m.	4 —	4 —	— m.
5 —	0	— v.	5 0	5 —	---- M.
6 0	—	0	6 0	6 —	— v.
7 —	—	— m.	7 —	7 —	— m.

NB. Numerus progressivus dierum seriem; lineola paroxysmum, pro longitudinis varietate, varie intensum; zerus apyrexiam; littera m. invasiones matutinas, M. meridianas, v. vespertinas indicat.

2. HYPOTYPOSIS.

FEBRIUM INTERMITTENTIUM ANOMALARUM IMPERFECTARUM ET IRREGULARIUM.

73. Febris intermittens, abnormis, innumeris plane vicissitudinibus obnoxia, a consueto tramite deflectit vel in paroxysmis eorumque symptomatibus (anomala), vel in apyrexia (imperfecta), vel in typo (irregularis).

a) PAROXYSMORUM RATIO.

74. Omnis febris intermittens, cujus paroxysmi aut non complete sunt evoluti quoad symptomata essentialia, vel uno alterove stadio defecti, aut perverse decurrunt, aut penitus insolitis phaenomenis sociantur, anomala audit; complectiturque inordinatas, latentes, larvatas et comitatas.

Camerarius Diss. de febre intermittente anomala. Tubing. 1792.

a. FEBRES INORDINATAE.

75. Febres inordinatae, seu nondum ordinatae, sunt illae, quarum paroxysmi uno alterove destituuntur stadio, imperfecte evolutam symptomatum durationem et intensitatem (quoad tempus), aut plane singularum nonnisi corporis partium passionem (quoad spatium) offerunt; vel vero stadiorum perversa serie notantur, aut unius alteriusque stadii phaenomenis promiscue incedunt.

Colla Osservazione d'una febbre intermittente accompagnata d'un' ordine insolito di sintomi. (In Giornale della Soc. med. chir. di Parma. Vol. III. p. 3)

76. Vix non omnes febres intermittentes praecipue vernales, in exordio mox uno, mox altero stadio carent, vel saltem eorum insolitam brevitatem, symptomatumque levitatem ostendunt, donec pedetentim paroxysmorum decursus in manifestiorem redigatur ordinem. Frigus inde plerumque mite, transitorium, aut nullum, atque stadium primum solis pandiculationibus, artuumque tensione ac dedolatione absolvitur; calor urens, parco tamen et vix levante sudore solvendus.

77. Alias e contrario febres per totum decursum ta-

les cernimus, et propter eandem rationem non raro funestas et diuturnas. — Incompletae omni jure nominari possunt.

78. Earundem tribui adnumerandae quoque sunt febres topicae a Senacio, Sauvagesio, Henr. Collinio, aliisque medicis notatae, quae singulae solum partis cujusdam, modo brachii, modo cruris, modo dimidii corporis frigore, concussione et rigiditate stipantur (1).

(1) Svietenii Comment. ad §. 757. — Burserii Instit. med. pract. Tom. I. p. 46. — Trnka de Krzowitz Oper. cit.

79. Rariores sunt illae febres inordinatae, quarum paroxysmi inversum ordinem in stadiorum serie observant, ita; ut calor frigus antecedat, aut hoc illico largus sequatur sudor. — Febres intermittentes perversae. — Quoad indolem semper sunt pertinaces et insidiosae, benignis crisibus nunquam solvendae.

80. Frequentius apud Antiquos, ceu febres proprii generis, notatas invenimus epialas seu querqueras, in quibus nimirum et horror, et calor eodem percipiuntur tempore, unacum viscerum ardore. Fors aptius confusae dicendae. — Sub transitu frigoris in calorem, qui nunquam repentine fit, vix non quaevis febris intermittens talis esse solet.

A. Brendel Diss. de febre querquera ex antiquitate eruta. Vitemb. 1715.

81. Causae febrium intermittentium inordinatarum, seu imperfectae, perversae, et confusae paroxysmorum evolutionis, consistunt utplurimum in prava subjecti dispositione, in epidemicae aut endemicae constitutionis genio, in therapia prava et circumstantiis adversis, quibus naturae vires sub lucta febrili perturbantur.

β. FEBRES LATENTES.

82. Febres intermittentes occultae seu latentes dicuntur, quae, pathognomonicis destitutae, symptomatibus clandestine latitant vix cognoscendae, aut conjecturales solum, dolosasque struunt insidias.

83. Tales non raro sunt febres nondum ordinatae et incompletae in primo exordio, aut illae, quae ad sensum

suppressae, recentem minantur eruptionem, aut quae aliis morbis, praesertim febribus continuis acutis, complicatae, horum impetu et intensione quasi obscurantur. Experientia duntaxat compertum habemus, febres intermittentes gravibus morbis, inauspicato subortis, quandoque ferme ex templo supprimi, istis autem feliciter devictis, iterum repullulare.

γ. FEBRES LARVATAE.

84. Larvatarum nomine eae veniunt intermittentes, quarum paroxysmi, vario typo recurrentes, communiter tamen tertiano, sub persona seu schemate insoliti cujusdam symptomatis absconditi decurrunt, essentialibus prorsus defecti signis. Difficilis inde, aut et impossibilis redditur harum febrium diagnosis, si phaenomena febrilia prorsus deficiunt, quamdiu typicus et vere intermittens earum ex decursu non patet character. Si tamen aliquis paroxysmus febrilis praecessit; si maleficum viget constitutionis epidemiae ingenium, intervallatis febribus auscultans, eisque varias impertiens anomalias; si quaedam patet pulsuum et caloris incitatio, insolitumque symptoma sub sudore levante et urinis lateritiis dissipatur, — medicum quodammodo de abdito inimico praemonere possunt.

Kemme Diss. de febribus nervosis et intermittentibus larvatis. Hal. 1786.

Comparetti Riscontri medici delle febbri larvate periodiche perniciose. 2. T. Padova 1795.

Medicus Geschichte der periodischen Krankheiten. Frankf. u. Leipz. 1795.

Delabigne Diss. sur les fièvres intermittentes larvées. Paris 1806.

Craanen Diss. de genuino febrium intermittentium larvatarum charactere, illarumque peculiari indole. Lugd. Bat. 1806.

85. Causae hanc anomaliam inducentes plerumque in malefico epidemiae genio sunt quaerendae, oculatissimorum medicorum adtentionem hucdum effugiente; rarius in praevia subjecti dispositione prava, aut in adversarum circumstantiarum concursu.

86. Etiamsi vix ullus morbus, vix ullum symptoma sit, quod non aliquando intermittens ludat, sequentes ta-

men praxis offert larvatarum febrium species potiores, nomina a formae varietate sortientes:

- Febres larvatae
  - sub schemate
    - Phlogoseos
      - phrenitica
      - peripneumonica
      - pleuritica
      - splenitica
    - Nevroseos
      - comatosa
      - amaurotica
      - cataleptica
      - syncopalis
      - hypnobatica
      - convulsiva
      - cardialgica
      - colica
      - arthralgica
    - Eccriseos
      - emetica
      - cholerica
      - dysenterica
      - haemorrhagica.

FEBRES LARVATAE SUB SCHEMATE PHLOGOSEOS.

87. Nomen phlogoseos hic nonnisi in sensu lato accipiendum; vera enim inflammatio intra breve illud temporis spatium, quod paroxysmus febrilis percurrit, neque efformari, neque cyclum praefixum absolvere posset. Si vero, dissipato etiam febrili assultu, persisteret, febris intermittentis idea sponte corrueret. Schemata febrium larvatarum itaque nil aliud esse possunt, quam simplices congestiones, sive irritationes diversorum organorum, status subinflammatorii, sive inflammationibus adfines, qui, nulli typo adstricti, paroxysmo decrescente fatiscunt, eoque revertente novitus succenduntur.

88. Licet a priori facile quis supicari posset, febres larvatas hujus formae maxime sub auspiciis constitutionis epidemicae hyemalis aut vernae oriri debere; experientia tamen, hasce febres, aeque ac reliquas e tribu perniciosarum, plerumque tempore aestivo et autumnali occurrere, testatur. — Erronea quoque foret conclusio: in cunctis ca-

sibus aegrorum, febre perniciosa peremtorum, quorum cadavera rimata meningum, aliorumque organorum turgores sanguineos offerunt, phlogosin revera adfuisse; vasorum enim oppletio e statu debilitatis et liquationis non minus ac ex incitatione aucta ortum ducere poterit.

89. Febris phrenitica consistit in delirio feroci cum capitis dolore immani, oculis illacrymantibus et cruentis, pulsibus duris, magnis, et turgore venarum jugularium, certa periode redeunte. — Quibusdam Siriasis aegyptiaca audit. — Interdum erysipelas totius capitis sequitur cum cardialgia, vomitu bilioso et convulsionibus. — Defuncti meningum gangraenosas plagas, et vasa cerebri atro sanguine plena offerunt.

90. Febris peripneumonica singulis sub paroxysmis oppresione pectoris cum dyspnoea, anxietate, tussi, stertore, nec non characteris inflammatorii in toto sytsemate sanguineo signa patefacit. — Nonnunquam sola tussis convulsiva cum stridulo anhelitu totam accessionem format, ut continuus suffocationis metus cum summa virium dejectione et angore perpetuo aegrum enecare videatur.

91. Mox dicta phaenomena in connubio cum acri dolore punctorio ad unum alterumve pectoris latus, pulsibusque duris, pleuriticam constituunt febrem, seu pleuritidem periodicam.

Schwalbe Diss. de febre periodica peripneumonica et pleuritica. Berol. 1830.

92. Febris splenitica, valido ad hypochondrium sinistrum dolore juncta, per vices redit; autumni diebus non infrequens.

FEBRES LARVATAE SUB SCHEMATE NEVROSEOS.

93. Quotiescunque genius epidemicus eum malitiae gradum nanciscitur, qui febres intermittentes larvatas, comitatas, aliove intuitu perniciosas reddere valet, symptomata eminentia et schemata paroxysmorum nunquam unius ejusdemque naturae esse solent, sed promiscue occurrunt, cujus diversitatis ratio imprimis in subjectiva aegrotantium dispositione latere videtur. Verumtamen observationibus adamussim respondet: excessivo aestatis fervo-

re, aëris malakia, et mephiticis effluviis, praesertim paludum, quorum influxus ipsis febribus continuis lubenter characterem nevrasthenicum imprimit, etiam sub decursu febrium intermittentium symptomata nervosa et speciatim kephalica crebro extricari.

94. Febres comatosae durante paroxysmo soporis vario gradu et forma stipantur; unde mox lethargicae, mox caroticae, aut apoplecticae nuncupantur. Praecedentibus capitis gravativo dolore, vertigine, oculorum caligatione, non raro stranguria, et urinis versicolore cuticula tectis, attonitus procumbit aeger, ore semiaperto, palpebris conniventibus, lingua aspera et livida, ac somno opprimitur stertente, e quo nunc sponte saepe evigilat denuo obdormiens, nunc autem nullo excitari potest modo, nisi paroxysmus finitus fuerit, ad 24 plerumque extensus horas, ac tertiano typo libenter recurrens. — Febres soporosae mox sporadicae sunt, mox epidemicae, aestivae vel autumnales, et post aliquot recursus exitium facile parant.

95. Primus eas observavit Herophili Magister Praxagoras (1); serius a variis medicis, praecipue a Werlhofio (2) visae et descriptae, ac propter exitialem naturam mortuariae dictae fuerunt (Todtenfieber).

(1) Cael. Aureliani Acutor. Lib. II. Cap. 10. p. 97.

(2) Werlhof Observ. de febrib. Sect. I.

Büchner Diss. de febre tertiana epid. soporosa apoplexiam mentiente. Hal. 1763.

Keck de febribus soporosis. Argent. 1782.

96. Priori speciei parum dissimilis est febris amaurotica, quae praeter periodicam caecitatem aliis quoque cum symptomatibus nervosis: delirio, comate, anxietate sociari solet, declinante accessu solvendis.

97. Rarissima est febris cataleptica, sub catalepseos seu catochi schemate decurrens, ab Archigene (1), et Dodonaeo (2) observata, cujus notio ex nevroseos specificae consideratione desumitur.

(1) Aëtii Tetrabibl. III. Serm. I. c. 37.

(2) Medicin. observat. exempl. Cap. 27. p. 67.

98. Febres syncopales, seu syncopticae ita contingunt, ut sapore metallico, viscerum doloribus,

vertigine, amblyopia, aurium susurru corripiatur aeger; pallet demum ae friget oculis in orbitam relapsis, quovis autem sub motu et conatu ad erigendum se anima deficitur et pulsibus, sudore difluens frigido et viscido, moribundo similis. — Post moram breviorem aut longiorem ad se redit infirmus, viribus tamen defessus, vix loqui prae debilitate valens, cum pulsibus contractis et exilibus. — Tertio quovis die recurrit syncope, ac sub quarta vel quinta invasione, interdum citius, aegrum e medio tollit. — Ab Arabibus Rhazes et Avicenna jam descripta invenitur.

Eyselius de febre syncopali. Erf. 1716.

99. Febris hypnobatica, sub schemate utpote somnambulismi et divinationis periodice recurrentis, a Cl. Sachse et Clarus visa, inter summe raras omnino spectat larvatarum species, atque variis simul convulsionum formis jungitur.

J. A. Clarus Annalen des klinischen Instit. Leipz. 1810. 1. Bd. 1. Abth. S. 89.

100. Febris spastica seu convulsiva dicitur, quae deleta facultate sensifera, et intenta vi motrice sub diversis spasmorum speciebus: epilepsia, tetano, hydrophobia, etc. periodice invadit, aegrum facile post paucos praecipitans insultus.

Tinctorius Diss. de tertiana intermitt. cum insultibus epilepticis periodicis. Regiom. 1648.

101. Febris intermittens cardialgica acerrimo sub periodicis accessibus stipatur oris ventriculi morsu, cum pauca plerumque et inani vomituritione, animi deliquiis, aliisque nervorum passionibus, pulsu exili, suspiriis luctuosis.

Torti Therapeutice specialis. Mutin. 1712. p. 277.

102. Febris colica priori analoga, ac in praxi haud infrequens, atrocibus jungitur abdominis doloribus, inflammationem acutissimam aemulantibus, cum angore, frigore artuum, ventris constipati inflatione, scroti spastica retractione, pulsibus velocissimis et parvis, debilitate maxima. — Per circuitus tertianos ut plurimum rediturae accessiones brevi perniciem minitantur.

Classen Diss. de febre larvata colicam mentiente. Erf. 1781.

103. Febris arthralgica atrocibus incedit omnium articulorum doloribus, atque ob nisum in metachoreticas viscerum inflammationes lethum facile improvisum parit.

Van Hoven über Wechselfieber. 1. Th. S. 34.

FEBRES LARVATAE SUB SCHEMATE ECCRISEOS.

104. Constitutio epidemica aestiva, quae febribus gastricis, variisque profluviis ventris per excellentiam patrocinatur, etiam sub decursu febrium intermittentium analogas concitat passiones, modo durante paroxysmo solum conspicuas, modo, quod multo crebrius, in apyrexiam usque protractas. Idcirco febres intermittentes larvatae et comitatae, quae sub eccriseos forma incedunt, plerumque subcontinuum tenent decursum, comitisque complicationis gastricae, pituitosae, biliosae aut biliformis indicia offerunt.

105. Febris emetica, cui circa paroxysmorum initium effraenis vomitus biliosus, aut unacum illo similes secessus alvini adsociantur, periodice redeuntes (Febris cholerica), aestiva sub epidemia non est rara, et ob repentinum virium lapsum facile internecina. — Ab Archigene, Panarolo, Riverio et Rhodio jam observata.

106. Febris dysenterica, Antiquis haud ignota (1), periodico distinguitur alvifluxu cum torminibus et tenesmo. — Varietatem ejus sistit febris intermittens, quae hepatici fluxus, loturae carnium similis, sub forma adparet, Tortio subcruenta vel atrabilaris dicta (2).

(1) Diomedis Cornari Cons. 2. p. 42. Lips. 1599.

(2) Therap. spec. L. III. p. 276.

107. Febres tandem haemorrhagicae sub schemate variae haemorrhoeae, haemoptoës, haematemeseos, haematuriae etc. latentes, periodicis nonnisi invasionibus dolosam suam indolem manifestant.

Clarus Annalen. 2. Abth.

3. FEBRES COMITATAE.

108. Comitatae febres seu stipatae, a Tortio ita dictae, et egregio calamo descriptae, eae vocantur, quae essentialibus quidem non destituuntur paroxysmorum febri-

lium symptomatibus, illis tamen aut citra normam exaltatis, aut simul insolitis stipantur, intercedente inter duas invasiones plus minusve manifesta apyrexia. — Faciliorem esse harum febrium diagnosin sponte liquet. — Periculo tamen non minori ac larvatae terrent; unde omni jure perniciosarum choro adnumerantur.

109. Praeter supra adlatas febrium larvatarum formas, quae, dum in connubio cum consuetis paroxysmi phaenomenis decurrunt, ac stadiorum seriem recte transeunt, comitatas febres constituunt, pertinent ad hancce familiam adhuc eae, in quibus constantes et constitutivi paroxysmorum comites, frigus utpote, kephalalgia, calor, et sudor ad altiorem elevantur potentiam. Sunt itaque febris algida, kephalalgica, lipyria et sudatoria.

110. Febris algidae paroxysmi incipiunt a frigore quodam mortifero, quod non (ut assolet) paulatim evanescit, calori locum cedens, sed protrahitur, et protrahitur, maximamque partem invasionis occupat, ita; ut nec pulsus resurgat, nec calor ad tactum conspicuus erumpat; quamobrem post horas et horas aegrotantem adhuc in principio accessionis diceres. Siticulosus simul est, gemebundus, anxius, cadaverosus. Incalescit tandem tantillum, levi vapore madens: atque solutus tali modo accessus in speciem intermissionis imperfectae transit, quam secunda, varia periodo rediens, ac plerumque lethalis excipit invasio. — Haec sunt inimitabilis Tortii verba.

111. Priori frequentior est febris kephalalgica (Germ. Kopffieber), quam videlicet, praegresso frigore modico, aestus maximus excipit cum saevo capitis dolore, ultra paroxysmi durationem protracto. Haec anomalia utplurimum pendet a prava subjecti dispositione, ab ejus in kephalaeas pronitate, spirituosorum abusu, excessivo aestatis fervore, insolatione, etc. atque non raro in febrem phreniticam vel comatosam malo omine degenerat. Decursum amat subcontinuum, et saepissime gastrismo juncta incedit.

112. Febris lipyria anomalum supponit alterum paroxysmi stadium, calorem utpote intensissimum, seu ardorem potius in corporis penetralibus furentem, quin tamen artuum frigus mitescere videatur.

113. Febris sudatoria, elodes et hydropyretos Veterum, diaphoretica Tortii, solito invadit more: frigore utpote ac horrore, cui calor succedit brevis, et praecox sudor, qui tamen febrem non solum non levat, sed auget potius. Aeger perpetuo sudat frigido rore perfusus, et quasi dissolutus, liquescentibus simul ad maximam debilitatem viribus, morientisque fere imaginem praebet, donec pedetentim apyrexiae plerumque imperfectae limites ingrediatur. Maximo etiam haec febris jungitur periculo, aestivis mensibus praesertim familiaris, ac non raro post paucos insultus aegrotantem enecare solet.

114. Cunctae febres comitatae mox quotidianam, mox tertianam servant periodum. Intermissiones tamen solemnes nonnisi raro recreant aegros, superstite ut plurimum, paroxysmo etiam soluto, capitis temulentia, oris siccitate, virium dejectione, adspectu lugubri et languido. — Febres comitatae igitur ad aliam quoque inclinant anomaliam, subintrantium nempe; unde duplici intuitu ferales fiunt. — Causas easdem cum larvatis agnoscunt, vix non semper occultas; sub nostro caelo rarae sunt, et vix, nisi sparsim, homines affligunt; in regionibus paludosis vero terrisque calidioribus populariter grassantur, maxime aestate in autumnum vergente. — Interdum e febribus manifestis evolvuntur, aut vero faustiori omine in eas transeunt.

115. Inter rariores, quibusdam medicis observatas, febrium comitatarum species pertinent adhuc eae, quae cum hydrophobia, aphonia, asthmate, nephralgia, ictero periodico, etc. sociantur (1). — Pendent similes anomaliae et complicationes a variis circumstantiis, nunc in organismo aegrotante, nunc in mundo externo quaerendis, crebro ignotis. — Singularis fuit casus a nobis visus febris tertianae, sub quovis accessu hydropica scroti intumescentia constanter comitatae, ac cortice facile sanatae.

(1) Dictionnaire des sciences medicales. Artic. Fièvres.

b) APYREXIAE RATIO.

116. Febris intermittens, sive quoad paroxysmos sit manifesta, sive vario intuitu anomala, dummodo claras in-

ter duos paroxysmos relinquat apyrexias, exquisita, seu perfecta dicitur (§. 47). — Ubi vero intercalare tempus, duobus interpositum accessibus, veram intermissionem non praesentat, sed variis symptomatibus inquinatum adparet, febris intermittens nonnisi imperfecta dici meretur.

117. Haec febrium intermittentium, apyrexiae respectu, anomalia, quae mox illico in morbi exordio, mox sub ejus decursu evolvitur, dependet: 1) vel a porrectione paroxysmorum incomplete solutorum tali, ut primo nondum finito jam alter succedat; febres subintrantes Tortii, ab Arabis jam pulchre descriptae (1); 2) vel vero a complicatione febris intermittentis cum alio morbo, sive insolita cujusdam systematis organici passione; febres intermittentes complicatae. Utroque in casu subcontinuae dici possunt, ut distinguantur a febribus comitatis, quae quidem etiam complicatae sunt insolitis phaenomenis, ast nonnisi sub poroxysmo vigentibus, ac ultra non extensis.

(1) Sprengel Geschichte der Medicin. 2. B. S. 382.

118. Quamquam omnis febris critica, proinde intermittens κατ' ἐξοχήν, morbum omnium virium et facultatum, ipsiusque materiae organicae sistit (Pyret. gen. §. 163); nihilosecius pro varia causarum indole, et circumstantiarum concursu, nunc unum, nunc alterum organici microcosmi systema eminenter patitur: sanguineum, nervosum aut reproductivum.

119. Hacce praevalente unius alteriusve systematis laesione, varii ac essentiales constituuntur febrium characteres, tot earumdem genera ponentes, intermittentibus aequae ac continuis proprii, suo loco prolixius enucleandi. — Sequenti schemate facile concipiuntur.

Febres { cum praevalente adfectione.
- systematis sanguinei { inflammatoriae, putridae.
- systematis nervosi { nervosae.
- systematis reproductivi { gastricae, hecticae.

120. Quinque igitur erunt essentiales characteres, totidemque genera febrium intermittentium complicatarum, distincta juxta praevalentem variarum organismi sphaerarum laesionem, quam manifestant citra propriam suam indolem, pendentem a gangliaris systematis primitiva adfectione, in Nosogeniae capite enodanda.

121. Complicationum fons et causa quaerenda est: 1) In subjecti varia dispositione, congenita aut adquisita. — 2) In epidemica constitutione. — 3) In causis lateralibus, sub febris intermittentis evolutione, vel decursu organismum infestantibus. — 4) In regimine, et medendi methodo pravis, vel prorsus neglectis.

122. Excluduntur hic loci infinitae febrium intermittentium aliis cum morbis uniones: cum syphilide, phthisi, cancro, rheumate, chlorosi, hysterismo, etc.; hae enim, sive jam ante febris ortum existant, sive serius superveniant, ex causis longe diversis proficiscuntur, nullum cum febre nexum, nullamque relationem habent; morbos sui generis constituunt, ac febre etiam suffocata continuare non desinunt, nisi haec salubribus suis motibus medicinae vices egerit.

α. FEBRES INTERMITTENTES SUBCONTINUAE CHARACTERIS INFLAMMATORII.

123. Hae febres typo quotidiano, tertiano duplicato, aut quartano triplicato plurimum adstrictae, distinguuntur manifestis reactionis in toto systemate arterioso, vel in quadam parte justo magis incitatae, haematopoëseos vividioris ac praevalentis plasticitatis signis, quae paroxysmi tempore evidentiora, criticis evacuationibus prorsus non solvuntur, sed continuant donec paroxysmi reditu denuo exacerbentur.

124. Horror, qui ingredientes orditur paroxysmos, plurimum brevis est atque modestus; aestus vero statim irruit longus et intensus, comite siti flagrante; kephalaea; vertigine; dyspnoea; anxietate; oppressione pectoris; tussi; turgore faciei; pulsu pleno, forti, aut et suppresso. Sudor tandem vaporosus paroxysmum imperfecte solvit; remanet enim certus caloris gradus, cum pulsibus frequen-

tioribus, superstite et ipsa, quae sub paroxysmo evolvebatur, vel saltem augebatur pectoris, capitis aut viscerum abdominalium topica adfectione.—Specialis autem phlogoseos comitis indoles mox phlegmonosa, mox catarrhalis, mox rheumatica esse potest. — Gradu auctae febres inflammatoriae subcontinuae in continuas degenerant ejusdem characteris; faventibus sub circumstantiis in intermittentes perfectas et simplices dilabuntur.

125. Complicationis hujus causae vel in subjecto juvenili, plethorico, Bacho litanti, in menstruatione parca, graviditate; vel in potentiis manifeste incitantibus, therapia prava, stimulantium, aut corticis promaturo usu; vel, quod frequentissimum, in epidemiae ingenio sunt quaerendae. — Febres ideo vernales, sub constitutionis aequinoctionalis principio, aeque ac autumnales, dum gelida approximat hyems, vix non semper de inflammatoria participant nota, plurimum catarrhali, vel rheumatica.

β. FEBRES INTERMITTENTES SUBCONTINUAE CHARACTERIS PUTRIDI.

126. Harum febrium differentiam constituit character septicus sub paroxysmis non solum, verum etiam sub ipsa apyrexia, sequentibus distinguendus signis. — Virium vitalium, et praeprimis arteriosarum summus languor; sanguinis elaboratio imperfecta; inde azoti praedominium; coagulabilitas exigua; fluiditas major; color atrorubens; nisus in haemorrhagias; non raro peticulae; diarrhoea aut dysenteria colliquativa; ephidrosis foetida, largissima; urina crassa; algor universalis; omnis doloris absentia (anodynia); facies hippocratica; halitus grave olens; vertigo; anxietas; inquietudo; pulsus exiles, molles, irregulares; syncope; asphyxia lethalis.

127. Febres intermittentes putrido inquinatae characterе, qui nil aliud nisi acutum et febrilem scorbutum sistit, vix unquam manifestae esse consuescunt; sed plerumque e choro comitatarum, et quidem quoad formam algidae, cholericae, diaphoreticae, vel syncopales; quoad decursum semper subcontinuae; quoad typum quotidianae aut tertianae.

128. Spectato summo, quo incedunt periculo, perniciosae merito dicuntur, quo nomine etiam omnium primo a Ludovico Mercato, serius a Mortono et Tortio diligenter descriptae fuerunt.

129. Inter causas, quae fatalem hanc anomaliam et complicationem intermittentium inducunt, recensendae sunt: 1) Prava subjecti dispositio pendens a cacochymia scorbutica, syphilitica, mercurialium protracto usu. — 2) Epidemia funesta, nisui corporum organicorum in putredinem et colliquationem favens, qualis libenter in zona torrida, sub aestatis fastigio et ardentis Sirii imperio, malakia praesertim atmosphaerae (Afa Ital.) diutius durante, evolvitur. Itidem paludum et uliginum effluvia mephitica, endemicam saepe creantia pestem. — 3) Potentiae deprimentes omnis generis, maxime animi pathemata: moeror diuturnus, vitae taedium, nostalgia. — 4) Regimen pravum; calamitates domesticae; therapia perversa; abusus venaesectionum et purgantium.

γ. FEBEES INTERMITTENTES SUBCONTINUAE CHARACTERIS NERVOSI.

130. Quemadmodum priores duae febrium intermittentium complicatarum species praevalente systematis sanguinei passione, et quidem nunc haemotopoëseos alacritate et perfectione majori, nunc ejusdem languore stipantur, ita febres intermittentes nervosae systema sensiferum eminentur laesum ostendunt. — Status itaque nervosus, seu syndrome variorum, quae functiones nervosas a normali conditione aberrare indicant, symptomatum febres intermittentes nervosas abunde distinguit; excipiendo tamen illa, quae ex gangliaris sphaerae pathologica conditione, cuivis intermittenti simplici aeque ac complicatae propria, pullulant, atque potissimum in sensus communis vitio: frigoris utpote non existentis, inquietudinis, formicationis sensu, anorexia, nausea, spasmo superficiali, etc. consistunt. Eminet igitur laesio functionum sphaerae cerebralis et medullaris; aut illa sphaerae gangliaris altiorem manifestat gradum. Quo gravius aegroti imminente accessione viribus exhausti torpent, inter verba desipiunt, vertigine circumfe-

runtur, vel profundo veterno obruti decumbunt, animo linquuntur, vel et nervorum distentionibus convelluntur, eo minora characteris nervosi et speciatim nevrasthenici esse possunt dubia.

131. Hae febres non solum durante paroxysmo variis distinguuntur symptomatibus nervosis, unde mox ad comitatas, mox ad larvatas (sub schemate nevroseos) spectant; sed etiam sub ipso, duobus paroxysmis interposito tempore, iisdem diverso in gradu vexare continuant phaenomenis, quae inter kephalaea, gravis carebaria, deliria, tendinum saltus, sitis insatiabilis, tremores, convulsiones, cutis aspera et urens, erethismus aut anerethisia, virium maximus languor, nunc spurius et adparens, nunc verus et realis, communiora esse solent. Quemadmodum in febribus intermittentibus inflammatoriis organa pectoris, ita in nervosis enkephalon per excellentiam patitur; neque desunt exempla manifesti meningum turgoris.

132. Typum servant quotidianum, aut quartanum, haud raro in continuas nervosas lentas abeunt, aut vero malignum induunt characterem; absque discrimine igitur nunquam decurrunt (febres intermittentes nervosae perniciosae Frankii), sive paroxysmis manifestis, sive larvatis incedant; nunc sporadicae sunt, nunc epidemicae, plerumque autumnales. — Maximam analogiam habent cum febribus typhosis, quae dum aestate grassantur, in exordio libenter periodicis invasionibus notantur.

133. Causas agnoscunt vel simplices, quae praeter potentiam diathesin febrilem inducendi, ea simul vi pollent, ut nervosarum functionum altioris dignitatis normalem concentum perturbent; vel vero plurium causarum simultaneam actionem, quarum aliae febris intermittentis originem ponunt, aliae nevricum systema adgrediuntur, ejus efficientiam vel augendo, vel deprimendo, in actionibus impediendo. — Culpari prae aliis debent: 1) Subjecti irritabile temperamentum, aetas infantilis, sequioris sexus hysterica diathesis, mala nervosa praeexistentia; ceu momenta proëgumena. — 2) Prophases habentur *a*) in malefico constitutionis epidemicae genio; *b*) in causis lateralibus variis, uti sunt: inquilini certarum regionum et locorum

fomites, effluvia paludum, corruptae nosocomiorum, carcerum et ergastulorum atmosphaerae, exhalationes vegetabilium putrescentium, quales e. g. cannabis maceratione extricantur; vapores metallici, jactura humorum, inedia, animus variis passionibus agitatus; *c)* medendi methodus nimis debilitans.

δ. FEBRES INTERMITTENTES SUBCONTINUAE CHARACTERIS GASTRICI.

134. Inter cunctas febrium intermittentium complicationes vix non communissima est, quae systematis gastrici distinguitur turbis: ventriculi utpote ac intestinorum. — Hae turbae autem vel dependent immediate a fomite quodam heterogeneo, saburrali, in primis latitante viis; vel vero coëffectum sistunt remotioris cujusdam causae, quae symptomata gastrici systematis laesi unacum successiva sordium genesi inducit.

135. Juxta duplam hancce geneseos characteris gastrici rationem distinctio ejusdem in legitimum et illegitimum, seu primarium et secundarium fieri potest. — Primus oritur ex saburra; in altero saburra per pathologicam tubi alimentaris aut organorum succenturiatorum conditionem secundario gignitur. Uterque tamen praesentiam saburrae cujusdam pro essentia agnoscit.

136. Typus febrium intermittentium, saburrali nota inquinatarum, plerumque quotidianus aut tertianus, tum simplex, tum duplicatus esse consuevit, apyrexiis tamen nonnisi imperfectis intercisus, ob permanentes impuritatis hospitantis effectus. — Symptomata palmaria, quae sub paroxysmo ingravescunt, ingrediente apyrexia mitigantur, sunt: kephalaea frontalis, dentium et gingivarum sordes, lingua spurca, anorexia, apositia, nausea, ructus freqnentes, sapor oris pravus, vomituritiones, vomitus, pondus aut ardor ad stomachum, epigastrium elatum, abdomen plenum, borborygmi, alvus pertinaciter clausa aut diarrhoica, lienteria, sudores copiosi et nidorosi, hydroa labiorum. — Praeter haec phaenomena generalia habentur denique et alia, quae specificam saburrae indicant indolem.

137. Quae ex ingurgitatione immodica, aut infracto

digestionis vigore oriuntur sordes, nil aliud, nisi chymum nimis copiosum, non subigendum, vel degeneratum, seu qualitate alteratum sistunt, atque ventriculum et duodenum prae aliis gravant; unde symptomata, quae saburram sursum turgere indicant, praevalent. — Dignoscitur talis character gastricus, saburralis per eminentiam dictus, ex causa manifesta praegressa: alimentis utpote copiose ingestis, pravis, digestu difficilibus; ex kephalaea frontali; ructibus foetidis, putrida ova redolentibus; apositia; pondere molesto ad scrobem cordis, et materiei vomitu rejectae conditione.

138. Duplici autem modo ejusmodi nota saburralis febri intermittenti adhaerere potest: vel enim ipsam febrim produxit, quo tamen in casu semper latens in eam dispositio supponi debet; vel sub febris decursu diaeteticis erroribus, nec non prava medela inducitur. Talis e. g. esset saburra medicamentosa, per incongruum et intempestivum corticis peruviani usum producta.

139. Ille e contrario gastricus character, qui non a pravis ingestis, sed ab uberiori pituitae per canalis cibarii membranam secretione, aut justo copiosiori bilis in tractum intestinalem defluxu pendet, nunc pituitae, nunc bilis praedominantis signis sese prodit.

140. Febribus itaque intermittentibus charactere gastrico-pituitoso pollutis propria erunt: lingua alba, crasso et tenaci muco tecta; sapor limosus; vomitus mucosus; alvi secessus similes; vermium societas; laxitas compagis solidae, in connubio cum illarum causarum notis, quae ortui talis saburrae favent. — Febres intermittentes cum biliosis incedentes sordibus lingua flava, sapor amarus, vomituritiones similes, vomitus fellis flavi aut prasini, sudores profusi, levis hepatalgia, polycholia aliaque ejusdem furfuris signa distinguent. — Hae typum tertianum, illae quotidianum libenter servant; ambae in continuas nituntur non solum; verum etiam faventibus sub conditionibus nervosam aut septicam facile induunt naturam.

141. Inter causas complicationis gastricae recenseri merentur: 1) Dispositio particularis, voracitate, liguritione,

indigestione crebra, diarrhoeis reccurrentibus, aetate puerili, constitutione vernali et aestiva, inducta. 2) Constitutio epidemica annua, sub qua major evolvitur systematis reproductivi, et in specie tractus alimentaris, organorumque contiguorum activitas. Frequentes inde febres pituitosae tempore vernali, et biliosae aestivo; interdum ex solo influxu continuato potentiarum cosmicarum et telluricarum oriuntur, absque ullo specialis cujusdam causae, primas vias onerantis, interventu, atque merito epidemicae nominantur. 3) Ingurgitatio, et quaevis gravatio stomachi cibis depravatis, incongruis, digestu difficilibus, copiosis, eorumve inepta miscela; aut e contrario tales noxae, quae vires digestrices prosternunt, uti sunt oleosa, mucilaginosa, fatua; refrigerium repentinum; animi pathemata deprimentia; denique, quae varios humores versus cloacam intestinalem alliciunt, uti abusus mercurii, purgantium, vermes, ira, etc.; vel quae vicarias in intestinis secretiones creant, e. g. sudoris cohibitio.

f. FEBRES INTERMITTENTES SUBCONTINUAE CHARACTERIS CACHECTICI.

142. Ubi una cum febre intermittente, aut sub ejus decursu manifesta in processu plastico seu reproductivo nascitur laesio, cachecticus evolvitur character, qui habitus alterati phaenomenis sese prae aliis distinguit.

143. Non solum causae febribus intermittentibus producendis pares, sed etiam ipsissimae febres, dum diutius, aut anomale excurrunt, productionem organicam in qualitate libenter pervertunt, viscerum abdominalium, textus cellulosi et membranarum serosarum secretiones alterando.

144. Inter has cacotrophias, intermittentium creberrimos comites et soboles, spectant hepatis lienisque infarctus, qui alterutrius vel utriusque hypochondrii tumore, tensione, non raro dolore, cachexia universali, pallore, squalore, turgoris defectu, totius dermaticae compagis laxitate, atque peculiaribus quibusdam, a diversitate visceris laesi pendentibus, phaenomenis se produnt.

145. Dictorum viscerum vitia nunc 1) in obstruc-

tione seu emphraxi manifesta, miscelae nimirum et compagis alteratione consistunt, ac, pro vario gradu, infarctus, indurationis aut skirrhi nomine insigniuntur: nunc vero 2) nonnisi viscerum massam et volumen aucta praebent, quin intima alterata sit miscela, hyperepidoses seu parectamata; productum vegetationis in viscere non qualitative alteratae, sed quantitative incitatae. — Haec interdum absque notabili qualitatum externarum abnormitate persistunt; illa vero vix non semper universae productionis processum alterant, cachecticum inducendo habitum.

146. Hepatis emphraxis vel parectama facili negotio bilis secretionem, ejusque in intestina defluxum perturbat; unde non solum digestionis, chylificationis et excretionis alvinae laesio varia, sed etiam biliosi principii, hepatis ope non sufficienter separati ac educti, in humoribus evolvitur abundantia, polycholia et icterus; silentio praetereundo multiplicia et secundaria, quae in contiguis et remotis organis inde pullulare possunt, phaenomena.

147. Obstructio vero splenis, ejusque hyperepidosis, dummodo cum hepatis conjuncta non fuerit labe, praeter tensionem, intumescentiam, ac dolorem hypochondrii sinistri, propriam, si diutius persistat indies crescens, producit cachexiam, splenicam dicendam (Milzsucht), cujus potiores characteres sunt: pallor et squalor superficiei non ictericus; scleroticae plumbea decoloratio; animus tristis; languor universalis; epistaxis frequens; non raro haematemesis rebellis, aut vera melaena, vomitus nempe sanguinis spissi et atri, vel ejusdem per alvum secessus; nisus in diathesin scorbuticam.

148. Si hepatis lienisque vitium simul concurrit, tunc etiam singulae adfectionis symptomata confunduntur, subortis praecipue cachexiae notis, ac excretionibus materiae spissae, atroflavae aut fuscae, per alvum et vomitum, sanguinis utpote lienalis una cum bile inspissata, hepatica aut cystica. — Febres intermittentes tali modo complicatae atrabilariae vocari solent.

149. Tertia tandem febres periodicas comitantis ca-

chexiae forma est, quae alterato secretionis et absorptionis aequilibrio in textu cellulari aut in membranis serosis varia cava investientibus, ac pendente inde seri effusione stipatur: hydrops. — Frequentior est hydrops intercus, leucoplegmatia vel anasarca; rarior hydrops cavorum.

150. Competunt autem febribus intermittentibus cachecticis praeter dictas habitus externi depravati ac processus vegetativi variis in organis laesi formas, sequentia adhuc adtributa: — sunt plerumque constantes soboles autumni, ac in hyemem non raro protrahuntur; vel vero ab endemico pendent fonte; typum libenter tenent quartanum simplicem, duplicatum aut triplicatum; apyrexiis perfectis vix non semper carent ob laesionem permanentem in processu organico-plastico, quae ipsos motus febriles sub paroxysmi ingressu excandescentes auget non solum, sed et recentes invitat, tempore paroxysmis interstrato pulsuum frequentia, calore leviter aucto et virium languore distinguendos. — Rebelles porro sunt ac pertinaces, in recidivas valde pronae, repentino quidem destitutae discrimine; ast tanto facilius dolosas struunt insidias, chronicas pariendo lues.

151. Causis, quae febrium intermittentium cachecticarum originem ponunt, adnumerari debent: 1) Prava subjecti conditio, productio organica languens, aut vitiata; aetas senilis. — 2) Epidemia autumnalis; aut endemica constitutio cachexiis creandis idonea. — 3) Omnes potentiae nocivae, reproductionis munus laedentes: aër pravus; mephites; humiditas; victus malae indolis; animus curis et calamitatibus pressus; ipsae febres intermittentes diuturnae, et anomalae. — 4) Medela perversa, quam maxime praecox et immodicus Chinae usus.

c) TYPI RATIO.

152. Ultima febrium intermittentium anomalia est illa, quam in typo manifestant. — Dantur nimirum febres, quae in paroxysmorum circuitu nullum prorsus observant ordinem, sed variis ac indefinitis intervallis recurrunt; nunc enim quotidianum, nunc tertianum aut quartanum, nunc simplicem aut compositum typum promiscue patefaciunt,

inque ipsis paroxysmis variam symptomatum intensionem et extensionem praebent. — Vocantur irregulares, atypicae, vagae, erraticae, exleges (πεπλανημένοι ἄτακτοι); ac relate ad regulares ita fere se habent, uti cometae ad planetas.

153. Libenter infestant pueros voraces, pituitoso glutine aut vermibus adfectos; subjecta cachectica cum viscerum abdominalium morbosa metamorphosi; autumno crebrius comparent; interdum praematuro corticis, stimulantium, vel imprudenti debilitantium usu artificialiter producuntur. — Praeter irregularem reditum etiam ipsi paroxysmi insolita offerre solent phaenomena: pandiculationes frequentes; frigus haud manifestum; lassitudinem maximam; faciei pallorem aut virorem; voracitatem indomabilem cum bradypepsia; adspectum tristem; morositatem; praecordiorum plenitudinem et tensionem; anxietatem; urinas jumentarias vel lateritias, cum sedimento furfureo; alvum olidissimam; sudores profusos. — Ob symptomatum seriem justo diutius protractam, plerumque claris destituuntur apyrexiis (subcontinuae), cujus quidem ratio quaerenda omnino erit in naturae molimine pro judicandis singulis paroxysmis inepto.

Coschwiz Diss. de febribus erraticis. Hal. 1722.

DIAGNOSIS.

154. Febrium intermittentium cognitio, seu diagnosis haud difficulter desumitur ex essentialibus, quos in decursu tam normali, quam anomalo offerunt, characteribus, atque ex differentiis et analogiis, quas cum adfinibus habent morbis, rite perpensis ac inter se comparatis.

155. Negari tamen nequit, quod aliquae intermittentium, praecipue anomalarum, subcontinuarum, et in specie larvatarum species, maximas in dignoscendo offerant difficultates, quas nonnisi expertus et oculatus devincere valet medicus. — Ars tales febres determinandi verbis describi nequit, unice ad lectum aegri sedula observatione addiscenda. — Id tamen monuisse juvat, quod in stabilienda febrium intermittentium diagnosi universim non solum ad morbi imaginem, typum, characterem, symptomata

praevalentia, sed quam maxime ad genium epidemicum et anni tempus adtendi debeat. — Causis ab aegro adsignatis raro fides habenda.

DECURSUS.

156. Febris intermittens, quatenus febrem acutam in compendio, post certum aut incertum intervallum redeuntem, sistit, semper acutum decursum agnoscit, intra 24 horas plerumque absolutum. Si vero spectemus catenam omnium paroxysmorum recurrentium, haec omnino, relate ad tempus, longae durationis esse potest, et quidem nunc definitae, uti e. g. in multis febribus subcontinuis, vernis, septimo paroxysmo sponte cessantibus; nunc indefinitae, ne dicam infinitae.

157. Talis duratio pendet unice a dispositione (ab hac enim sola paroxysmorum reditus derivandus), atque pro illius diversitate et intensione ipsum typum dirigente, nunc ad paucas septimanas, nunc ad plures menses et annos protenditur. — Liquet inde febres, quae pertinaci foventur diathesi, etiam respectu paroxysmorum summae, diutius excurrere; quales sunt autumnales, endemicae, quartanae, consistentes, recidivae, anomalae, complicatae, prae aliis cachecticae. Exempla febrium ultra decem, imo viginti annos durantium, a quibusdam notata medicis (1), probabilitatis limites excedunt. — Sydenhamus probare voluit, decursum febris quartanae, etiamsi diuturna fuerit, illum febris continuae non excedere, si singulorum tantummodo paroxysmorum duratio computetur, ejusque summa colligatur (2).

(1) Trnkà Histor. febr. intermitt. pag. 189 et seq.
(2) Sydenh. Opera omnia Tom. I. Sect. I. Cap. 5.

AETIOLOGIA FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

DISPOSITIO.

158. Extra dubitationis aleam positum est, ad genesin febris intermittentis, praeter causae excitantis seu procatarcticae actionem, propriam requiri dispositionem;

id est: certam quamdam in ejusmodi malum contrahendum propensionem, quam, etsi uspiam ad morborum genesin requiritur, certe in febrium intermittentium constructione eminentem dignitatem habere, infra clarius patebit. — Nonnisi ex illa concipi potest: cur eadem prophasis in uno homine febrem gastricam, in alio catarrhalem, intermittentem in alio; cur eadem epidemia eodem tempore in variis subjectis nunc tertianas, nunc quotidianas producat; cur febribus intermittentibus progignendis saepenumero adeo levidenses causae pares sint, ut aegrorum atque medicorum adtentionem effugiant.

159. Ast summae in perscrutando hocce argumento sese obtrudunt difficultates, a peritissimis in arte viris nondum solutae, nec a nobis solvendae. — Interim quidquid ex naturae scrutatione, castoque ratiocinio extricare licet, etsi veritatis umbra solum fuerit, ad faciliorem rei obscurae conceptum negligendum non erit.

160. Varias diversi aevi medici de momento proëgumeno habuerunt opiniones. — Sylvius (1), Willisius (2), et Jones (3) illud in humoribus, et quidem in proprio quodam fermento febrili quaesiverunt; opinio, cui quidem jam Sydenhamus quodammodo accessit, in eo tamen diversus, quod originem ac certam indolem fermenti non finxerit (4). — Werlhofius aërem humoribus nostris permixtum, cum atmosphaera communicantem et oscillantem suspicabatur (5). — Fr. Home (6), Morton (7), et Svieten (8) dispositionem in systemate nervoso quaerendam esse autumarunt. — Nulla tamen harum opinionum rei explicandae ad amussim satisfacit.

(1) Prax. med.
(2) De febribus. Cap. III.
(3) Tract. de febribus intermitt.
(4) Opera omnia Tom. I. Sect. I. Cap. 5. §. 2. 3.
(5) Oper cit. Sect. XVI. §. 3.
(6) Princip. Med. Lib. II. Part. 2. Sect. 5. §. 3.
(7) Pyretologia. In prolegomenis.
(8) Comment. in Aphor. 757.

161. Ut indago argumenti adeo lubrici majori cum securitate instituatur, ad sequentia respondendum erit: 1) In quonam organismi systemate dispositio

latet, seu quale organismi systema aut organon dispositionis substratum sistit? — 2) Qualis est ejus momenti natura? — 3) An periodorum ratio in sola dispositione quaerenda? — Sunt autem tot aenigmata, quot quaestiones. — Earum solutio nonnisi per fidelia observata, ac per castum ratiocinium prioribus innixum, nullaque opinione praeoccupatum, aliqua cum verisimilitudine tentari potest.

162. Quale est dispositionis substratum? — Momentum, quod ad intermittentes disponit febres, in systemate nervoso, et quidem in sphaera ejus gangliari sedem agnoscere, sequentibus probari poterit argumentis. Quatenus febris intermittens legitima et simplex, — de qua unice sermo est, — semper morbum dynamicum praesentat: morbum utpote, qui abnormi motu organico se manifestat, materiem vero organicam et organisationem in sua indole et crasi nonnisi insensibili modo adfectam, ne dicam intactam supponit; (secus enim intermissiones apyreticas et ab omni symptomate morboso liberas admittere nequiret); eatenus etiam id, quod morbum invitat et fovet, necessario in tali organismi organo aut systemate erit quaerendum, quod motum vitalem et concentum dynamicum gubernat ac perficere juvat. — Tale est systema nervosum.

163. A posteriori id confirmant: 1) Subjecta debilia, enervata, convalescentia prae aliis in intermittentes sunt prona. — 2) Plures causae procatarcticae nervos directe adoriuntur: uti mephites paludosae, animi pathemata. — 3) Potentes animi commotiones nunc elidunt paroxysmos, nunc recidivam invitant. Id ipsum imaginatio, aegri in quoddam remedium fiducia, aut diffidentia efficiunt. — 4) Febrium intermittentium essentialia phaenomena sunt nervosa: uti lassitudo, formicationis sensus, horror, tremor, spasmus cutaneus, sitis, nausea. — 5) Intermittentes anomalae libenter gravioribus nervorum turbis sociantur, aut sub illis delitescunt. — 6) Nituntur in periodicas invasiones, idque commune habent cum pluribus nevrosibus. — 7) Variae, quae in systema nervosum diriguntur impressiones per superstitiosa remedia, per meditationem profun-

dam, musicam, etc. febres quandoque supprimere solent. — 8) Palmaria tandem remedia antipyretica sunt, quae nervorum temperiem mutare, ac ordinem functionum restituere valent, nervino-tonica, praecipue China et Opium.

164. Hactenus jam penetravit plurium medicorum, et prae aliis sagacissimi Svietenii et Cullenii acies, qui huic veritati plurimum lucis adfuderunt, ab omni hypothesi perquam religiose caventes. —

165. Esse autem in specie systematis nervosi infimam sphaeram, gangliarem utpote, quae pronitatem in periodicas fovet febres, evincere sequentibus tentabimus: 1) Systema gangliare est illud, quod sensus communis in se vigentis ope hominem de statu mundi externi, hujusque ad organismum relatione mutua convincit; quod physin humanam regit, machinam organicam contra externas praeservat injurias, necessarium indifferentiae statum sustinet, atque a potentiis externis omnium facillime labefactatur. — 2) Systema gangliare per eminentiam functionibus vitae plasticae, seu productioni organicae praeest, hujus justam quantitatem et qualitatem conservat, quam sub decursu febrium intermittentium vix non semper alterari videmus. — 3) Eadem systematis nervosi sphaera in plexu splanchnico sive solari centrum agnoscit, ventriculo, intestinis, contiguisque organis succenturiatis prospiciente, quae organa in intermittentibus constanter patiuntur. — 4) Sistit reale substratum koenaestheseos sive sensus communis, quem in febre intermittente semper laesum docent constitutiva ejus symptomata: sensus lassitudinis, formicationis, frigoris aut caloris saepe non existentis, inquietudo, anorexia, sitis, etc. — 5) Deficiunt phaenomena, quae reliquas systematis nervosi, altiorisque ordinis sphaeras, cerebralem nimirum et medullarem, adfectas designant; aut si evolvuntur, sunt secundaria, et anomalo solum decursui propria. — 6) Causae intermittentium vel directe, vel indirecte per sympathiam in abdomen, nervorum splanchnicorum focum, suam exerunt actionem. — 7) Omnia vegetationis abnormis, aut et normalis producta, quae insolitum plexuum splanchnicorum erethismum fovent, pertinacem diathesin febrilem sustinere solent; emphraxes et parectamata viscerum, sa-

burrae, vermes, graviditas, ataxia menstruorum, vitia organica diversi generis.

166. Quatenus nervi gangliares periphericum finem partim in dermatico systemate, partim in membranis mucosis habent, haec autem (uti ex Nosogenia patebit) atrium morbi princeps largiuntur, in disponentis momenti substrato includi debent. Praecipuus tamen diatheseos febrilis focus in illa systematis gangliaris provincia, tamquam centro, quaerendus est, quae munera digestionis, cholopoëseos et adsimilationis gubernat, proinde in nervis fistulae alimentari et organis succenturiatis prospicientibus. Causam proximam febrium intermittentium speciatim in plexu hepatico et splenico (1) residere, tanto minus verisimile videtur, cum morbus universalis et diathesicus semper vel vastius substratum pluresque functiones una laesas, vel centralia duntaxat organa adfecta supponat. — Adtentionem meretur phaenomenon singulare ab eximio Clinices Professore Bischoff (2) quandoque observatum, dolor utpote, quem nonnulli aegrotantes sub contrectatione vertebrarum dorsalium plexui solari correspondentium queruntur.

(1) Neumann specielle Pathologie und Therapie. Berlin. 1832. pag. 17.

(2) Bischoff (J. R.) Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber. Wien 1830. pag. 254.

167. Qualis est dispositionis in febres intermittentes natura? — Quemadmodum omnis, qualiscunque, dispositio insolitam in certa mala pronitatem supponit; haec autem aliter concipi nequit, nisi ex peculiari totius organismi aut singularum ejus partium conditione, relativarum, certisque malis producendis idonearum causarum actiones percipiendi et retinendi; ita etiam ortus diatheseos febrilis ab eadem pendere debebit lege. — Vocatur autem illa organismi, singulorum systematum, aut organorum qualitas, in genere receptivitas; in systemate nervoso sensibilitatis, rectius sensilitatis nomine venit. — Liquet sponte, quod si talis fuerit systematis nervosi conditio, quae facile in abnormes nititur reactiones ex causis levibus, relativis, sensus nostros saepe fugi-

entibus, ac sano homini innocuis; necessario minor supponi debeat efficientiae vitalis energia, minor duntaxat inimicis influxibus resistendi potentia; id, quod nunc a languore et debilitate reali (Ermüdung und Schwäche), nunc vero a majori potentiarum extra nos sitarum elatione, indifferentiae normalis statum subvertente, dependet.

168. Dispositio itaque intermittentibus auscultans febribus consistere debebit in justo majori systematis nerveo-splanchnici erethismo, qui efficientiae nervosae debilitatem vel absolutam, vel saltem relativam includit.

169. Hocce adsertum confirmare adhuc juvat: quod in febres dialeipyras proclivia prae aliis sint subjecta debilia, delicatula, morbis detrita, cachectica, vitiis organorum abdominalium (imperio gangliaris systematis subordinatorum) adfecta, febre periodica jam alias detenta; quod omnes febribus iisdem excitandis aptae causae energiam nervorum abdominalium sufflaminent ac pessumdent, atque organis ab eis dependentibus maximas struant insidias Vesanos atque dementes, in quibus sphaerae cerebralis torpor cum nervorum splanchnicorum vigore junctus esse solet, febribus intermittentibus rarissime adfici, experientia docet. Adjungi tandem adhuc potest, dermaticam superficiem tempore verno, ob humiditatem et calorem, majorem adipisci conducendi facultatem, talique pacto majorem contrahere receptivitatem pro vicissitudinibus electricitatis ac temperiei atmosphaericae, evidentius evolutis, percipiendis et retinendis, quae effectum suum omnium primo in sensibilitatis organicae repraesentatore, in splanchnico systemate exerere debehunt.

170. An periodorum ratio in solo momento disponente est quaerenda? — Lapidem offensionis ab omni aevo dedit periodica invasionum febrilium ratio, quam quivis alio explicare satagebat modo. Non sine ratione jam querebatur Ramazzini, in universa medicina nil aeque clariorum Virorum fatigasse indaginem, sed frustrante diligentia, quam febrilis circuitus causae pervestigationem.

Charpentier de Joigny Quelques recherches sur les causes

du charactère de périodicité de la fièvre intermittente. Marseille. 1828.

Pallas Reflexions sur l'intermittence considerée chez l'homme dans l'état de santé et de maladie, etc. Paris 1830.

171. Hippocratici Medici varium typum febrium intermittentium a praedominantis bilis quantitate concipere voluerunt ita; ut minima copia quartanas, maxima quotidianas producat (1). — Argumenta a Valcarenghio exposita opinionem hanc sufficienter refutant (2).

(1) Sprengel Gesch. der Medic. 1 B. — S. 464.

(2) Burserii Institut. med. pract. Tom. I. pag. 57.

172. Asclepiades Bithynus typum repetiit ab obstructione, quam varia corporis elementa inducunt. Obstructio minimis inducta elementis (λεπτομερεῖς ὄγκοι) febres quartanas, majoribus tertianas, maximis quotidianas gignit (1).

(1) Cael. Aureliani Acut. Lib. I. Cap. 13. pag. 42.

173. Modo a prioribus parum absimili, Platonis Galenique auctoritate absque dubio ductus, Hier. Fracastorius typum quotidianum ex phlegmate, (quod omnium facillime coquitur), tertianum a bile, quartanum ab atra bile explicat (1).

(1) De diebus criticis. Cap. 8. pag. 300.

174. Arabi et Arabistae intermissiones in febribus a putredine humorum extra venas pendere crediderunt (1).

(1) Isaac Theorie Lib. VII. Fol. XXXVI. 6.

175. Similibus principiis superstructa typi intermittentis explicatio per plura saecula medicis arrisit, credentibus, materialem quemdam latitare fomitem, qui sanguini statis temporibus, et per intervalla adfunditur, eamque excitat commotionem, cui nomen paroxysmi febrilis inditum est. — Pro varia demum ejus materiae copia, pravitate aut vi, non solum accessionum longitudinem, sed etiam intervallorum durationem conceperunt. Cumque modo majus, modo minus temporis spatium ad fomitem praeparandum et colligendum requiratur, non mirum videbatur, si accessus modo singulis, modo alternis diebus, modo quarto quovis tantum revertantur. — Oppugnat autem: non omnes febres fomitis morbosi signa prodere, omnium minime sim-

plices, atque evacuantia sanationi raro sufficere. Remaneret denique semper adhuc quaestio, qualis sit periodicae hujus geneseos causa?

176. Sub ejusmodi vanarum ac insufficientium opinionum farragine, recentiores medici adtentionem merito ad altius quoddam principium, cosmicum, dirigere inceperunt, et quidem specialius ad influxum lunae in tellurem, ac in ipsum organismum humanum, qui prioris partem constituit. — Praeeunte jam Bacone, Diemerbroeckio, Ramazzinio, et Meadio, huic ideae prae aliis adhaeserunt insignes in arte viri, Grainger (1), Balfour (2), Jackson (3), Gillespie (4), Kieser (5), et alii. — »Lunae imperium in corpus humanum, si etiam secundarium fuerit per atmosphaerae mutationes, exploratum tamen habemus," sunt verba Sprengelii (6).

(1) Pract. Bemerk. über die kalten Fieber. Leipz. 1785.
(2) Balfour über den Einfluss des Mondes auf die Fieber. Strassb. 1785.
(3) Jackson über die Fieber in Jamaika. Uebersetzt von Sprengel. Leipz 1795.
(4) Simmons Lond. Med. Journ. 1785 P. IV.
(5) System der Medicin. Halle 1817. 1. B.
(6) Institut. patholog. gener. Vol. I. §. 123.

177. Si perpendimus cuncta in universo, aeque ac in nostro terrarum orbe phaenomena certo quodam ordine et typo perfici, quod astrorum et planetarum motus, constans anni temporum circuitus, definitus lunae cursus, praecisa telluris circa axin rotatio, diei noctisque vices, aestus maris, determinatae vissitudines aëris quoad statum electricum et barometricum, quae nychthemeri spatio accidunt, etc. abunde demonstrant; — si porro consideramus ipsam organismorum vegetabilium et animalium vitam in typica oscillatione consistere, universalibus macrocosmi motibus respondente; uti id determinatum pro incremento corporis et perfecta organismi evolutione tempus, quater in anno mutata hominum diathesis, periodica vigiliae et somni alternatio, stato temporis intervallo rediens feminarum menstruatio, oestrus venereus, cornuum ac plumarum depositio in certis animalibus anni temporum circuitui respondens, etc. ostendunt; — si haec, inquam, omnia animo per-

volvantur, difficilius fors concipietur atypicus et irregularis, quam typicus et regularis morborum decursus; morbus enim, etsi processum vitalem abnormem sistat, semper summe generalibus vitae macrocosmicae, et ordinis omnia regentis legibus subordinatus sit, oportet.

178. Quemadmodum vero quotidianae morborum exacerbationes, typus proinde continuus remittens quotidianis procul dubio dirigitur terrae circa propriam axin rotationibus (1); ita typus intermittens, qui (excepto quotidiano) majoribus distinguitur circuitibus, alii cuidam oscillationi cosmicae necessario obedire debebit, et quidem, non sine verisimilitudine, motui lunae septenario; qui etiam in continuis febribus judicandis suam defendit dignitatem.

(1) Triller de vespertina morborum exacerbatione. In Opusc. Med. Vol. III.

179. Sive sumamus typum tertianum, sive quartanum, eum cyclo septenario, seu quadrantibus lunae ter quaterve intercisis respondere videmus ita; ut febris tertiana intra septem dies quater recurrat, prima utpote die, tertia, quinta, et septima; quartana contra ter solum invadat, die duntaxat primo, quarto et septimo. — Febres demum duplicatae et triplicatae nonnisi anomalias simplicium sistunt, dependentes, uti videtur, ex potentia lunari per influxum terrae motus circa axin ita infracta, ut, etiamsi fortiores paroxysmi semper cardinales retineant dies, illis tamen alii intercalentur quotidianum mentientes typum, ac non raro in continuum conflati decursum. — Repristinato iterum ter quaterve intercisi cycli septenarii vigore et dominio, jugulatur vis illius oscillationis, quae 24 absolvitur horis, et febris composita redditur simplex.

180. Ignotae hucdum sunt illae circumstantiae, sub quibus nunc iste, nunc ille cosmicus influxus majorem adquirit energiam, seu, quod idem est, sub quibus febres continuae in intermittentes, haeque, dum simplices sunt, in compositas nituntur, et viceversa. Fors variata, per variam distantiam et positionem lunae, tensio electricitatis atmosphaericae, ejus cum electricitate animali turbata in-

differentia, vel gravitationis planeticae nisus auctus aut imminutus aliquid contribuit?

181. Quod demum certo quodam et fixo tempore recurrentes accessiones adtinet, meridianas utpote in tertianis, matutinas in quotidianis, has, inter neotericos, Ackermannus (1) e congruente telluris motu cum incitatione vitae automaticae et vegetativae, atque e varia imponderabilium adcumulatione, quae stato tempore in plexus cardiacos irruunt, ingeniose exposuit. Inducias nunc breviores, nunc longiores juxta diversam distantiam locorum adfectorum, hepatis, ventriculi, intestinorum concipit.

(1) De cognoscendis et curandis febribus. Heidelb. 1809.

182. Eidem objecto dilucidando intentus Gruithuisen (1) ad propriam confugiendum esse credidit morbosae functionis organorum digerentium exhaustibilitatem (Erschöpfbarkeit), sit barbarae voci venia; quam alii irritabilitate periodice collecta, alii periodico torpore (Darwin) absolverunt.

(1) Theorie der Fieber überhaupt, und des Wechselfiebers insbesondere. München.

183. Periodica phaenomenorum cosmicorum ratio nullatenus concipi poterit ab excitantibus causis periodice recurrentibus, sed potius ex indita ab infinito massae macrocosmicae in ordinatas et regulares oscillationes nisu. — Ita sane etiam periodorum in febribus intermittentibus ratio non potest, nisi in diathesi, seu momento causali proëgumeno quaeri. Alias quivis paroxysmus recentem causae periodice recurrentis actionem supponeret.

184. Maximam in statu sano periodicitatem manifestant ea phaenomena, quae a systematis gangliaris imperio dependent: productio nempe organica definitis vitae periodis crescens et declinans, digestio, chylificatio, menstrua, maturatio foetus, somnus, etc.; organa enim productionis ad intermissiones quasi adsuefacta sunt, monente Sprengelio. — Quid mirum itaque, si etiam morbosae systematis gangliaris adfectiones in periodum plus minusve pronae cernantur? — Exemplo sint dolores omnes, insultus hysterici, nevroses a vermibus vel haemorrhoidibus pendentes, somnambulismus, ipsaeque febres intermittentes.

185. Inesse autem vegetationi, et organicae productioni, quae in animalibus sub dominio systematis gangliaris perficitur, peculiarem propensionem phasibus lunae obsecundandi, quam Walchius paucis verbis egregie exposuit (1). — »Der Reproduction ist nach dem Typ des Mondumlaufes ein Streben eingepflanzt, mit dem 7ten Tage normalwirkend in den Organismus einzuwirken;" — nec non fidelem huncce telluris satellitem in producendis febrium vicissitudinibus, earumque typo permutando notabilem exercere influxum, jam Galenus, Stahl, Werlhof, Moseley, Schnurrer, Annesley, aliique plures evictum habuerant (2). Rei confirmandae causa sequentia adduxisse juvabit:

I. Lunae, in plantarum fructificationem et maturationem promovendam, efficacia agricultoribus et hortulanis abunde nota est.

II. Castae observationes Lindii (3), Balfourii (4), et Jacksonii (5) docuerunt febres intermittentes circa novilunium et plenilunium potissimum evolvi, earumque originem maris aestui saepe saepius respondere.

III. Major est, secundum easdem observationes, frequentia et regularitas febrium intermittentium in terris tropicis, ubi major viget lunae potentia. In polaribus contra regionibus, uti in Islandia, Lapponia, Groenlandia periodicae febres sunt fere ignotae (6).

IV. Aura vespertina et nocturna febribus intermittentibus producendis prae aliis favet. Incipit autem occaso sole, cum jam terras nox opacasset, tranquillae Cynthiae dominium.

V. Feminae hystericae et somnambulones, in quibus manifestus viget splanchnici systematis erethismus, adolescentis aut senescentis lunae potestatem constanter lugent.

(1) Walch über die Natur und Heilung der Fieber. Leipz. 1813. S. 102.

(2) Franc. ab Hildenbrand Animadversiones in Constitutionem morborum stationariam. Vindob. 1831. pag. 33.

(3) Versuch über die Krankh. der Europäer in warmen Ländern. Riga. 1792.

(4) Oper. cit.

(5) London Med. Jounal Vol. VIII. P. I. p. 25. — Samml. auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte. XII. B. I. S. 84.
(6) Murray med. pract. Biblioth. III. B. 12. St. p. 40.

186. Cur tempore aequinoctiorum eminens omnibus hominibus insit ad febres intermittentes dispositio, ipsaeque febres continuae in periodicas nitantur exacerbationes, remissionibus ferme ad apyrexiam accedentibus, comprehendi quadantenus potest partim ex vividiori tunc activitate systematis gangliaris organicam productionem gubernantis, quae facile lassescit ex uberiori noxiarum dynamicam productionis organicae sphaeram sufflaminare valentium concursu; partim ex modesto solis imperio, lunae influxum nec excessivo calore, nec gelido frigore arcente, atque e naturali anni temporum successione, conversionibusque cosmico-telluris eam comitantibus. — Hic latere videtur ignotum illud principium epidemicum, quod constitutionem seu catastasin aequinoctionalem efficit.

187. Exercet autem constitutio aequinoctionalis variam typicas febrium oscillationes mutandi potestatem, prouti vel veri, vel autumno respondeat. Tritissima est observatio, epidemiam vernalem, mense Martio ingruentem, febribus quotidianis ordiri, quas tertianae duplicatae et simplices excipiunt, in aestatem usque productae. Mense Septembris cum tertianis jam miscentur quartanae, quae, prioribus indies magis rarescentibus, varia sub forma ad finem anni usque porriguntur, epidemiam autumnalem efficientes. Videmus itaque anni tempus progressivum, quod sub increscente luciferi Sideris influxu toti naturae novum robur addit, motusque vitales sollicitat, morbosas quoque accelerare manifestationes, ita ut omni die sibi succedant. Labente contra anno, atque torpescente unacum illo vitae vigore, ipsi motus febriles aegrius, et nonnisi post longiora intervalla concitantur. Iste typicarum oscillationum ordo adeo constans et invariabilis est, ut neque quartanam vere, neque autumno quotidianam nasci unquam observetur. Etsi febris alieni typi occurrat, v. g. quartana vere, ejus natales semper in praecedenti anni tempore inveniri possunt. — In iisdem demum anni conversionibus, quibuscum phases diurnae isochronum tenent passum, ratio di-

versi temporis, quo paroxysmi invadere solent, matutini vel vespertini, quaerenda. Quae omnia in nostris ephemeridibus clinicis (1) prolixius explanata inveniuntur.

(1) Franc. Hildenbrand Annales Scholae clinicae Ticinensis. Part. II. Ticini. 1830. pag. 2 — 8.

188. Diathesis ergo febrilis, seu paroxystica, consistens in aucto erethismo systematis gangliaris et maxime ejus centri, plexus solaris, conversionibus cosmico-telluricis omni aequinoctio recurrentibus inducta, nisum in periodos fovet, periodicasque regit invasiones, ad nutum lunae, ut videtur, plus minusve efficacis. Quo altiorem haecce diathesis, nulla arte imitanda, nec ad libitum permutanda, adtigerit gradum, eo leviores causae sufficiunt, ut in morbum prorumpat, juxta legem typicam organismo jam informatam ratis periodis recurrentem. Male autem rem interpraetarentur, qui supponerent influxum selenicum diathesi febrili, vel plane ipsi febri intermittenti producendae parem esse. Ille nobis nonnisi typum regere videtur; periodicus enim paroxysmorum circuitus cum nullo alio, praeter lunarem, cyclo cosmico aut organico vel remotissimam offert similitudinem.

CAUSAE EXCITANTES.

Luther Diss. de causis febrium, maxime intermittentium. Erf. 1737.

189. Inter varias febrium intermittentium prophases palmam tenent influxus telluri ci, qui in varia aëris atmosphaerici crasi, humiditate, temperiei vicissitudine, ventis, exhalationibus, electricitate, etc. consistunt. — Ubi similes atmosphaerae conditiones, ex benigna climatis ratione, raro aut minori intensitate occurrunt, etiam febres intermittentes rarae aut nullae cernuntur, uti in montosis et apricis regionibus, in Sudetis, Hercynia, Carniolia, Islandia, insula S. Thomae, in ditione Andreaemontana, in pluribus Sueciae locis, in Promontorio bonae spei, et s. p. — Dum a peculiari constitutione loci, aut ab anni temporum mutationibus pendent, pluribus infensae fiunt hominibus,

atque nunc endemicas, nunc epidemicas febres gignunt.

190. Aër humidus ac vicissitudine temperaturae saepius alternans, tanquam communis febrium intermittentium scaturigo ab omni aevo habebatur; estque sufficienter nota vis deleteria pluviarum diuturnarum, nebularum, glaciei ac nivium liquescentium, inundationum, aurae vespertinae et roscidae, pratorum irrigatorum, somni sub divo capti.

191. Venti, quatenus atmosphaeram depurant, salubres omnino evadunt; si vero ab Austro spirant, aut paludosas primum ditiones perflarunt, ortui febrium favere possunt. — „Popularis febris grassatur, dum Austri molles, diu spirantes, mador multus frigidusque vim addunt morbo.“ (Stoll Aphor. 408.)

192. Electricitas negativa, quae statui atmosphaerae humidae, nebulosae, vespertinae, sub imminente procella aestuantis, ac paludosa mephite inquinatae communis esse solet, non solum energiam vitalem insigniter prosternit atque pessumdat, sed etiam ad genesin febrium intermittentium procul dubio haud praetervidendam confert symbolam.

Sprengel Institut. patholog. gen. Vol. I. §. 132.

193. Probrum inter cunctas nocivi aëris qualitates per eminentiam merentur tetra illa effluvia, quae e superficie paludum et aquarum stagnantium extricantur, atque faventibus ardore aestivo, aëris malakia, electricitate negativa, udore nebularum diu incubantium tantam induunt potestatem, ut febres mali plurimum moris ac periculi plenas progignant. Haecce effluvia, quorum pestiferam vim jam Lancisius (1) classico adumbravit calamo, recentiori autem aevo praecipue Caillard (2), Julia de Fontanelle (3), Monfalcon (4) et Macculoch (5) illustrarunt, communiter nomine aëris, miasmatis, vel mephitis paludosae insigniuntur; Germ. Sumpfluft, Marschluft; Ital. Malaria, Aria cattiva; Gal. Exhalations marecageuses; Angl. Marsh-Effluvium, Marsh-Miasma.

(1) Lancisii de noxis paludum effuviis. Gen. 1718.

(2) Caillard Mémoires sur les dangers des émanations marécageuses etc. Paris. 1816.

(3) Julia de Fontanelle Recherches historiques, chimiques et médicales sur l'air marécageux. Paris. 1823.

(4) Monfalcon Histoire médicale des marais et traité des maladies causées par les émanations des eaux stagnantes. Paris. 1824. — Aus dem Franz. übers. von Heyfelder. Leipz. 1825. — 2ieme Edit. Paris. 1826.

(5) Macculloch (John) Malaria: an Essay on the production and propagation of this Poisons, and on the nature and localities of the places by which it is produced, with an Enumeration of the Diseases caused by it. Lond. 1827.

194. Febres, quae in locis depressis, humidis, nemorosis, in campis oryzae colendae dicatis, in urbibus aqua stagnante cinctis, pone amnes lente fluentes, in vallibus montium nivosorum, in regionibus paludosis et inundatis occurrunt, ibidemque vel perpetuam sedem figunt (endemicae), vel sub faventibus circumstantiis per vices super populum grassantur (epidemicae), causae morbificae gratia κατ' ἐξοχήν febres paludum, febres helodes, helopyrae (ab ἕλος palus), Germ. Sumpffieber, Marschfieber, Stoppelseuche, Gal. Fièvres des Marais, Ital. Febbri delle maremme compellari solent.

Sebastian über die Sumpfwechselfieber im Allgemeinen, und vorzüglich diejenigen, welche in Holland epidemisch herrschen. Carlsruhe 1815.

Puccinotti Storia delle febbri intermittenti perniciose di Roma. Urbino. 1824.

Kirckhoff Considerations pratiques sur les Fièvres intermittentes, avec des Avis sur les moyens de s'en preserver dans les localités humides et marécageuses. Amsterd. 1825.

Johnson the Influence of tropical Climates on European Constitutions. 4. Edit. Lond. 1827. pag. 47—172.

Nepple Essai sur les Fièvres remittentes et intermittentes des pays marécageux tempérés. Paris. 1828.

Reider Untersuchungen über die epidemischen Sumpffieber. Leipz. 1829.

195. Sunt autem febres paludosarum regionum quoad decursum vel continuae remittentes, vel intervallatae subintrantes; quoad typum specialem hemitritaeae, tertia-

nae simplices, crebrius duplicatae, vel quartanae; quoad characterem mox gastricae, mox nervosae aut putridae; quoad formam larvatae vel comitatae; et quidem plerumque sub schemate cujusdam passionis abdominalis, cardialgiae, colicae, dysenteriae, cholerae, vel cerebralis sympathicae, delirii aut soporis; raro benignae, sed plurimum perniciosae, vel saltem in recidivas et mala posthumes valde proclives. Hasce differentias febrium inprimis ponunt: diversum anni tempus, quocum incidunt, constitutio stationaria, tempestatis vices, ipsaque miasmatis paludosi major minorve efficacia et malignitas. Nonnullis medicis quoque febrem flavam tropicorum, dysenteriam et choleram febribus paludum adnumarere placuit (1).

(1) Reider Op. cit.

196. Regiones praecipuae, quae aquarum stativarum et paludum copia, atque febrium intermittentium frequentia et perfidia excellunt, sunt: Belgium, Batavia, Frisia, Selandia (1); Holsatia; Italiae loca uliginosa et palustria, (2), Ager Mantuanus, Ticinensis, Romanus (3), paludes Pontinae, Calabria; orae maris Mediterranei (4); Sardinia (5); Sicilia (6); quaedam provinciae regni Hungariae, praesertim Banatus; Moldavia et Valachia; solum Bengalense juxta ripas Gangis (7); Insula Java (8); Insulae Antillae; variae ditiones Americae tam meridionalis, quam septentrionalis, etc. Nonnullae plagae, ob malignas febres olim infames, paludibus sponte vel arte exsiccatis majorem nactae sunt salubritatem. Aliae ex adverso, quondam saluberrimae, uti v. g. ager Ticinensis (9), per novum agriculturae modum, oryzaria maxime et prata irrigua, longe majori hodie excellunt febrium intermittentium copia et malignitate. Paludum vero Pontinarum jam pristinis Romae temporibus tantus fuit terror, ut fanum in palatio consecraretur, atque Febris, teste Tullio, Deae instar religiose coleretur.

(1) Menno Dollemann Disquisitiones historicae de plerisque apud Belgas septentrionales endemiis morbis. Amstel. 1824. — Doek Einige Bemerkungen über die holländischen Sumpffieber, als complicirte nnd verlarvte Wechselfieber. Hannover 1827.

(2) Thouvenel Traité sur le climat d'Italie. 4 Volumes. Veron. 1797. — Koreff de regionibus Italiae aëre pernicioso contaminatis. Berol. 1817.

(3) Webster Observationes de aëre per Italiam insalubri, deque febre inde oriunda Romae endemica. Berol. 1820. — Puccinotti et Bailly Oper. cit.

(4) Burnett's Practical account of the Mediterranean Fever. Lond. 1816.

(5) Petri de Aquenza y Morra Tractatus de febre intemperiae sive de mutatione vulgariter dicta regni Sardiniae. Matriti. 1702. — Moris über die Krankheiten Sardiniens. (In Gerson et Julius Magaz. für ausländ. Liter. 1827. I. B.)

(6) Ziermann über die vorherrschenden Krankheiten Siciliens. Hannov. 1819.

(7) Johnson Oper. cit. pag. 47 et 65.

(8) Thomson Joh. Diss. de febre endemica Bataviae. Edinb. 1828.

(9) Franc. ab Hildenbrand Annales Scholae clinicae Ticinensis. Pars I. Ticini. 1826. pag. 72.

197. Quod naturam effluviorum paludosorum adtinet, variae fuerunt inter physicos medicosque sententiae. Columella, Varro et Vitruvius minimorum animalculorum visus aciem effugientium myriades in aëre volitantes supposuerunt, quam conjecturam seriori aevo Kircherus, Vallisnerius, Linneus et alii, nuperrime autem Macculloch, Barrie et Siemerling (1) sunt amplexi. Argumenta tamen ab illis adducta vix aliquem persuadere valebunt, nisi existentiam hypotheticam animalculorum nunquam visorum admittere placeat. Sylvius particulas salinas et sulfureas; Lancisius utriusque principii connubium; Medici theoriam Lavoisieri sectantes hydrogenium, carbonium et ammoniam; alii denuo oxygenis penuriam sunt criminati. — Hisce autem opinionibus adversantur partim indagines a Cel. Spallanzani et Santarelli institutae, e quibus paucam solum hydrogenii copiam aëri paludoso inesse patuit, atque experimenta eudiometrica ab Alexandro Volta, Physiosophorum Coryphaeo, suscepta, justam semper azotum inter et oxygenium rationem probantia.

(1) Siemerling Entschleierung der Cholera. Hamburg 1831.

198. Neque majus lumen circa essentiam miasmatis

paludosi ejusque agendi modum sparserunt analyses chemicae, quibus aërem paludum in sua elementa decomponere studuerunt Viri clarissimi, Humboldt, Seybert, Amelung, Baumes, Chevreul, Textor, Balme, Rigaud et Vauquelin (1). Inde quidem compertum habuimus, praecipuas partes constitutivas nullas alias esse, quam principia inflammabilia diversi generis, uti gas acidum carbonicum, azotum, hydrogenium, sulfur, phosphorum, ammoniam, et particulas quasdam organicas, in vaporis formam redactas (2). Id etiam satis superque probant: processus putrefactionis in solo palustri continuo vigens, inutilitas aëris ejusmodi pro respiratione et alimonia flammae, putor plus minusve gravis, praevalens tensio electricitatis negativae, nec non spontaneae inflammationes, ac inde originem ducentes ignes fatui, stellarumque trajectiones.

(1) Sur l'analyse des rosées élevées des marais. (In Annales cliniques de la Société de Médecine pratique de Montpellier. Liv. XLIV. p. 286.)

(2) Ueber die Sumpfluft. In Gehlen's Physikalisch. Wörterbuch. II. B. S. 361. — Gilbert Annalen. 16. B. 359 — 370.

199. Verumtamen proprietates morbificae effluviorum paludosorum, et praesertim singularis illa febres intermittentes perniciosas progignendi potestas, ex solis elementaribus inflammabilium formis explicari nullatenus possunt. Hac in re conveniunt etiam Monfalcon, Nacquart (1) et Julia de Fontanelle. Habent reapse spiramenta sontica paludum adhuc aliquid sibi privum, quo ab aliis generibus mephitum putridarum, (quales v. g. cemeteria, sepulchra reserata, cloacae, lanienae, piscinae, et s. p. spirare solent), essentialiter discrepant, ut jam ipse odor peculiaris et specificus, cum nullo alio comparandus, abunde indicat. Componuntur itaque partim ex elementis phlogisticis, eudiometri ope determinandis, partim e principio specifico, hactenus ignoto, et ex solis, quos in organismo humano ponit, effectubus divinando. Cum aliqua duntaxat verisimilitudine conjicere licet, illud ἐνεργούμενον morbidum exhalationum paludosarum, quod passim miasma, seu mephitis au-

dit, determinatorum tantummodo corporum organicorum, processu putredinis in sua principia elementaria non penitus dissolutorum productum esse, unde a Balmisio (2) non sine ratione Septonum appellabatur. Quidquid nonnulli de aquis putrescentibus protulerunt, semper vel ad solutas particulas organicas, vel ad mucores, zoophyta, et infusoria in illis progenita referri debet; e physicis enim doctrinis abunde constat, aquam puram putrescere non posse.

(1) Dictionnaire des Sciences médicales. Tom. 24. p. 446. Art. Infection.

(2) Observations et reflexions sur les causes, les symptoms et le traitement de la Contagion. Lyon. 1822.

200. Profecto omnium versatur ob oculos, paludes et stagna esse congeriem innumerorum animalium et vegetabilium, quae sub nullis aliis circumstantiis generantur, sed solius coeni palustris, putidum viventium seminarium constituentis, soboles et accolae dici possunt. Inter plantas aliae desidibus lymphis supernatant, aut fluitant, quemadmodum lemnae, confervae, ulvae, nymphaeae; aliae fundum petunt, atque oras obsident, uti potamogetones, myriophylla, spargania, carices, typhae, aliaque plura, arundineam ac junceam sepem efformantia. Animalium ovula, sive ingenita, sive illuc transvecta, cum ad palustrem locum pertingunt, tepido leniuntur udore, atque in multigena insecta, vermes, angues, ranas et bufones, desidum aquarum hospites facile manifestantur. Quamvis haec omnia viventia plurimos fomites in proprium alimentum absumant, quae aquas caeteroquin contemerant; nihilominus tamen utilitatem, quam stativis aquis, sumto pabulo, adferunt, multiplici nocumento rependunt; spoliis enim, faecibus, exuviis, animalium cadaveribus, fracescentium vegetabilium inquinamentis, putridam congeriem, ac teterrimum illud foetidumque coenum efficiunt, e quo desides lymphae, calore solis verberatae, labem noxamque concipiunt, et circumfusum aërem pestifera replent mephite, unde epidemicarum, vel endemicarum febrium origo repetenda.

201. Principiorum in palustri coeno genitorum tanta

est potentia et acredo, ut carnes aninalium inde pabulum trahentium, piscium praecipue et volatilium, peculiarem contrahant odorem et saporem ingratum, inque putredinem multo citius vergant, quam illorum, quae limpidas lymphas et aprica loca incolunt.

202. Prouti vel effluvia vegetabilium fracescentium, vel contra substantiarum et corporum animalium putredine dissolutorum spiramenta mephitica excellunt, insignis exsurgit aëris paludosi diversitas, quae procul dubio ad differentium aegritudinum genesin plurimum contribuit. Prior febribus intermittentibus et cachexiis adfinibus, altera febribus putridis et nervosis malignis patrocinari videtur; novimus enim ab experientia, exhalationes morticinorum et substantiarum animalium dissolutarum saluti quidem summe damnosa esse, febres vero intermittentes neutiquam producere.

203. Ast nec omni tempore, nec omnibus sub circumstantiis paludes feralem illam spirant auram. Quousque palustre solum brumali frigore rigescit, vel copiosis, fluentibus, purisque aquis inundatum est, uti post imbres diuturnos et proluvies accidit, nociva elementa proprio veluti sinu recondit, accolisque vicinis nulla damna parat. Ubi vero ventis australibus, aut fervidiori coelo evaporant tutantes lymphae, mortifera terrae lutulentae et quasi fermentatae spiramenta emancipantur, ac summam atmosphaerae insalubritatem adducunt, quae ab ineunte aestate usque ad serum autumnum durare solet, nisi propitiae intercurrant conditiones. Paucitati igitur aquarum, quae paludes tegunt, earum quieti et exsiccationi, juxta margines plerumque incipienti, praecipua noxa est tribuenda, quam aëris malakia auget, ventorum frequentia minuit. Quod udorem diutius servat solum, quale est ex humo, argilla, vel turfa conflatum, genesi exhalationum paludosarum magis favet, quam sabulosum vel calcareum. Aqua marina putredini diutius quidem renititur ac dulcis; si autem semel conceperit putredinem, effluvia longe pejora eructat. Quamobrem paludes aquis salsis prolutae, testante jam Pringleo, graviores plurimum ac perniciosiores progignunt febres. Utrum haecce vis deleteria mephitis paludoso-marinae ab ad-

mixto Bromo dependeat, uti Plagge(1) suspicatur, hactenus non est evictum.

(1) Horn's Archiv für medicinische Erfahrung. Jahrg. 1830. p. 830.

204. Exhalationes paludosae majorem ac aër atmosphaericus habent gravitatem specificam, unde inferiora tenent strata, nisi radiis solaribus rarefactae adtolantur. Inde intelligitur: cur paludosa mephitis sub influxu benefico caloris et lucis solaris longe minus ac noctu noceat, et agricolae totam saepe diem in campis uliginosis impune transigant; cur horae vespertinae, obortis praesertim post Solis occasum nebulis, maximam habeant in febribus producendis efficaciam; cur loca elevatiora, quae palustrem uliginem circumdant, ipsa planitie interdum vix non infestiora sint, maxime illa, quae ventis ab infelici plaga spirantibus exponuntur; cur Romae habitatores contignationum superiorum saepe a febribus intermittentibus immunes vivant, dum contra graviter plectuntur illi, qui infima ejusdem domus conclavia inhabitant; cur in zona temperata paludes nonnisi aestate et ingrediente autumno, in regionibus tropicis contra toto anno plus minusve febriles morbos, eosque mali moris producere consuescant. Rores nocturni et pluviae miasmatis paludosi morbidam vim temperant; imminentes vero procellae, et praefocans, qui eas antecedit, aestus unacum electricitate negativa potenter intendunt. Licet observationes cel. Ferguson (1) docuerint, arborum cacuminibus effluvia mephitica absorberi; inde tamen sylvarum et lucorum ubertate noxias soli paludosi minui vix credendum; humiditas enim, quam arborum confertorum umbra fovet, atque impeditus ventorum mephites diflantium accessus depurando aëri omnino obstant. (2).

(1) Ferguson de natura et historia miasmatis paludosi. — In Medico-chirurgical Transactions. Vol. XI. P. 2.

(2) »Saevamque exhalat opaca Mephitim sylva.« Virg. Aeneid.

205. In hominibus demum ipsis plures latent rationes diversae efficaciae effluviorum paludosorum, prae aliis in vario gradu dispositionis ad febres intermittentes quaerendae. Diathesis vero febrilis plerumque jam est productum causarum occasionalium leviori tantum gradu agentium, quae in organismo renitente eousque delitescit, donec sub po-

tentiori vel diuturniori influxu causarum earumdem, aut sub accessu novae prophaseos in morbum manifestum prorumpat. Id ipsum de mephite paludosa sentiendum. — Homines robustos, succiplenos, juventutis vigore fruentes, vegetos, vel etiam torpidos, sobriamque vitam ducentes prae debilibus, teneris, vario intuitu enervatis et crapulosis, climatis uliginosi injurias longe minus experiri, nemo mirabitur. Sed etiam consuetudo haud proletariam habet vim in obtundenda dispositione ad morbos. Idcirco advenae, praesertim qui antea sub faustioris climatis vixerant auspiciis, dum regiones paludosas petunt, a febribus ibi endemicis longe facilius corripiuntur. Si autem primo impetui climatico resistere potuerant, pedetentim indigenarum instar adsuefiunt, ac sub protractiori mora minus patiuntur. — Somnum ortui febrium intermittentium faciliori multum favere, neque profanis regionum paludosarum accolis ignotum est; unde peregrinatores in paludibus Pontinis, in Agro Romano, in stagnis lacus Larii sedulo exhortantur, ne somno, in illis locis facile obrepenti, indulgeant.

206. Aquas, in quibus linum et cannabis contabescunt, pestilentes auras emittere, paludosae mephiti simillimas, atque febribus perniciosis generandis summe idoneas esse, antiquissimis jam innotuit temporibus. Cel. Lancisius febrem tertianam epidemicam inde ortum duxisse testatur, atque apud Anglos sub gravi poena cautum est, ne cannabis aut linum in fonte, stagno, aliove receptaculo aquarum publico, ubi pecudum greges et armenta solent aquari, macerentur.

207. Illis anni temporibus, ubi plures morbidarum aëris qualitatum concurrunt species, simulque typica diathesis potentius evolvitur (§. 186), vere utpote ac autumno, nec non aestatis fastigio, febres intermittentes crebrius obveniunt, vastius debacchantur, efficiuntque constitutionem epidemicam annuam, cujus periodicum circa aequinoctia recursum antiquissima jam experientia, atque vulgaris, praeeunte maxime Sydenhamo, scholis semper accepta febrium intermittentium in vernales et autumnales divisio confirmavit. — Accidit vero interdum, certis annis peculiares, hactenus ignotas, concurrere circum-

stantias cosmicas aut telluricas, quae non solum creberrimos suscitant febrium intermittentium casus, sed eis etiam maleficam imprimunt indolem. Efficiunt tunc epidemias intercurrentes, quas nonnulli medici plane ad dignitatem morbi stationarii extollere voluerant, si super majorem plagam dominatum exercuerit, atque per longiorem temporis intercapedinem perseveraverit. Verum ejusmodi epidemiae intercurrentes mali moris in illis tantum occurrere solent regionibus, in quibus continuo delitescunt febrium intermittentium germina, soli uliginosi et palustris ergo. Varias epidemias in Belgio observarunt Forestus (Anno 1556 et 1558), Verryst (1775), Fallot (1789), Sebastian (1807), Nieuwenhuys (1812). Maxime vero exitialis, diffusa et diuturna fuit illa, quae Anno 1826 Belgii et Germaniae septentrionalis provincias plurimas devastavit (1).

(1) Thuessink Algemeen Overzigt der epidemische Ziekte, welke in het Jaar 1826 te Groningen geherrscht heeft. Groning. 1827. — Pöpken Historia epidemiae malignae Anno 1826. Jeverae observatae. Bremae. 1827. — Nyhoff Specimen medicum exhibens observationes de Epidemia Groningiana Anni 1826. Traj. ad Rhen. 1827. — Banga Verhandeling over de epidemische Ziekte, welke gedauernde 1826 in de noordelyke Provincien der Nederlanden geherrscht heft. Amsterd. 1828. (Gekrönte Preisschrift.)

208. Reliquis causis procatarcticis minoris momenti accenseri adhuc merentur: 1) Victus pravus, dyspeptus, lentus, tenax, pinguis; in specie carnes suillae, pisces, ova, ostreae, mituli, panis mucidus, fructus horraei recentes et immaturi, melones, cucumeres, citruli, ficuum certum genus (Torti), incongrua miscela fructuum cum lacticiniis, pinguium cum aqua. — 2) Potus frigidus aestuante corpore avide sorbillatus, serum lactis, aqua corrupta, putida, infusoriis scatens animalculis. (1). — Aquam argillaceam prae aliis infensam declaravit Linnaeus. — 3) Animi pathemata in primas vias et hepar influentia: uti terror, metus, ira, stomachus de rebus iniquis. — 4) Purgantium et laxantium protractus usus, inanitiones, abusus Veneris. — 5) Materiae peccantes, quae ex abnormi secretione humorum ad ventriculum vel intestina delatorum efformantur, uti pituita,

bilis, colluvies serosa, vermes. — 6) Suppressio quarumdam secretionum et evacuationum habitualium, haemorrhoidum, catameniorum, exsiccatio impetiginum et ulcerum inveteratorum. — Diximus autem causas minoris momenti; eas enim absque majori dispositionis gradu febrem intermittentem vix excitare posse contendimus.

(1) Virey des animalcules infusoires, considérés comme la principale cause du danger des eaux corrompues, prises en boisson. (In Journal complémentaire du diction. des sciences médicales. Tom. XIV. Cah. 55. p. 201.)

209. Quo plura et intensiora simul concurrunt momenta causalia, eo minor requiritur dispositionis gradus. Hujus vero ad notabilem potentiam exaltatae praesentia sub levissimis, ac sensus nostros saepe fugientibus prophasibus, febri creandae par evadit; diathesis enim plerumque ab iisdem, quae morbum excitare valent, causis originem depromit suam.

210. Longe alieni sumus, quam ut febres intermittentes cum Fr. Hoffmanno, Meibomio, Cleghornio, Lautero et aliis contagiosas esse credamus; etenim pendent ab universali constitutione epidemica, certis ac definitis temporibus recurrente; producuntur a causis notis, iisque diversissimis; aucto hominum commercio non dissipantur, coërcito non exstinguuntur; plures homines una et non successivo passu invadunt; atque summum manifestant in recidivas nisum. — Caeterum, quomodo praesentia contagiosi fomitis, qui permanentes necessario effectus exerere debet, morbum per certa intervalla constanter intermittentem producere potest? — Id explicaturis nonnisi ad absurdam miasmatis genesin periodicam refugiendum esset.

211. Negari tamen nequit febres intermittentes perniciosas, et in specie septico aut nervoso charactere pollutas, sub faventibus, aegro tamen adversis, circumstantiis contagiosam induere posse indolem, prae aliis typhosam; id enim de omnibus valet febribus ad certum malignitatis gradum evectis, ac in colliquationem nitentibus. — Evanescunt vero tunc apyrexiae, atque typus intermittens mutatur in continuum.

NOSOGENIA.

212. Quo modo ex conflictu dispositionis et causae excitantis morbus oriatur, et qualis sit momentorum causalium nexus, unius ad alterum et utriusque ad ipsum morbum relatio, pathogenia seu nosogenia docet.

213. Omnium primo definienda erit ea organismi pars, quae potentiae morbificae actionem proxime suscipit, atque pathologis morbi atrium dicitur; directum enim cum rebus externis commercium sustinet.

214. Superficies cutis et tubi alimentaris palmarias sistunt corporis partes, quae cum causis febres intermittentes producere valentibus in conflictum veniunt. — Id non solum singularum causarum: atmosphaerae vario titulo vitiatae, victus pravi, purgantium, etc. dermatico systemati nunc directe, nunc indirecte infensarum agendi ratio; sed prae aliis etiam manifesta dermaticae compagis primarumque viarum labes intermittentes febres comitari solita, nunc dynamica, nunc organica, vel saltem insignis in eam propensio confirmant. — Superficiem contra mucosam fistulae aëreae vix non semper a morbosa adfectione immunem cernere licet.

215. Evictum jam habuimus, systematis gangliaris receptivitatem majorem disponens constituere momentum. Sunt autem nervorum splanchnicorum fines ut plurimum per tubi intestinalis et corii superficiem dispersi, quae princeps offert nocivarum potentiarum atrium. Hoc ob vigentem erethismum sphaerae sensitivae inimicarum causarum impressionem facilius persentit, retinet, ac ad centrum splanchnicum propagat, unde nexus inter momentum disponens et morbi atria concipitur.

216. Alterum nosogeniae momentum sistit modus, quo excitans causa supradictis percepta et suscepta atriis in organismum agit.

217. Etiamsi aëris paludosi et humidi, victus pravi, purgantium protractorum, animi pathematum, etc. actio intuitu primo, et praesertim nullo ad dispositionem respectu habito, deprimens aut debilitans adpareat, qualis

revera est, dum de sano agitur organismo; nihilominus tamen spectata abnormi systematis nervoso-gangliaris mobilitate, earumdem causarum actio relative incitans tanto clarius patet, si qualitatem momentorum excitantium simul computamus organismo humano inimicam, qualitatem utpote processum reproductivum pervertere conantem. — Imo si ad maximum gradum evecta est diathesis, nullus fere requiritur causae procatarcticae interventus, quum et quotidiani sanoque homini adcommodati stimuli febriles excitare valeant motus.

218. Posita igitur ejusmodi potentiarum in organismum actione, quam necessario nervi omnium primo percipere debent, reactio sequitur in illa systematis nervosi sphaera, quae cum ob languorem injuriis externis minus resistere valet, tum ob simultaneum erethismum facilius et promptius reagit, atque cum causis productioni organicae infensis majorem habet adfinitatem: quippe in gangliorum territorio. Hujus reactionis morbosae signa, quae ocyus seriusve sese manifestant, non possunt itaque nisi nervosa esse, et quidem referenda ad splanchnici systematis, in finibus aeque ac in centro offensi, potiores functiones: nimirum ad motum organicum automaticum et sensum communem. — En primordium paroxysmi febrilis, quod lassitudine, dedolatione, horrore, tremore, spasmo cutaneo, nausea, siti, vomitu, aliisque praevalentis contractionis signis distinguitur.

219. Quo diutius haec reactio morbosa durat, aut quo majori procedit intensitate; eo evidentius tollitur harmonicus ille singulorum organismi systematum ad unitatem conspirantium concentus. Contractivo enim factore ad altiorem potentiam incitato, infringitur expansivus, qui sanguineo praecipue repraesentatur systemate. — Quum vero cuivis efficientiae peculiaris insit se ad aequilibrium componendi nisus, universae polaritatis legi respondens; ita etiam circulatorii systematis justo intensior emicat energia, tanto magis, quod et materialis simul concurrat stimulus et impulsus; sanguis utpote a superficie versus corporis penetralia pressus. Insurgit ita pedetentim arteriosi systematis suppressus vigor, quo et sanguinis per omnia vasa aequa-

bilis inducitur partitio, et calorificatio intenditur, et spasmus superficialis vincitur. — En stadium caloris.

Neifeld de genesi caloris febrium intermittentium. Lips. 1744.

220. Quemadmodum factori contractivo susceptio principiorum externorum; ita expansivo eorumdem reductio in definitas fluidi aut solidi formas respondet. Inde fit, quod repristinata non solum, verum etiam ad altiorem gradum evecta arteriosi systematis vi, productionis organicae simul incitetur opus. — Illa, quae separantur, principia vel per diversa eliminantur colatoria, vel in nutritionem impenduntur. — Primo in casu organismus depuratur ab elementis superfluis et heterogeneis, cum manifesto saepe et critico symptomatum levamine, per urinas, sudores, aut secessus copiosiores, inducto; stadium criseos; quo facto pristinus inter singula systemata restituitur indifferentiae status: apyrexia. — In altero autem casu productionis munus quantitative aut qualitative vitiatum (fors ob impotentiam expansivae efficientiae, statum normae restituere non valentis), nunc abnormes secretiones, nunc emphraxes aut hyperepidoses producit, et quidem in illis organis; quae sub immediato imperio systematis splanchnici vivunt, atque ex parte structurae in vitia productionis magis sunt proclivia: intermittentium posthuma.

221. Paroxysmus itaque febrilis praesentat luctam, seu conflictum morbosum inter singulos processus organico-dynamici factores, speciatim inter systema gangliare et sanguineum, inter nervos et vasa, nitentem, ut sublatus harmoniae normalis status restituatur. — In mutuum tamen commercium et alia trahuntur systemata organica, quod in febre morbo constanter fieri videmus. — In exordio praevalet nisus contractionis, qui frigore, spasmo et constrictione superficiali, humorum versus internas corporis partes refluxu se manifestat. Serius praedominium adquirit motus organicus expansivus, calore uberius extricato, fluidorum versus superficiem impulsu, eorumque per varia colatoria explosione facile distinguendus.

222. Si contractiva potentia adeo praevaluerit, ut contraria ei expansio aequales opponere nequeat vires, vel in stadio frigoris pereunt aegri, vel saltem longum et grave

est stadium primum, vel vero ob deficientes criticas evacuationes fomes productione vividiore generatus in morbosam viscerum imperio gangliorum proxime subjacentium impenditur nutritionem; unde emphraxes et parectamata, aut effusionem laticis serosi, hydropem, ceu productum criseos erroneae, efficit. — In casu contrario factor expansivus contractionis effectus illico destruit; frigus ideo esse solet brevissimum et vix sensibile, calor diutius durat et acrius urit, atque vel levantes et copiosi extricantur sudores, vel vero massae organicae ipsarumque virium nascitur liquatio, cum nisu in scorbutum, diarrhoeam, ephidrosin, debilitatem perniciosam.

223. Efficientia expansiva in toto mundo praedominatur tempore vernali et aestivo; non mirum igitur, quod febres vernales et aestivae levi utplurimum frigore, calore autem intenso, et sudoribus profusis stipentur; quod in colluviem mucosam et biliformem, in diarrhoeas, choleras, ephidroses, virium debilitatem, atque massae organicae resolutionem nitantur. — Autumno contra praevalens fit nisus in contractionem, quem macrocosmica aeque, ac organismi animalis phaenomena manifestant. Inde febrium autumnalium frigus magis intensum et longum, sudores parciores, nisus in crystallisationem morbosam major, viscerum utpote obstructiones et incrementa morbosa, concipi possunt.

224. Quaeritur, utrum paroxysmi febrilis genesis, ejusque phaenomena ad universales leges dynamicas reduci atque inde fors majori cum probabilitate explicari possint?

225. Quatenus omnis processus vitalis legibus dirigitur chemico-dynamicis, atque in norma nonnisi tunc constitutus esse potest, ubi debitum simul conservat cum mundo externo concentum; haec autem reciproca relatio, unanimi medicorum neotericorum consensu, a justo prae caeteris inter imponderabilia atmosphaerica et animalia aequilibrio pendere videtur; eatenus etiam illa processus vitalis abnormitas, in exordio mere dynamica, quam febris intermittentis offert paroxysmus, ex turbata per influxus externos imponderabilium, et maxime electrici in systemate splanchnico conductione aliquatenus concipi potest, per quam

successive productio organica vitiatur, tanquam splanchnicis nervis immediate subordinata.

226. Pro re nata adduxisse sufficit: 1) Modus agendi plerarumque causarum febres intermittentes excitantium, cum illo negativae electricitatis collimat. — 2) Exhalationes telluris copiosae et tempestatum et febrium intermittentium creberrimi sunt fontes. — 3) Cutis superficies, commercium corporis animalis cum atmosphaera ejusque elementis sustinere destinata, in quavis intermittente abnormem ostendit conditionem atque electricae conductioni nunc favet, nunc obest. — 4) Imperium lunae statum electricitatis atmosphaericae, ipsamque imponderabilium in systemate nervoso conductionem evidenter alterat. — 5) Febres intermittentes influxibus utplurimum cosmicis et telluricis construuntur, ac saepe absque manifestis et materialibus oriuntur causis; quo in casu ad universalem tantum et mere dynamicum fontem recurrere possumus. — 6) Potentissima febrium intermittentium prophasis, mephitis utpote paludosa, ordinario cum statu electricitatis negativae incedit. — 7) Omnis paroxysmus conflictum praesentat inter duas potentias organicas e diametro sibi oppositas (+ et —), atque vel abundantiori finitur hydrogenesi, sudoribus, urinis, secessibus mucosis; vel frequentiori recursu hydropem parit; vel abnormem metamorphosin omnium libentissime in eo producit organo, quod juxta Home pro recipiendo superfluo latice aquoso, opinante autem sagacissimo Walthero pro hydrogenio e sanguine extricando destinatum videtur, scilicet in liene. — Simili ratione quoque alterata electricitatis atmosphaericae tensio hydrogenesi et pluviis constanter terminari solet.

227. Hactenus de origine et ducursu primi paroxysmi febrilis, cui (si nullae intercedant anomaliae) ad solemnem crisin perducto, plenaria simul causae producentis enervatio succedit docente id perfecta apyrexia eousque duratura, donec alter ad nutum praegressi emicet accessus.

228. Etiamsi vigens naturae vis utplurimum idonea cernatur ad componendum inter singulos factores vitales, ac inter singula systemata enatum certamen; nequaquam tamen, aut nonnisi raro, et unice sub faventibus circum-

stantiis capax observatur ad illas organismi conditiones emendandas et tollendas, quae in similes accessus proclivitatem fovent. — Remanente igitur dispositione, qua per causae procatarcticae interventum primus invitabatur paroxysmus, eaque per exantlatos brevi motus febriles, et inductas inde recentes in organismo mutationes non solum adaucta, sed etiam iterato circuitu semper ad altiorem crescente gradum, impressa manet organismo proclivitas similes metamorphoses subeundi, quae ad nutum imperii cosmici praedominantis varia periodo recurrunt.

229. Causa occasionalis itaque primum solummodo paroxysmum creat, cujus ad finem vel eliminatur, vel enervatur. Reliqui accessus unice a dispositione sunt repetendi, qui tamen utplurimum primo similes esse solent, talique modo synchronam quamdam praesentant oscillationem organico-dynamicam altiori cosmicae respondentem. — Menstruatio feminarum rei conceptum facilitat.

230. Ubicunque causa procatarctica per conflictum virium organicarum, paroxysmi sub forma adparentem, non exstinguitur, apyrexiae perfectae non conceditur locus; febris intermittens tunc fit subintrans, ac ad continuum inclinat typum. — Id ipsum contingit, si organicum quoddam posthumum, febre creatum, recentis causae vices agit.

231. Variae tandem febrium intermittentium complicationes et anomaliae minori difficultate concipiuntur, si perpendimus innumeras, quae in diversis systematibus et organis praeexistere possunt, labes, aetatem, sexum, vitae genus, causarum plurium concursum, epidemiam annuam, circumstantias adversas, clima, paroxysmorum intensionem et extensionem variam, sub quibus nunc sanguineum, nunc cerebrale, nunc reproductivum systema, nunc hoc, nunc illud organon ad vividiores concitatur reactiones.

CAUSA PROXIMA.

Junker de causa proxima febrium intermittent. Hal. 1770.
Ottaviani Alcune osservazioni sulla natura delle febbri intermittenti. Bologna 1819.
Gellini de causa febrium intermittentium proxima. Patav. 1823.
Blaud Mémoire sur la nature et le siège des fières intermittentes et remittentes. Paris 1824.

232. Quantae fuerint inter medicos varii aevi de proxima febrium intermittentium causa sententiae, ex fugaci potiorum conspectu facile colligitur.

233. Praxagoras proximam sedem quaesivit in vena cava, quum sensus horroris et formicationis per dorsum constanter decurrat (1).

(1) Cael. Aureliani Acut. et Chron.

234. Galenus fontem febrium periodicarum in variis primarum viarum sordibus scrutabatur, atque fideles ejus asseclae nonnisi eo discreparunt; quod diversas supposuerint fermentationis, cacochymiae et acrimoniae species, nunc in primis, nunc in secundis obtinentes viis, quemadmodum id crassae Humoralistarum pathologiae principia dictarunt.

235. Ita Felix Platerus in humoribus corruptis vasorum mesentericorum (1); Sylvius de la Boë in succo pancreatico ob stagnationem acidiori reddito, ad duodenum delato, et cum acri bile effervescente (2); Willisius in peculiari sanguinis fermentatione, quae chylum non satis adsimilatum, tanquam heterogeneum quoddam, et non exacte congener, vel subjuget, vel foras emandet (3); Ettmüllerus in fermento praeternaturali, salinae et in specie acidae prosapiae, ventriculo et primis viis ingenito (4); Robinson in sanguinis tenacitate (5); Sydenhamus in ebullitione quadam ignota (6) proximam causam posuerunt.

(1) Praxis med. Basil. 1625. Tom. II. Cap. 2. p. 52.
(2) Opera. omnia. Lib. I.
(3) De febribus. Cap. 3.
(4) Oper. med. Tom. II. L. I.
(5) Anim. oeconom. p. 444.
(6) Oper. omnia. Tom. I. Cap. VI.

236. Si vero perpendimus (quod alibi jam monuimus), sordes qualiscunque generis nequaquam in omnibus occurrere febribus, et si praesentes fuerint, complicationis potius gastricae, quam primitivae febris causam sistere, imo saepe productum febris diuturnae esse; evacuantia demum aliis titulis proficua fieri, quam saburrae eliminatione; hypotheticus opinionum valor facile elucescit, a cel. van Hoven jam abunde demostratus.

237. Inter medicos saeculi praeteriti Felicis Plateri ideas denuo ruminavit Chr. Lud. Hoffmannus; succique gastrici vitiatam secretionem defendit Senebier (1).

(1) Zusätze zu den Versuchen über das Verdauungsgeschäft von Spallanzani u. Senebier. A. d. Fr. Leipz. 1785.

238. Similibus fere principiis innixus magnus Boerhaave cruoris et succi nervei viscositatem (1), Senac vitiatam bilem hepatisque obstructionem criminatur (2).

(1) Aphorism. 755.

(2) Oper. cit. Cap. 6.

239. Horatius Augenius cum Fernelio a vigente tunc temporis opinione in eo discrepavit, quod triplicem agnoverit febrium intermittentium fontem: organa videlicet sensitiva, primas vias, et externam corporis superficiem.

Augenius de febribus. Lib. V. Cap. 6. p. 178.

240. Iatromathematici ad febrium intermittentium indolem explicandam, praeter varia humorum vitia, mechanicas simul in organismo mutationes supposuerunt.— Horum tribui prae aliis adnumerari debet Borelli (1), nunc breviorem, nunc diuturniorem succi nervei in glandulis moram adcusans; Cole (2), vitiatam qualitatem succi nervei, favente laxitate glandularum cerebralium viscidiorem consistentiam adepti, ac certo tempore regenerati supponens; et Bellini (3), qui visciditatem et lentiorem sanguinis motum, certo tempore renovatum arguebat.

(1) De motu animali in Mangeti Biblioth. anat. Tom. II. p. 1030.

(2) Guil. Cole Novae hypotheseos ad explicanda febr. interm. symptomata et typos excogitatae hypotyposis. Lips. 1695.

(3) De urina, pulsu, sanguinis missione, et febribus. Francof. 1718.

241. Prolatae sanguinis et succi nervei vitia nullis prorsus comprobari possunt argumentis; in simplicibus enim febribus desunt, et in complicatis potius effectum aut coëffectum lateralem, quam producentem causam sistunt.

242. Carol. Linnaeus, qui febres intermittentes ex usu aquae argillaceae, et suppressa transpiratione derivare voluit, aliorum medicorum adinstar causas excitantes cum proxima confudit.

Amoenit. acad. Tom. I. Diss. I. §. 81. Hypothesis nova de febr. intermittentium causa.

243. Idem valet de hypothetica, quam Werlhofius somniavit, ebullitionis specie inter aërem atmosphaericum et sanguinem.

244. Eximius Boerhavii Commentator a praeceptoris principiis in eo deviavit, quod sytsema nervosum in genesi febrium intermittentium maximam partem habere contenderet. — Quaenam vero mutatio in subtilissimo fluido nerveo, vasis minimis, vel enkephalo propriam causam constituat, et quare determinato solum temporis spatio actuosa fiat, ignorare se ipse auctor cum Sydenhamo ingenue fatetur.

Commentar. ad Aphorism. 757. p. 537.

245. Agnita serius solidorum, et in specie systematis nervosi in producendis et sustentandis febribus dignitate, etiam nosogenia febrium periodicarum ab antiquo tramite plurimum recessit; atonia enim et spasmodica fibrillarum constrictio nunc pro causa proxima declarabatur a Cullenii adseclis, Whytte et Bowdler, praeceptoris ad imitationem.

Bowdler Diss. de febrium intermitt. natura et indole. Edinb. 1776.

246. Humoralistarum et Solidistarum principia conciliare voluit Selle (1), qui primarum viarum impuritates cum peculiari (?) systematis nervosi conditione concurrere credidit.

(1) Rudimenta Pyretologiae. Berol. 1773. p. 88.

247. Incitabilistae, Brunonis fallaci pathogenia ducti (1), arduum argumentum solvisse autumarunt, febres intermittentes pro asthenico morbo declarando, qui varium astheniae gradum in variis stadiis offert; maximum in frigoris periodo, minimum durante sudore.

(1) Brunonis Elem. Med. §. 661.

248. Neque felicior in re explicanda fuit Giannini, qui, debilitatis cum nevrosthenia unionem supponens, febris intermittentis duplicem statuit indolem, sthenicam durante paroxymo, asthenicam tempore apyrexiae (1). Frivola ductus erat observatione, quod balnea frigida paroxysmum truncent, china e contrario in intervallis exhibita fe-

brem radicitus tollat. — Quis autem medicorum apyrexiae, ceu non enti, particularem tribuere vellet naturam?

(1) Giannini della Natura delle febbri. Nap. 1817. T. I. p. 71.

249. Van Hoven (1), praeeunte jam Mortono et Strackio, ad proprium confugiendum esse credidit miasma febrile, naturae hucdum ignotae, quod nervis inimicum, nauseosa sua virtute sensum gustus, in organis digestionis suppositum, ingrate adficit.

(1) Versuch über das Wechselfieber 1. Th. §. 43 — 54.

250. Ingeniosus Reil (1) causam proximam febris intermittentis eandem cum illa febris vasorum proposuit, cum ea tamen differentia, quod in intermittentibus processus vegetativus universalis et periodicus sit; cavens ab omni ulteriore explicatione.

(1) Reil's Fieberlehre. 2 Th. S. 160. Hal. 1804.

251. Marcus, Professor Bambergensis, proximam causam quaesivit in systematis lymphatici inflammatione (1); Walchius contra in statu inflammatorio glandularum abdominalium, quo earum secretio laeditur adeo, ut fomitem producat vitiosum, intra datum tempus chylo et sanguini commiscendum (2).

(1) Marcus Entwurf einer speciellen Therapie. Nürnb. 1807.

(2) Walch über die Fieber. S. 240.

252. Broussais, celeber medicinae Gallorum reformator, ejusque adseclae, Mongellaz, Bailly, Boisseau, Gendrin, Collineau, Bouillaud, genesin febrium omnium (quas ubique pro symptomaticis habent) ex processu phlogistico viscerum abdominalium, et praecipue tubi alimentaris explicare student. Omnigena gastro-enteritis ergo etiam febrium intermittentium Promus Condus esse debet. Si autem animo pervolvimus, in plurimis id genus febribus, maxime in aestivis, perniciosis, autumnalibus, cachecticis, putridis, nervosis signa inflammationis gastro-entericae prorsus deficere, ejusque indicia etiam in cadaveribus desiderari; et si perpendimus, corticem peruvianum, abactis complicationibus, tutissimam suppeditare medicinam; de opinionis fallacia sine negotio convincimur. Aenigma periodicitatis neque illa admissa solvi poterit.

253. Febrem intermittentem e duplici statu morboso, inflammatorio nimirum, et quadam commotione nervorum universali compositam defendit cel. Bailly; ideoque ante omnia phlogosin depletionibus sanguinis refrenare, ac postea turbatos systematis nervei motus Chinaceorum ope sedare suadet.

254. Cum praedictis sententiis eatenus collimat et illa clariss. Reich (1), Professoris Berolinensis, quatenus indolem inflammatoriam febrium intermittentium propugnat, atque in venaesectione princeps praesidium reponit. Sedem phlogoseos tamen praecipue in pleura et pulmonibus residere opinatur.

(1) Rust Magazin d. ges. Heilkunde. 31 B. 1830.

255. Prorsus allegoricae demum et mysteriosae expressiones de terrae motu microcosmi, de nervorum temperie periodica, disharmonia, etc. quibus nonnulli ad rem obscuram adhuc obscuriorem reddendam uti voluerant, nec mentionem merentur.

256. Inter omnes febrium intermittentium theorias, nobis quam maxime arrisit, quam medicus Clarus, re et nomine talis, exposuit, a nostra eo tantum differens, quod abnormem processum plasticum et secretorium pro paroxysmorum causa declaret, quem potius effectum esse contendimus.

Clarus klinische Annalen. I. Th. S. 97.

257. Quemadmodum recentiorum medicorum plures essentiam febris intermittentis mox in sola efficientiae nervosae anomalia specifica (1); mox vero in varia processus productivi abnormitate (2) quaerere voluerunt; ita nos utrumque momentum conciliari posse existimamus, stabiliendo morbi substratum et focum in sphaera sensitiva systematis productivi.

(1) Hufeland's System der speciellen Heilk. 2 B.
(2) Gruithuisen Oper. cit.

258. Si omnia, quae de dispositione, prophasi et nosogenia exposita fuerunt, rite inter se computantur, de proxima causa febrium intermittentium, quas tanquam febriles nevroses systematis reproductivi considerare licet, se-

quens concipi potest idea: sublatum utpote inter singulos factores vitales processus organico-dynamici (quos systema gangliare et sanguineum praesentant) aequilibrium, cum unius alteriusve abnormi nisu in formationem organicam, proinde vel in crystallisationem, vel in hydrogenesin, sub forma luctae, ad nutum oscillationis macrocosmicae, periodice renovatae.

259. Ne tamen quis credat, eam nobis inesse temerariam vanitatem, ut prolatis circa periodicitatem, nosogeniam, et causam proximam ideis omne scrutationis dubium solutum arbitremur. — Non est quod protulimus, nisi tentamen, quod etsi plures hiatus, pluraque dubia adhuc relinquat, majoris perspicaciae et experientiae viris facilius solvenda; juvabit tamen medicorum et tironum adtentionem in adeo arduum figere objectum. — Laudem quidem ac venerationem meretur candidum et modestum, quod nonnulli magni viri praetulerunt, ignorantiae adsertum; scientia tamen medica perfectionis ne hilum lucraretur, si cuncti eadem premerent vestigia. Rationis lucem nacti sumus, ut ea prudenter utamur in illustrandis, quoad vires sinunt, rerum phaenomenis atque causis. Qui tenebras amant, sub meridiana etiam luce caecutiunt. Qui ob erroris metum ratiocinia fugiunt, divinum rationis donum non merentur. Salebrosa quidem est, quae ad veritatem ducit, via, plurimisque intersepta maeandris; imo metam adtingere mortalibus saepe vetitum. Haec omnia vero nondum suadent soli acquiescere intuitu rerum, solisque sensibus uti; licet nos cautos esse debere jubeant in coërcendis phantasiae illecebris, inque evitandis futilium hypothesium laqueis.

260. Laetamur interim recentissimo aevo pluribus atque conspicuis Pyretologis placuisse, nostram de substrato, genesi et natura febrium intermittentium opinionem vel immutatam amplecti, vel paucis tantum modis variatam, aliisve verbis expressam proferre. Prae aliis notari merentur: Marino (1), Brachet (2), Schneider (3), Jos. Frank (4), Baumgärtner (5), et Berndt (6). Quodsi autem aliis non arrideat, neque sto-

machamur, neque obstupescimus, sed meliorem ardenter exoptamus. Caveant tamen scrutatores a communi, qui committi solet, errore, ne diathesin paroxysticam indeque pullulantem febrem periodicam cum accidentalibus complicationibus, vel effectubus secundariis confundant.

(1) Osservatore Medico di Napoli. 1824. Gennajo.
(2) Archives générales de Médecine. Paris. 1825. Nov.
(3) Oper. cit.
(4) Oper. cit. Vol. I. pag. 269.
(5) Oper. cit.
(6) Oper. cit. Vol. I. pag. 618.

TERMINATIONES FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

261. Febres intermittentes aliorum morborum more abeunt vel in salutem, vel in mortem, vel in alios morbos.

IN SANITATEM.

262. Conditiones, sub quibus intermittentium facilior conceditur in sanitatem transitus, sunt: 1) Subjectum nulla labe organica vel dynamica inquinatum, febribus nunquam obnoxium. 2) Causae leves, facile amovendae, non endemicae. 3) Epidemia vernalis. 4) Febris regularis, manifesta, simplex, quoad periodum tertiana, aut quotidiana postponens. 5) Circumstantiae secundae; vis naturae efficax; apta medela adhibita.

263. Ratio, qua sanitas obtinetur, est triplex: 1) Per molimina naturae. 2) Per circumstantias faventes. 3) Per artis adminicula rite selecta.

264. Critica naturae virium molimina, quae quidem constantem exerere solent efficaciam in singulis paroxysmis jugulandis, restituendo sublatum inter factores vilales aequilibrium; catenae tamen paroxysmorum solvendae nonnisi rarissime paria cernuntur. — Experientia docet, quod, quo major fuerit naturae medicatricis in truncandis singulis invasionibus idoneitas; eo minor esse

consueverit ejus in supprimendam paroxysmorum seriem facultas. Id evidenter docent febres autumnales, et omnes illae, quae perfectis et longioribus distinguuntur apyrexiis. — Major contra exsurgit naturae vis, ubi singulis paroxysmis imperfecte solutis febres subcontinuum servant typum. Excellunt febres vernales, quae quinto, septimo aut nono paroxysmo sponte interdum evanescunt, praeviis sudoribus largis, et hydroa febrili ad labia exorta.

265. Inter circumstantias fautrices notari praeprimis merentur coeli, et anni temporis permutatio, eventus secundi. — Febres endemicae saepe evanescunt, si morbifer locus cum salubri commutatur; epidemicae vero desinunt subintrante constitutione sibi ipsis non favente. — Eventibus secundis adnumerari possunt animi pathemata, imaginationis incitatio, fortuna improvisa, partus, pubertatis ingressus, etc.

266. Artis auxilia, quibus salutem restituere conamur, sunt vel interna, vel externa; pharmaceutica aut diaetetica, casui individuali adcommodanda.

267. Triplex esse consuevit sanitatis subsequentis genus; vel enim est imperfecta et relativa, quae, opportunitate dolose latente, data minima causa pristinae febris recidivam patitur; vel perfecta; vel demum melior adhuc, quam ante febrim fuit.

268. Praeter febres exanthematicas contagiosas, intermittentes per superioritatem depuratoriae dici possunt; earum enim in mitigandis, imo et tollendis chronicis et inveteratis malis, efficacia cuivis certe innotuit medico. — Non solum pertinaces viscerum abdominalium obstructiones, hydropes, anomalarum et diuturnarum febrium constantes soboles; verum etiam morbi comitiales, hypochondriases, arthrodyniae, paralyses, melancholiae, maniae salubribus febribus fuerunt fugatae. — Simili modo, quae a sanguinis fluxu menstruo defecerunt mulieres, sive aliis ejusmodi vitiis ipsaque chlorosi laborarunt, febris intermittentis benignitate consanescere sunt visae. Hinc etiam homines infirmi et valetudinarii post febres intervallatas perpessas prosperrima haud raro fruuntur salute. — Potissimum vero medicatrices observantur febres vernales,

quae non raro autumnalium posthuma solvunt, ipsamque contumacem diathesin extinguunt.

Metzler über die Vortheile des Fiebers in langwierigen Krankheiten. Ulm. 1790.

269. Nota denique est observatio, incrementum corporis in subjectis juvenilibus notabiliter promoveri, (Stoll Aphor. 404.) ipsamque evolutionem pubertatis, praesertim in puellis, promptiorem fieri, postquam benignas exantlaverint febres; ne quid dicam de longaevitate hominum quartana laborantium a Boerhaavio adserta.

270. Salutem vicinam indicant: typus regularior; paroxysmi manifesti, perfecte judicati, indies minus intensi, ita quidem ut frigore aut levi, aut nullo praegresso nonnisi mitis subintret calor cito dissipatus; functionum naturalium, digestionis, adpetentiae, menstruationis, lochiorrhoeae, secretionis lacteae reditus; sudores blandi, acidum spirantes; lotium limpidum, stramineum, copiosum; hydroa febrilis; euphoria universalis; emendatus corporis habitus, quem febres intermittentes diuturniores peculiari pallore squalido defoedare solent. — Quidam paroxysmum ultimum semper fortiorem esse existimant.

IN MORTEM.

271. Febres intermittentes letum adferunt: 1) Si subjectum pravum, cacochymicum, phthisicum, senile, profundo moerore adflictum. 2) Si causae occasionales potentes, organismo summopere infensae, uti sunt effluvia mephitica; aut si plurium noxarum concursus. 3) Si epidemia funesta, autumnalis aut aestiva, favente atmosphaerae malakia et calore excessivo. 4) Si febris anomala, erratica, comitata vel larvata, praesertim comatosa, syncopalis, algida, cholerica; charactere nervoso aut putrido, hydrope, scorbuto, aliisve gravioribns productionis organicae vitiis nupta. — 5) Si circumstantiae adversae, virium naturae languor, aut perversa medendi methodus, debilitantium abusus, Chinae praematura et inepta porrectio concurrunt.

272. Mors in febribus intermittentibus duplici sequitur modo, directo utpote ac indirecto.

273. Sponte autem liquet has febres nonnisi sub

paroxysmo mortem directam adferre posse; quae denuo vel ex causa sincere dynamica, vel ex organica viscerum nobiliorum metamorphosi vitam opprimente dependet.

274. Species mortis ex causa dynamica est illa, quae in febribus malignis et perniciosis, nervosis, algidis, syncopalibus inducitur virium vitalium inter se colluctantium consumptione: mors paralytica, ex debilitate.

275. Species vero mortis, quae ex materiali organi cujusdam labe fluit, vires vitales secundario modo sufflaminante, adigitur congestione sanguinis nunc circulationem et respirium praefocante (mors suffocativa, apopnictica), nunc supremum enkephali nervorumque munus obprimente (mors apoplectica). — Talis obtinet non solum in febribus comitatis et larvatis sub schemate soporis, apoplexiae, delirii, peripneumoniae delitescentibus, verum etiam in febribus simplicissimis valido frigore stipatis, praesertim in quartanis seniculorum. Ita perivit Carnoldus, princeps quidam Medicorum Vratislaviensium, qui saeculo XVII contra corticem peruvianum scripsit. Summopere rogarunt amici, ut ad remedium confugiat tutissimum, etsi ab ipso damnatum. Noluit vero, ac obivit inobedientiae et pertinacitatis martyr.

Alberti Diss. de febre intermitt. senibus letifera. Hal. 1751.

276. Omnes, qui febrium intermittentium atrocia directo interimuntur modo, aegri vix non semper in primo stadio vivere cessant; cujus quidem ratio ex impotentia factoris expansivi aequilibrium sublatum restituendi concipitur (§. 222). Rarius contra mors in altero sequitur stadio, per orgasmum et expansionem adeo incitatam, ut stases in organis male dispositis nascantur invincibiles. In tertio paroxysmi stadio vix ullus perit aeger, crisiumque hinc inde insufficientium ac infaustarum noxia potius ad morbi anomalias, et mortem indirectam ducit.

277. Mortem indirectam eamque creberrimam pariunt omnia, quae ex diuturno aut anomalo febrium intermittentium decursu scaturiunt, mala, febres continuae, nevroses, trophopathiae, eccrises, cachexiae.

278. Ratio mortis, quemadmodum de salute jam

diximus, vel in deficiente naturae operationum energia, vel in remediorum neglectu, aut selectu perverso, vel denique in adversis circumstantiis est quaerenda.

279. Cadaverum extispicia, etsi plurimum lucis adferant circa febrium intermittentium successiones, et sequelas; circa earumdem tamen indolem et naturam parum vel nihil instruunt. — Qui febribus recentibus et perniciosis sub ipso paroxysmo e medio tolluntur, nullas prorsus offerunt mutationes organicas sensibus discernendas, nisi excipiamus turgorem sanguineum in vasis enkephali et pulmonum, serumque effusum in ventriculis cerebri, mox mortis apoplecticae et suffocativae causam, mox tantum effectum liquationis humorum, ultimis vitae momentis accidentis. Quamobrem praepropera foret conclusio, in cunctis vasorum turgescentium casibus phlogosin supponere, eamque, ut Baillyo placuit, pro causa proxima febrium perniciosarum declarare velle. — Qui vero febribus diuturnis, aut potius earum posthumis fatalibus enecantur, varias exhibent in visceribus abdominis metamorphoses, praeprimis in hepate et splene, quae nunc volumine aucta, turgida, infarcta, indurata, marcida, corrugata, raro suppurata aut rupta cernuntur; nunc praeter voluminis augmentum nullam prorsus compagis et structurae alienationem praebent: parectamata simplicia. Rariora sunt vitia pancreatis et glandularum mesaraicarum, eaque organorum spiritalium. — Cadavera febribus vernalibus defunctorum interdum membranae mucosae ventriculi et duodeni levem irritationem inflammatoriam patefaciunt. Post febres aestivas biliosa colluvies in primis viis frequenter occurrit, sed potius ad complicationem gastrohepaticam, quam ad febrem intermittentem referri debet. In universum multa phaenomena a medicis perperam morbo primitivo tribuuntur, quae nil nisi effectum ejus secundarium, vel plane epigenomenon fortuitum sistunt. Majori cum diligentia, recte jam monente Cel. Puccinotio, rimanda forent nervorum filamenta et glomera, quae ad sphaeram medullarem et gangliarem spectant. Fortasse ibi inveniri posset illud occultum, quod fe-

brium intermittentium essentiam constituit, dummodo adeo subtilis non sit naturae, ut sensuum aciem effugiat.

Cleghorn Beobacht. über die epidem. Krankh. in Minorca. Gotha. 1776.

IN ALIOS MORBOS.

280. Sub conditionibus, quae nec sanitati restituendae favent, nec adeo funestae sunt, ut mortem adducere valeant, febres intermittentes in varia desinunt mala posthuma; et quidem vel in recidivam, vel in febres alius typi et naturae, vel tandem in morbos aliarum classium: in cachexias, eccrises, nevroses.

281. Inter febres, quae peculiarem in recidivas manifestant nisum, intermittentes vix non primum tenent locum; et quidem maxime febres autumnales, quartanae consistentes, diuturnae, endemicae, charactere nervoso aut cachectico complicatae, inepta medendi methodo praemature suffocatae. Relinquitur in omnibus casibus diathesis febrilis, quae minima causa data in novum excandescit paroxysmum, reliquarum invasionum seriem sustinentem.

282. Causis recidivas invitantibus adnumerari praecipue debent: potentiae deprimentes, refrigerium, purgantium aut venaesectionis incautus usus, quibus omnibus nervorum debilitas et erethismus generatur; demum errores diaetetici.

283. Haec in recidivas propensio interdum per plures latere potest menses, quin primitiva inter organismum et oscillationem cosmicam relatio typica alteretur; recentes enim invasiones febris recidivae vix non semper harmonicae esse solent cum illis febris prius exantlatae ita, ac si paroxysmi durante sanitate relativa typo immutato clandestine redire continuassent. — Inde est, quod e. g. recidiva tertiana non solum tertianum typum denuo servet, sed quod eodem irruat die, quo recurrisset supposito decursu non interrupto (1). — Non desunt tamen exceptiones.

(1) Van Hoven Oper. cit. T. I. p. 96.

284. Febris tertiana libenter die septimo post ultimam

invasionem, quotidianae vero et quartanae post decimum quartum recidivam pati solent.

285. Non infrequens denique est febrium intermittentium in alias formas, aliosque characteres transitus; ita benignae in perniciosas, manifestae in comitatas aut larvatas, simplices in compositas, typicae in erraticas, perfectae in subcontinuas variae indolis mutantur; aut viceversa. Essentiales mutationes typi nonnisi raro obtinent, ita ut quotidianae in tertianas, hae autem in quartanas abeant. Ratio latet in eo, quod quaevis species febris periodicae particularem suam agnoscat diathesin, unde typi cujusvis rudimentum (quod multi accidentale volunt) jam in principio febris, unacum ista ponitur; omnis autem conversio diatheseos primitivae semper valentes supponit causas, quas inter permutata constitutio annua primum locum tenet. Quae in tertianas vel quartanas fatiscunt, febres quotidianae, plerumque jam ab initio nil nisi tertianae duplices, vel quartanae triplices fuerunt. Typum tertianum unice sub transitu epidemiae aestivae in autumnalem cum quartano commutari videmus. Quartanas geminari quidem aut triplicari, primigenam vero typi rationem nunquam permutare, satis compertum est.

286. Febres intermittentes abeunt in continuas, et quidem: 1) Si alioquin ad subcontinuum jamjam inclinarunt decursum, perfectis apyrexiis destitutae; 2) si paroxysmi notabiliter anticipant, simulque porriguntur, ut uno nondum finito jam alter subintret.

287. Inter causas talis transitus recenseri debent: complicationes qualescumque, quae permanentem causae, aut effectus secundarii, causae vices agentis, praesentiam supponunt; praecipue complicatio inflammatoria, gastrica et putrida; epigenomena; irritamenta varia; vitia diaetetica; methodus medendi prava, sive in calefacientium, tonicorum, venenatorum, sive in debilitantium inepto usu consistat.

288. Pro diversitate causarum excitantium, epidemiae, dispositionis, aut complicationis jam existentis, variabit quoque character febris continuae subortae. — Frequentior tamen esse solet transitus in febrem gastrico-

pituitosam, in nervosam lentam, et hecticam facile concipiendus ex illis, quae de morbi dispositione, substrato et indole protulimus.

289. Communissimam febrium intermittentium successionem sistunt productionis organicae vitia, tum topica, tum universalia, cachexiarum sub nomine nota; quorum quaedam vigenti nisui contractivo (abnormi crystallisationi), alia e contrario praedominanti expansioni et hydrogenesi suam debent originem.

290. Emphraxes viscerum abdominalium, maxime jecinoris et lienis adeo familiare intermittentium phaenomenon, ut nullum magis. Rarius pancreas et glandulae mesentericae patiuntur. — In minimo gradu infarctus, in majori obstructiones vel indurationes, ad lapideam deniqne duritiem promotae, skirrhi vocantur. Supponunt materiae nutritiae abundantiam, ejusque pravam simul qualitatem, quae non solum in minimis vasorum ramis stagnat, majores dilatat, sed etiam cellulas parenchymatis infarcit, atque intimam texturam quandoque prorsus pervertit.

291. Quoad genesin horum malorum infames sunt febres autumnales, quartanae, diuturnae, endemicae, anomalae, adstringentibus intempestive ac imprudenter tentatae, nullo ad alvinos secessus respectu habito, aut similibus remediis durante paroxysmi calore oppugnatae, et in criticis operationibus impeditae. — Febres autumnales lieni, vernales hepati magis infensas esse, antiqua jam docuit Arabum observatio.

Juch Diss. de morbis ex febre quartana male curata, eosque legitime tractandi methodo. Erf. 1735.

Ranoe Observata circa febrium intermittentium diuturnarum et male tractatarum sequelas. (V. Acta Reg. Societ. med. Haf. niens. Vol. I. p. 385.)

292. Discernenda est idea visceris obstructi et indurati ab illa nutritionis excessivae, quae voluminis et massae augmentum efficit, quin structura et elementorum miscela alteretur. Viscera tali modo adfecta, succulentiora et quasi obesiora, majorem recipiunt materiae altilis copiam, quam metamorphoseos progredientis, seu

evolutionis organicae ope in formationem massae sui similis impendunt. — Repetita anatomorum solertium experimenta (1) docuerunt vasa sanguifera ultra modum dilatata, atque injectiones factas ad minimos usque vasorum ramulos penetrasse. — Conceptum rei facilitare juvat uteri gravidi contemplatio.

(1) Jacobi Reziae Specimen Observationum Anatom. et Patholog. Venet. 1802.

293. Ejusmodi viscerum abdominalium, hepatis praecipue et lienis, incrementa morbosa seu parectamata constantes febrium intermittentium effectus esse consuescunt, et ab emphraxibus (quibuscum tamen frequenter junguntur) eo differunt, quod interdum absque sanitatis detrimento per longum persistere valeant tempus; nisi mole infestent sua, quae non raro dimidium ventris cavum explet, et 40 librarum pondus adtingere visa est. Physconiam tunc producunt cachecticam, vulgari placentae febrilis (Fieberkuchen, Fieberzelten) nomine abunde notam.

Gendrin über die Umänderungen der Milz in Folge des Wechselfiebers (V. Journal général de Médecine. T. 100. et Gerson et Julius Magazin. 1827. 14. B. p. 328.)

294. Causam proximam emphraxium et parectamatum sistit abnormis nisus productionis organicae, nunc quantitative, nunc qualitative, nunc utroque modo vitiatae in crystallisationem, illis praesertim invitatus febribus, quarum paroxysmi imperfecte judicantur. Quamobrem saepenumero criseos erroneae specimen refert.

295. Secundaria, quae ab iisdem viscerum vitiis scaturiunt, mala sunt: haemorrhoides, menostasia, sterilitas, icterus, cachexia splenica, melaena, scorbutus, diathesis cholelithica, chlorosis, vomitus chronicus.

296. Aliam intermittentium successionem constituit hydrops, cujus duplex concipitur origo. — Vel pendet a supradictis ventralium viscerum vitiis, unde productionis munus redditur imperfectum et crystallisatio manca, metamorphoseos regredientis praedominans fit potentia, ac hydrogenesis intenditur; quo simul mechanica conspirat va-

sorum absorbentium pressio. — Vel vero hydrops immediate ex diathesi febrili, et ex turbato inter factores processus organico-plastici aequilibrio, vitae molimine critico non restituendo, praesertim ex cohibito sudore proficiscitur. — In primo casu potissimum askites, in secundo anasarca, aut levior ejusdem gradus, leucophlegmatia evolvitur. — Differt autem hydrops febribus intermittentibus extricatus ab aliis cute sicca et fere strigosa.

297. Etiam in hujus cachexiae genesi febrium autumnalium, quartanarum, diuturnarum, endemicarum, male tractatarum, ac parco sudore stipatarum eminens cernitur efficacia.

298. Tabes pedissequa nunc manifestum in ventralibus organis obstructis, induratis, suppuratis fontem agnoscit, nunc absque topico vitio ex universae productionis prava qualitate, et quantitate imminuta nascitur.

299. Intertrigo et scabies spuria per totum diffusa corpus, doloribus atrocibus juncta, ac in rodentia saepe fatiscens ulcera, ad rariora spectat posthuma.

300. Profluviis, febres intermittentes pervicaces, praesertim aestivas excipientibus, adnumerari debet dysenteria et ephidrosis nocturna. — Prior ut plurimum ex labe abdominali provenit; altera processus reproductivi totius alterationem, cum nisu in hydrogenesin et resolutionem supponit.

301. Quatenus febres intermittentes pro substrato primitivo nervosum systema agnoscunt, et quidem in specie sphaeram sensitivam systematis plastici; eatenus etiam concipitur non infrequens earum in nevroses transitus, quae mox mere dynamicam habent originem e factoribus vitalibus a normali deflectentibus orbita, mox vero a materiali pendent fomite, quem vitiata offert viscerum abdominalium et reproductionis organicae conditio.

302. Communiores ideo etiam esse solent nevroses sphaerae gangliaris, consistentes plerumque in sensus communis abnormitate, uti anorexiae et dyspepsiae chronicae, hepatalgiae, gastrodyniae, splenalgiae, hypochondriasis, hysterismus; rariores contra illae, quae altiorem systematis nervosi sphaeram,

cerebralem utpote, in mutuum consensum tractam ostendunt, uti epilepsiae, vesaniae (1). Intermittentes diuturniores, maxime quartanas peculiarem nonnunquam maniae speciem inducere, quae post evacuationes fortiores adhibitas in miseram quandam stultitiam nonnisi cum ipsa aegrorum vita finiendam abit, Sydenhamus testatur (2).

(1) Sebastian Bemerkungen über die Melancholie und Manie als Nachkrankheiten der Wechselfieber. (In Hufeland's Journal der prakt. Heilk. 1823. Juni. p. 3.)

(2) Sydenhami Opera omnia. Tom. I. Sect. I. Cap. 5.

PROGNOSIS FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

303. Quae in morborum futuro eventu plus minusve probabili praesagiendo tutissime ducit prognosis, est empirico-rationalis; deprompta ex numerosis oculatorum medicorum observatis, atque justis medicinae rationalis principiis suffulta.

304. Hippocratis Aphorismus (Sect. IV. Aph. 43): »Quaecunque modo febres intermiserint, quod sine periculo sint, significant,« neque post detectam Cinchonae virtutem suum defendere potest valorem, nisi excipiamus febres simplices, benignas, et vernales. Negari tamen nequit, febres intermittentes, caeteris paribus, spe meliore quam remittentes consolari.

305. Varium, quod febres intermittentes includunt, periculum, divisioni in benignas et perniciosas ansam dedit. Intelligunt autem practici generatim nomine febris perniciosae, quae vel primis jam morbi diebus, vel sub decursu adamussim procedente, inauspicato et sine causa sufficienti vires vitales aut organa nobiliora cum in modum pessumdat, ut maximum vitae discrimen immineat, ipsave mors improvisa sequatur. Indoles itaque feralis, et dolosa perfidia praecipuos constituunt characteres; quandoque enim benignitatis fucum facit, speque plena consolari videtur, accessione autem proxima agrotum jam praecipitat. Febres larvatae, comitatae, nervoso et putrido charactere stipatae, sub funestis auspiciis tropici cli-

matis, fervoris aestivi et mephitis paludosae progenitae, prae aliis perniciosarum choro adnumerari solent, de quibus Lud. Mercatus, Lancisi, Torti, Werlhof, Alibert(1), Sebastian, Mongellaz, Puccinotti, Monfalcon, Bailly, Kirckhoff, Thuessink, Johnson et Reider pretiosas collegerunt observationes.

(1) Alibert Traité des fièvres pernicieuses intermittentes. 5ieme Edit. Paris 1819.

306. Momenta praecipua, quae prognosin dirigunt, et sortis futurae praestantissima auguria spondent, sunt subjecti conditio, causa et constitutio epidemica, symptomata, typus et decursus, complicationes. — Ex his prognostica desumitur amussis, habito praeprimis ad ea, quae de terminationibus dicta fuerunt, respectu.

QUOAD SUBJECTUM.

307. Senes a febribus intermittentibus in summum conjiciuntur periculum. — Nonnulli sub ipso accessu mortem apoplecticam oppetunt; alii, praesertim febribus quartanis conflictati, monente jam Celso (De Medic. III. 21.), hydropis supervenientis vel morbi regii casu tolluntur. — In tenellis, qui medicamina respuunt, febres saepe letiferae fiunt. — In pueris, ob solitam voracitatem, facile pertinaces redduntur; praecipue si cum vermibus, aphthis, aut cachexia pituitosa (blennosi) complicantur.

308. In gravidis et puerperis quaevis intermittens periculosa. — Mulieres, graviditatis tempore febribus intermittentibus adflictae, ante partum raro ab illis liberantur, vel plane abortum patiuntur. — In puerperis inflammationum abdominalium incutiunt metum.

309. Subjecta juvenilia facilius evadunt, quam adulta; feminae facilius quam viri. — Male a febribus habent subjecta haemoptoica et phthisica, quibus aequinoctia alioquin funesta esse solent. — Non minus patiuntur homines debiles, effeminati, exinaniti, scorbutici et syphilitici, luctuoso moerore aut nostalgia adflicti. — Robusti ex adverso, sanitatis vigore pleni, et quorum corpus sanguine abundat, febres intermittentes facilius exuunt. — Organica viscerum

labe adfecti ab intermittentibus difficulter liberantur. Ita van Hoven pertinacem febrem nonnisi tunc supprimere potuit, postquam inveteratam reposuerat herniam. — Qui mercurio non dudum usi sunt, diu a febribus manent immunes (Joseph Frank).

QUOAD CAUSAS ET CONSTITUTIONEM EPIDEMICAM.

310. Quo plures potentiae nocivae ad febris genesin conspirant, eo gravior nascitur effectus. — Inter omnes causas generatrices, pessima est paludum mephitis. — Atmosphaerae humiditas protracta sanationi plurimum obest.

311. Autumnales pejores sunt vernalibus, recidivas frequentissime patiuntur et totam hyemem interdum durant, donec vernalis tepor eas fuget. — Pessimae sunt aestivae, si ardens Sirius et malakia in concursu aliarum circumstantiarum origini, et anomaliis favet. — Vernales non raro autumnalium reliquias dissipant; augmentum corporis faciunt.

312. Omnes intermittentes discrimine scatent, ubi larvatas eodem tempore observare licet. — Mutata epidemicae constitutionis ratio quandoque sola intermittentes solvit. — Grassante epidemia putrida, dysenterica, aut contagione quadam, intermittentes quoque periculo terrent. — Contumaces per eminentiam sunt febres endemicae, quae in palustribus grassantur terris, et quidem mox propter ominosa, quibus paroxysmi stipantur, symptomata, mox propter varia, quae machinari solent, posthuma, sanatu difficilia vel et fatifera.

QUOAD SYMPTOMATA.

313. Benignae sunt febres manifestae, quarum paroxysmi singula rite percurrunt stadia, solemni crisi finientes. — Omnes febres comitatae et larvatae sunt mali moris; pessimae vero, quae ominoso stipantur aut celantur symptomate, maxime comatosae, apoplecticae, syncopales, algidae, cholericae, ephidroticae. — Quo nobilius organon topice adfectum, eo majus discrimen.

314. Quibus unum alterumve deficit stadium, medelam difficilius admittunt. — Ancipites sunt febres horrore

aut algore intenso, et diuturno orsae; quae in altero stadio deliriis, convulsionibus et gravi kephalalgia junguntur, nullo sudore levantur, aut vero largam et debilitantem ephidrosin relinquunt. — Quarum tamen paroxysmi largis terminantur sudoribus, in viscerum obstructiones et hydropes raro abeunt. — Febricitantes, quos fames canina simul vexat, in praecipiti versari dicuntur (Vogel).

QUOAD TYPUM ET DECURSUM.

315. Quo magis febres intermittentes ab ordine deflectunt, quo manifestius semet duplicant et typum inordinatum arripiunt, eo pejus. Idcirco febres erraticae regularibus, compositae simplicibus pertinaciores sunt, et sanitatem raro admittunt, nisi prius in regulares et simplices convertantur. — Pertinacissima dicitur quartana et quotidiana duplicata; post eam quartana triplicata. — Febres duplicatae duplici saepe solvuntur modo: una febris sua crisi soluta, aut remediis jugulata interdum silet, altera persistente; vel utraque pari tempore cessat.

316. Inter simplices quartana ab omni aevo opprobrium medicorum dicebatur; minorem pertinaciam ostendit quotidiana; omnium obsequiosissima est tertiana. — Febres tertianas vernales septem circuitibus interdum sponte solvi, antiqua docet observatio. — »Quartana neminem jugulat, ait Celsus, sed si ex ea facta quotidiana est, in malis aeger est; quod tamen, nisi culpa vel aegri, vel curantis, nunquam fit.« Hic procul dubio conversio febris quartanae simplicis in triplicatam intelligenda.

317. Febres consistentes, inveteratae et recidivae crebro habituales fiunt, ac difficulter eradicantur. — Febres anticipantes in continuas facile abeunt, maxime si pluribus horis praecocior est accessus; minorem tamen ostendunt pervicaciam ac postponentes. — Consistentium febrium paroxysmi dum anticipare aut postponere incipiunt, major habetur salutis spes.

318. Non omnes febres, quae rebelles sunt, periculosae et perniciosae dici merentur; quartanas enim saepe per menses et annos protrahi cernimus.

319. Signis bonis adnumeratur hydroa febrilis, seu

congeries phlyctaenarum humore seroso, lymphatico aut puriformi repletarum, quae praesertim ad labia, circa nasum, rarius ad auriculas, et quidem teste Weickardio ad sinistram erumpere solet. Nisi a fomite gastrico pendeat, proximam indicare consuescit salutem, ac ideo pro critico habetur phaenomeno. — Urinae stramineae copiosus per plures hebdomadas fluxus, metum chronici mali tollit. — Optimum in febre intermittente, dum aeger screator factus est (Jos. Frank).

QUOAD COMPLICATIONES.

320. Febres simplices, meracae et perfectae non quidem semper sanatu facillimae; plerumque tamen minus periculosae. — Quae inflammatorio aut gastrico complicantur charactere, breviores et benigniores observantur; pertinaciores contra, et sanatu difficiliores nervosae et cachecticae. — Insignes viscerum obstructiones diathesin paroxysticam pertinaciter fovent ac sustinent, ideoque sanationi plurimum obstant; quin perfectam salutem recuperare raro sinunt. Omnium pessimae sunt putridae ac nervosae lentae; non excipiendo tamen et gastrico-pituitosas, dum male tractantur.

THERAPIA FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

321. Methodus medendi directa in febribus intermittentibus rarum habet usum; causae enim aut sunt ignotae; aut jam ablatae, persistente tamen effectu; aut prorsus non amovendae.

322. Ubi earum in corpore praesentia, aut saltem continuans in organismum actio inimica patet, primus indicationis scopus in earundem amotione consistit. Ita saburras primarum viarum emeticis, vel purgantibus quantocyus eliminare; humiditatem, aliave aëris vitia qualiacunque itinere, habitaculi mutatione, regimine apto, etc. quantum fieri potest, evitare oportebit.

323. Ast et haec nonnisi raro votis respondent; compertum enim habemus, solam diathesin febrilem sub influxu potentiarum cosmicarum nullo modo amovendarum,

licet causa occasionalis jamjam sublata sit, ad periodicarum invasionum seriem sustinendam sufficere.

324. Sub tali rerum positione ad indirectam omnino refugiendum erit therapiam, quae et organismum ita disponit ac firmat, ut influxibus externis resistere valeat, et vires simul organicas ea ratione moderatur, ut suo molimine ad morbosam diathesin et effectus inde pendentes dissipandos idoneae reddantur.

325. More omnium morborum periodicorum et intermittentium therapia duplex esse debet; alia nimirum durante accessu, et alia tempore intermissionis. — Prior plerumque palliativa, altera radicalis.

I.

CURA SUB PAROXYSMO.

1. *Methodus symptomatica.*

326. Cura paroxysmi utplurimum symptomatica esse consuevit, eo quidem intenta, ut colluctantes vires naturae moderetur, optatam crisin coadjuvet, symptomata periculosa domet, molesta leniat. — Variat pro diversitate stadiorum, et symptomatum paroxysmos comitantium.

a.

IN FEBRIBUS MANIFESTIS.

327. Quorumdam medicorum sententia nihil prorsus agendum esset in paroxysmis regulariter decurrentibus. Et revera multi aegri absque ullo remedio feliciter evadunt. — Docet nihilominus experientia, naturae operationes adjuvari, atque decursum symptomatum regulariorem reddi posse opportunis adminiculis sub ipso accessu adhibitis.

328. Imminente opportunitate, quam nonnulli aegri pluribus ante paroxysmum horis praesentiunt, aut saltem exspectant in febribus regularem typum servantibus, res magni momenti est, ut lectum adeant, atque nihil de alimentis suscipiant, quae mole aut qualitate ventriculum onerare possent; secus enim vomitus facile inducitur molestus, augetur anxietas, atque gastrica invitatur colluvies.

329. Irruente frigore febrili omnis medici intentio eo dirigi debet, ut excessiva factoris contractivi praepotentia infringatur, ac pendentes inde effectus avertantur; factoris contra expansivi suppressa actio liberetur, adjuvetur. — Convenit praecipue caloris moderati prudens adplicatio: tepor lecti, corpora calida, arena, furfures, lagenae aqua fervida repletae, lateres calefacti, aliaque similia extremitatibus admota, lodices et lintea corporis superficiem arcte tegentia, potus tepidus, diluens, leniter diaphoreticus: uti infusum florum Sambuci, Tiliae, Chamomillae, herbae Theae, etc. — Ad frigidam plerique aegri spurio et facile deleterio ducuntur instinctu.

330. Venaesectionis in hoc stadio non conceditur usus, nisi apoplexiae, aut peripneumoniae funestae metus symptomaticam deposceret vasorum majorum depletionem. — Pertinax nausea vomitum cieri jubet, cui aqua tepida utplurimum sufficit.

331. Suborto calore imminui debent stragula et omnia remedia calefacientia. Pro potu nunc magis convenient refrigerantia, acidula, nitrosa, aut simplex aqua egelide sorbillata, ut organismus ad diaphoresin et diuresin salubrem disponatur.

332. Si tamen calor nimis exorbitet, atque orgasmus excessivus peripneumoniam, anxietatem, delirium, soporem, aliaque symptomata periculosa producere audet, favente praeprimis epidemiae et subjectivae constitutionis in diathesin phlogisticam propensione, ipsi venaesectioni prudenter institutae locus conceditur; liberatis enim justa sanguinis missione viribus, ac expansivae potentiae vigore tantillum infracto, criticae non solum expediuntur operationes, verum etiam, teste Botallo, ipsa febris subinde jugulatur.

333. In stadio demum criseos salubres evacuationes sunt expediendae, praesertim illae, quas natura per superficiem corporis perficere molitur. Sudor itaque inchoatus tepore conclavis et lecti aequabili, potu theato calido, sambucino blande promovendus, vi tamen nunquam urgendus. — Sedulo caveatur ab omni refrigerio, ac indusia profuso sudore imbuta debitis cautelis mutentur; madida enim

facile refrigerantur, ac recentes in sensili cute excitant horripilationes et contractiones, quibus non raro recens invitatur paroxysmus, aut regularis interrumpitur febris decursus.

b.

IN FEBRIBUS LARVATIS ET COMITATIS.

334. Quum fere infinitus sit symptomatum numerus, quae anomalas sub ipso accessu comitari possunt febres, etiam methodus medendi symptomatica diversissimis obnoxia erit modificationibus, dirigendis semper in illud symptoma, quod eminet, urget, aut molestat; habita tamen semper ratione indolis, status virium praevalentis, ac organi vel systematis eminenter labefactati.

335. Tractamen paroxysmi sub schemate phlogoseos cujusdam decurrentis, aut insolito inflammatorii ingenii symptomate comitati, semper antiphlogisticum sit, oportet, gradum auxiliorum gradui morbi adcommodando, ipsasque venaesectiones ac hirudinum salubrem usum non negligendo.

336. Febres contra turbis nervosis junctae aut occultatae stimulantibus, nervinis, revellentibus, praecipue Camphora, vino et Opio egent.

337. Immoderata profluvia qualiscunque generis, aptis remediis individuali casui adaptatis sunt cohibenda.

338. Specialiores regulae ex generali cura symptomatica facile desumentur. (Vide Pyret. gen. §. 681 etc.)

339. Notari hic loci adhuc merentur duae methodi a medicis in usum tractae, quibus non solum paroxysmi imminentis aut praesentis symptomata urgentia moderari, sed eodem ictu simul radicalem curam efficere conamur, proëgumenon praesertim momentum destruendo; methodus nimirum praevertens et confundens.

2. *Methodus praevertens.*

340. Medendi methodus, quae instantem paroxysmum avertere, aut illius saltem vehementiam infringere

nititur, commendatione digna est: 1) ubi paroxysmus imminens, sive manifestus, sive larvatus, sive ferali symptomate comitatus, vitae periculum minatur; 2) ubi febris pertinax contra quaevis alia remedia rebellis persistit; 3) ubi consistens febris fixa recurrit periodo.

341. Princeps scopus talis praxeos est, ut diathesis febrilis invertatur, nervis alienam conciliando impressionem juxta leges antitheseos in organismo vigentes; vel vero conditiones hebetando, quibus paroxysmorum sustinetur circuitus. — Remedia, quae hoc efficere valent, sunt: 1) Emetica. 2) Drastica. 3) Sudorifera. 4) Narcotica. 5) Specifica. 6) Psychica.

342. Emetica ante paroxysmum ita propinata, ut eorum actio exacte coincidat cum phaenomenis invasionis febrilis, paroxysmum futurum non solum elidunt, vel saltem refraenant; sed etiam non raro febrem intermittentem radicitus exstinguunt. — Exhibetur emeticum quadrante horae ante paroxysmum, si constans fuerit ejusdem ingressus, aut dum imminere eum doceant consueta opportunitatis signa. — Praeplacet pulvis Ipecacuanhae; vel Tartarus emeticus, ubi simul catharsin promovere arrideret. — Quo major inde excitatur nausea, et corporis concussio; eo securior eventus. Imo compertum est solam nauseam, quam Dioscorides cimicibus et pediculis ingestis excitare novit, ad evertendas febres sufficere.

343. Drastica fortiora, uti Jalappa, Scammoneum, Colocynthis, et similia, non minus ac vomitoria nervos splanchnicos salubriter feriunt, praecipue si tumultuariam induxerint hypercatharsin. (Schraud.)

344. Utraque methodus, etsi suam in simplicibus febribus jam abunde defendat laudem, tanto efficacior omnino evadit; si praeter impressionem nervis factam simul saburrae cujusdam hospitantis evacuationem conciliat. — Non minus quadrabit, ubi diuturnas viscerum stases deobstruere scopus fuerit.

345. Characterem febris inflammatorium, activas in variis organis congestiones, viriumque debilitatem veram, emeticorum et drasticorum vetare usum, sponte liquet.

346. Sudorifera. Quatenus diaphoretica poten-

tiora cutis functionem, in febribus intermittentibus persaepe laesam, restituere, nociva vegetationis abnormis producta versus superficiem determinare, atque peripherícos nervorum fines irritando antagonisticam a centro revulsionem efficere valent; eatenus eorumdem remediorum in singulis casibus efficacia haud difficulter concipitur, praesertim in febribus, quarum decursus anomalus et pertinax redditur ex defectu critici sudoris.

347. Singula indicata varii generis esse possunt, nunc leniora, nunc fortiora; infusa calida florum Sambuci, Anisi stellati, Theae Boeae, radicis Angelicae, potus Punsch, pulveres Doweri (Fordyce), calor lecti et hypocausti, balnea calida, vesicantia et rubefacientia, frictiones. — Ipsa nauseam moventia remedia sudores egregie expediunt.

348. Notum abunde est, crapulam vel saltum paroxysmos febriles quandoque praevertere. Ipse plebejorum quorumdam mos, tribus vel quatuor horis ante accessum cursitandi, cremato piperato sanguinem excalefaciendi, internam carpi manus superficiem Allio, Cepa, aut Ranunculis contusis irritandi, eundem saepe praestat effectum.

349. Vetant autem fortiorum sudoriferorum usum: plethorica subjecti conditio, character febris inflammatorius, et saburrae qualiscunque praesentia.

350. Narcoticorum beneficam in praevertendis paroxysmis actionem et experientia confirmat, et ipsa ratio suadet; languentem enim energiam vitalem erigunt, sensilitatis vero excessum moderant, talique modo sublatum singulorum factorum aequilibrium restituere juvant. — Eminent inter ea Opium, Amygdalae amarae, et gas acidum carbonicum.

351. Opium, suadente Lindio et Stoerckio, dosi largiore mox ante paroxysmum exhibetur, vel etiam sub ipso accessu, innuente Dalbergio; sed, quod bene notandum, nonnisi in primo stadio. Evoluta, dum irruit calor, majori expansionis vitalis potestate, phlogistico principio scatentia remedia, quorum princeps actio a centro versus peripheriam extenditur, semper damnosa erunt. — Amygdalae amarae a Hufelandio propositae, et a Medico Mylius recenter commendatae (1), sub forma

emulsi e drachma una parati, ante paroxysmum sumendae, incertum sistunt remedium. — Gas acidum carbonicum, e miscela potassae aëratae acido quodam extricatum, ac sub ipsa effervescentia duabus horis ante paroxysmum epotum, a Crollio proponebatur. Lind cretam cum aceto eodem scopo exhibuit. — Defectus propriae experientiae effectum confirmare nequit.

(1) Russiche Samml. für Naturwiss. und Heilkunst von Dr. Rehman und Burdach. I. B. 1816.

352. Remedia specifica antipyretica futurum paroxysmum eatenus praevertere valent, quatenus securissima sistunt ad enervandam diathesin febrilem adminicula. Cinchonacea et Arsenicum huc spectant.

353. Quanta demum sit commotionis animi et pathematum in elidendis febrium accessibus efficacia, nemo est, qui ignorat. Ita gaudium improvisum, terror, ira, plures jam aegros ab intermittentibus liberavit. Idem efficiunt: adtentio in quoddam fixa objectum; distractio amoena; lusus; musica; nisus corporis et animi, quo pacto Quintum Fabium Maximum a febre quartana in acie liberatum fuisse, historia refert; fiducia in certa remedia, maxime superstitiosa, vana in se, efficacia tamen in credulis, quorum innumera a plebejis et impostoribus proponitur series, uti sunt amuleta (quorum speciem, cum inscriptione: Abracadabra, ispse Serenus Sammonicus proposuit), panis S. Nicolai, jejunia, allocutiones mysticae, cor leporinum, infusum cancrorum vivorum cum vino, etc. — His omnibus peculiaris non solum efficientiae nervosae tranquillitas, crethismo cuicunque componendo summe idonea induci, verum etiam, antagonistica in cerebro reactione excitata, sphaera gangliaris erga influxus externos minus obediens reddi videtur. — Maniacos febribus intermittentibus rarissime obnoxios esse, rem confirmare juvat.

354. Etiamsi ejusmodi excitamenta psychica artificialiter inducta non in omnibus casibus adhiberi possint, dependebit tamen a medici prudentia animum aegrorum ita disponere, ut fiducia, spe, aliisque gratis impressionibus exhilaretur. — An magnetismus animalis?

3. *Methodus confundens.*

355. Quae paroxysmum jamjam inchoatum invertere, elidere, aut saltem abbreviare et imminuere nititur methodus, confundens vocari solet; ac in omnibus iis casibus adplicationem meretur, nec ne, qui praevertentis usum petunt aut vetant.

Brown (John) Treatise on repelling the Paroxysm of Intermittent Fever. London 1826.

356. Tempus pro methodo confundente opportunum praebet stadium primum. Ancipiti contra eventu instituitur in stadio caloris. Aperte demum nocet in ultimo, ubi natura in salubribus facile perturbatur operationibus.

357. Scopus hujus methodi, aeque ac prioris, ille esse solet, ut imminens gravioris et anomali accessus periculum avertatur. Pluribus vero medicis adhibetur ad ipsam radicalem febris intermittentis curam facilius et leviori pretio obtinendam, quam eo tutius suscipi posse contendunt sub ipsa virium vitalium lucta, earumque versus inimicam causam contentione.

358. Indicata sunt eadem, quae prius adtulimus, emetica videlicet, drastica, sudorifera, narcotica et specifica, atque efficacia evadunt vel erethismum directe sopiendo, vel alia systemata antagonistico modo feriendo. — Eminent tamen emetica et specifica debitis cautelis adhibita.

359. Corticem peruvianum scopo paroxysmos confundente jam proposuerunt Frassoni, Torti, Cullen, et Hahnemann. — Inter recentiores vero Thuessink, Professor Groningensis, et Nasse laudibus denuo extollebant hanc methodum (1), drachmam unam, vel unam et semis Chinae selectae in duas partes aequales dividendo, quarum prima dosis hora ante paroxysmum, altera sub ingressu horripilationum exhibeatur. — Tali modo saepe non solum invasionum vehementiam imminui, sed etiam, dum altera aut tertia repetatur vice, febrem ipsam ex integro tolli, dictorum Virorum aeque ac propria experientia docuit. — Languidus stomachus Chinam aptis coindicatis jungi jubet. Sin autem oppressio, anxietas, vo-

mitus, caloris febrilis augmentum, aliaeve molestiae sequantur, omnino recedendum.

(1) Hufeland's Journal. 1814. 1. St. S. 78.

360. Trium adhuc remediorum, quae confundente scopo proponebantur, mentionem fecisse juvabit: tornaculi utpote, venaesectionis et psychrolusiae seu frigidi lavacri; quorum prima duo in stadio frigoris, tertium ingruente calore adhibenda forent.

361. Paroxysmum fere in instanti supprimere valet arcta majorum membrorum ligatura, vel tornaculi ope constrictio, a Kellie omnium primo proposita et nuper a quibusdam medicis Gallis iterum commendata (1). — Manet vero semper remedium summe anceps, quod nonnisi in gratiam evidentis periculi, et maxima sub circumspectione adhiberi posset, quum, sanguinem versus majora urgendo vasa, funestos effectus, vasorum rupturam, palpitationem cordis, apoplexiam, et ominosa animi deliquia (2) facili negotio invitet.

(1) Bourgery Quelques faits sur l'emploi des ligatures circulaires des membres dans la pluspart des maladies periodiques. Paris. 1827.

(2) Martinet (Bibliothéque médicale. Avril. 1821.)

362. Neque majorem laudem merentur venae sectiones, sub ipso stadio frigoris indiscriminatim perficiendae (exceptis casibus §. 330 indicatis), quarum ope medici anglici Mackintosh et Ridgway (1) febres intermittentes fugasse testantur; aliorum enim experimenta funestos hujus tumultuariae medendi rationis effectus abunde evicerunt. Paroxysmorum decursus antea regularis, sanguine detracto anomalus reddebatur, febres tertianae in quotidianas, istae autem in duplicatas vel continuas malo omine convertebantur (2).

(1) In the Edinburgh medical and surgical Journal. 1827.

(2) Stokes Klinische Beobachtungen über Blutlassen bey intermittirenden Fiebern während des Stadiums des Frostes. In Edinburgh medical and physical Journal. Vol. 31. pag. 1. — Vide Gerson et Julius Magazin. B. 17. p. 504.

363. Magis rationalis methodus videtur, aegros calore febrili aestuantes frigida proluere aqua, quo fac-

toris expansivi actio incitata imminui necessario debet. — Libenter tamen et ab hacce ancipiti, ac cuivis aegro ingratissima abstinemus medendi ratione, quae funestos, imo et instantanee letales effectus facile producit, si vel minima negligatur cautela. — Porro salubrem aut damnosam ejus actionem limitare, non est in medici potestate, absolutamque necessitatem experientia non dictat; quum alioquin nonnisi palliativum sistat auxilium, quod annuente ipso acerrimo propugnatore Giannini, ad radicalem curam nil contribuit. In illis unice tentari posset casibus, ubi pertinax cutis calentis ariditas benefico renititur sudori, exemplo febrium exanthematicarum et catarrhalium.

II.

CURA EXTRA PAROXYSMUM.

364. Quae ad febrem intermittentem radicitus tollendam tendit cura, tempore paroxysmis intercalato maximam partem suscipi solet.

365. Etiamsi in curandis febribus intermittentibus ratio typi, et praesertim periodicitas insignem mereatur respectum (supponit enim specificam plexuum splanchnicorum passionem); cardinem tamen omnis curativae indicationis constituit febris natura, seu character.

366. Intermittentium simplicium indoles quidem semper eadem est, et nonnisi pro diversitate circumstantiarum leves quasdam patitur modificationes; quapropter etiam medendi methodus vix non constantibus innititur et dirigitur regulis. — Habentur tamen e contrario aliae febres, quae ex parte anomaliarum aut complicationum varium manifestant characterem, variam utpote virium vitalium conditionem, symptomatum praevalentium intensionem et qualitatem diversam, atque comitem alius cujusdam organicae sphaerae laesionem, quam quae eminens febris intermittentis substratum esse consuevit. — Harum cura non solum ab illa febrium simplicium differre, sed etiam pro complicationis ratione variare omnino debedit.

367. Omnium primo exponendum erit tractamen febrium intermittentium manifestarum, simplicium et re-

gularium; subjungendo tandem illud febrium omni intuitu anomalarum, ad normam ordinis in Nosographiae capite observati.

1. TRACTAMEN

FEBRIUM INTERMITTENTIUM MANIFESTARUM, SIMPLICIUM ET REGULARIUM.

368. Quemadmodum scopus curae durante paroxysmo susceptae eo plerumque nititur, ut lucta febrilis feliciter componatur; ita cura, quam apyrexiae tempore suscipimus, futuros solum paroxysmos avertere studet. — Quum autem durante apyrexia de febre nil superest, excepta unica dispositione et facultate praegressis analogos reproducendi accessus; curae antipyreticae alia non potest esse intentio, nisi illam invertendi ac enervandi organismi conditionem, quae certa periodo recurrentium paroxysmorum seriem invitat, et fovet.

369. Justa si sunt omnia ea, quae de febrium intermittentium diathesi et nosogenia praemisimus, indicatio indirecta rationalis facile fluit, jubens, ut abnormis systematis gangliaris, organorum digerentium et compagis dermaticae erethismus compescatur novum robur addendo. — Quae infractam nervorum firmitudinem restituere valent remedia, stimulantia diffusibilia seu nervina, quae laxitatem compagis organicae, maxime viscerum adsimilationi inservientium corrigunt, roborantia seu tonica dicuntur. — Methodus igitur febribus rationi analogo modo medendi erit nervino-tonica, quam in praxi simul tutissimam esse, experientia confirmat. Imo vix non maximus remediorum, quae ceu specifica exclamantur, numerus nervinis aut tonicis excellit dotibus.

Hirsch Analecta de remediis antifebrilibus. Berol. 1819.

Habedank Diss. de medicamentis febrifugis. Berol. 1829.

370. Si rationali medicinae non cederet pertinax hostis, ea simul prudenter combinanda erunt adminicula, quae probata experientia nobis suppeditat, quin tamen secura quasi agendi ratio hucdum innotuerit, empirica dicta.

A.

METHODUS RATIONALIS.

371. Singula indicata, quae in variis casibus antipyreticas suas patefecerunt virtutes, illimitatum tamen usum nonnisi in perfectis, regularibus, et ab omni complicatione liberis admittunt febribus, ex vasta desumuntur remediorum stimulantium, nervinorum, tonicorum et acrium classe, sequentibus ordinibus distincta.

372. I. Tonica amara simplicia, quorum plura simul solventia sunt: radix Taraxaci, Cichorei, Gentianae, Colombae, herba Trifolii fibrini, Centaurei minoris, Cardui benedicti, lignum Quassiae, benignioribus febribus suffocandis quandoque paria cernuntur, atque in febrium principio, maxime salibus mediis juncta, semper conveniunt. — Ast majorem adhuc efficaciam manifestant Cortex Angusturae genuinae, et Liriodendri tulipiferae.

373. Cortex Angusturae genuinae (Bomplandia trifoliata Willd.), quam ab Angustura spuria (Brucea antidysenterica et ferruginea) summe venenata distinguere oportet, egregium sistit remedium contra febres, a cujus tamen usu libenter abstinemus, quum caro alioquin pretio constat, nec semper genuina, nostratibus facile suppleri potest remediis.

Meyer Diss. de Cortice Angusturae. Goet. 1791.

Brand treatise on angustura. 2. Edit. 1793.

374. Corticis Liriodendri tulipiferae, peruviano multum analogi, antipyreticas vires saepius confirmatas vidimus in Clinico Vindobonensi. — Arbor, Americae septentrionalis accola, etiam in nostro eleganter vegetat solo; unde remedium facile communius reddi posset.

Valent. Hildenbrand Rat. medend. Tom. II. p. 199.

375. II. Tonica adstringentia, quae principio coriario, aliis tannino seu skytodephico scatent: cortices Salicis albae (1), fragilis, capreae, pentandrae, vitellinae, latifoliae (2), Hippocastani (3), Fraxini (4), Betulae albae et Alni, Pyri Mali, Sorbi Aucupariae, Crataegi Ariae,

Pruni spinosae; Cortex Mahagoni, Swieteniae Soymidae (5), Granatorum (Malicorium) (6); cortex et glandes Quercus (7), Gallae, radix Tormentillae.

(1) Günz Diss. de Cortice salicis albae cortici substituendo. Lips. 1772. — Rosenblad Diss. de usu corticis Salicis in febribus intermitt. Lond. 1782.

(2) Wilkinson Experiments and observations on the cortex Salicis latifoliae. 1803.

(3) Turra Alcune osservazioni sulla febbrifuga qualità dell' Ipocastano. Vicenza 1780. — Uebersetzt Weimar. 1788.

(4) Helwig Diss. de quinquina Europaeorum. Gryphisw. 1712.

(5) C. Fr. Schuhmacher medic. und chirurg. Bemerk. I. B. Coppenh. 1800.

(6) Rehmann Notice sur un remède propre à remplacer le Quinquina en beaucoup de cas et surtout contre les fièvres intermitt. par Reuss. Mosk. 1809.

(7) Zwierlein Deutschlands Eichenbaum mit seinen höchst wirksamen Kräften. Leipz. 1824. p. 37—55.

376. III. Tonica martialia; omnia proinde praeparata ferri, maxime vitriolum martis, et phosphas ejusdem ab Anglo Jesse Wheaton propositus. Americani medici Zollickofer (1) et Hosack (2) ferrum hydrokyanicum in febribus tam remittentibus, quam intermittentibus profuisse testantur.

(1) Zollickofer a treatise on the use of Prussiate of Iron in intermitting and remitting fevers. Maryland. 1822.

(2) New-York medical and physical Journal. 1823. June.

377. IV. Tonica amaro-mucilaginosa: lichen islandicus, et Parmelia parietina a Sandero laudata (1).

(1) Sander, die Wandflechte. ein Arzneymittel, welches die peruvianische Rinde nicht nur entbehrlich macht, sondern etc. Sonderhausen 1816.

378. V. Tonica amara aromatica: Absynthium; cortex Cascarillae, Rhois Cotini (1); flores Chamomillae, radix Calami aromatici, Caryophyllatae (2), Pyrethri (3).

(1) Zsoldós Historia Rhus Cotini. Jaurini 1815.

(2) Buchhave de Gei urbani utilitate in febribus intermitt. Marb. 1786.

(3) Journal der ausländ. med. Literatur 1802. Junius.

379. VI. Tonica cinchonacea, quae proprio principio chinaceo vel ei analogo scatent; Cortex peruvianus, variae species Chinae, fabae Coffeae.

380. VII. Tonicis proxime accedunt stimulantia contractiva, quae incitationi organicae constantius addunt robur, nisum in contractionem provocando. Talia sunt vegetabilia acria diversa, uti Chelidonium majus, Ipecacuanha in dosi refracta (1), flores Arnicae in substantia (2), semina Sinapis nigrae (3), Piper nigrum et album, Piper Cubeba (4), Capsicum annuum, Allium; acria mineralia, quae priorum adinstar simul potenter resolventia sunt; sales quidam neutri et oxyda metallica, sal ammoniacus (5), murias barytae: praeparata stibii, mercurialia (6), arsenicum; ex regno animali Cantharides.

(1) Gianella de admirabili Ipecacuanhae virtute in curandis febribus. — In Halleri Coll. Diss. pract. Tom. V. N. 155.

(2) Graumann Meletemata ad curationem febrium intermittentium. Buzov. 1787.

(3) Murray Apparatus medicaminum tam simplicium quam praeparator. Tom. II. p. 326.

(4) Pül in Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde. Nr. 224. 1825.

(5) W. Muys Diss. de salis ammoniaci praeclaro ad febres intermittentes usu. Franc. 1716.

(6) Schulze Diss. de usu mercurialium in febre quartana curanda. Hal. 1742.

381. VIII. Stimulantia expansiva, quae motum organicum expansivum cum celeritate intendunt, atque cum tonicis aromaticis summam habent adfinitatem. Huc spectant camphoracea, aetherea, resinosa, alcoholica, balsamica, ammoniacalia; prae aliis Mentha crispa et piperita, Cinnamomum, flavedo corticum Aurantiorum, Phellandrium aquaticum, Valeriana sylvestris et celtica, Terebinthina, Petroleum, Oleum animale Dippelii a Werlhofio propositum, Phosphorus.

382. IX. Agmen medicaminum antifebrilium claudunt narcotica, quae primitivam actionem commu-

nem habent cum stimulantibus expansivis, ast mox subsequa narcosi et sensibilitatis imminutione distinguuntur. Inter simplicia eminet Opium (1); inter narcotico-acria Nux vomica, Faba S. Ignatii, Aconitum, et stipites Dulcamarae.

(1) Schaertlich Diss. de usu opii in febre intermittent. Goet. 1783.

383. Sub tanta remediorum copia, quae quidem omnia in singulis casibus salutiferas manifestarunt virtutes, nequaquam tamen ubique sufficiunt, plurimum interest, ut aptus fiat eorum selectus, quorum efficaciam majorem experientia confirmavit, et quorum speciales dotes casui individuali magis sunt consentaneae.

384. Generales therapeuticos canones sequendo, cura febrium intermittentium, quas hic ab omni macula liberas supponimus, ordienda erit a remediis lenioribus, ascendendo pedetentim ad magis generosa. Si meraca non fuerit febris, depuranda ac simplex reddenda est, modo serius injungendo.

385. Nimis praecox febris intermittentis fuga facile damnosa evadit; compertum enim habemus salubres virium naturae sub primis paroxysmis conatus notabilem influxum exerere in regularem febris decursum, quin imo ei debellandae saepe saepius sufficere.

Bohn de praematuriore intermittentium fuga suspecta. Lips. 1709.

Juncker Diss. de rationali exspectatione, et irrationali festinatione in febrium intermittentium cura. Hal. 1742.

386. Inter medicamina leniora, quin tamen ideo virtute multum inferiora sint, praecellunt: decocta amaricantia Taraxaci, Cichorei, Trifolii fibrini, Gentianae, in connubio cum sale quodam medio, maxime cum sale ammoniaco, quorum blanda et salutaris contra febres actio ab omni aevo encomiis merito collaudata fuit; itidem extracta amara ex aquis aromaticis propinata; corpora medicata, quae tonicas et excitantes copulant vires, uti Absynthium, Calamus aromaticus, Caryophyllata, Chamomilla a Baglivio dilecta, forma infusi saturati, extracti alcoholico-aquosi aromatico vehiculo soluti; vel in sub-

stantia. — Commendari meretur pulvis e Calamo aromatico, floribus Chamomillae, et sulfure aurato antimonii conflatus. — Decoctum saturatum Parmeliae parietinae (ex uncia dimidia), Corticis Liriodendri et Rhois Cotini, ex uncia una corticis contusi paratum, in febribus tertianis saepe proficuum vidimus; quartanis tamen, praesertim autumnalibus jugulandis raro suffecit.

387. Ubi ejusmodi simpliciori adparatui cedere noluerit febris, ad generosiora omnino confugiendum, et quidem nunc ad tonica adstringentia et stimulantia contractiva, nunc ad stimulantia expansiva et narcotica.

388. Etiamsi omnis febris intermittentis dispositio, quam exstinguere molimur, semper eadem sit, modificata solummodo pro circumstantiarum diversitate; attamen processus pathologicus inde excitatus variare solet, prouti vel unus, vel alter factor vitalis, contractio nimirum aut expansio praedominium adquirit. In primo casu febris intermittens majorem nisum fovet in crystallisationem organicam, in secundo ad colliquationem massae organicae, ipsarumque virium tendit.

389. Tonica adstringentia igitur, et stimulantia contractiva convenient magis in illis febribus, in quibus motus organicus expansivus eminet; in febribus ergo aestivis, continuata humiditate atmosphaerae sustentatis, in hydropem et profluvia nitentibus, laxitate solidorum junctis; in febribus universim, quae potius productioni organicae, quam incitationi sunt infensae.

390. Commendatione prae aliis digna sunt: decocta satura et extracta corticum Hippocastani, Quercus, Salicis variae, Martialia, flores Arnicae in substantia, Cinchonacea; quae tanto magis actuosa redduntur, si diffusibili quodam stimulo, aut viscerali aromate combinantur. — Obstant usui stipticorum — viscerum emphraxes. Simplicia tamen parectamata non facile exasperantur remediis contractivis, imo non raro corriguntur.

391. Stimulantia expansiva et narcotica e contrario illis praecipue opponenda erunt febribus, in quibus peculiaris eminet productionis organicae in coagu-

lum nisus (praemittendo solventium usum); aut ubi contractionis praedominium factoris vitalis expansivi vim ita supprimit, ut hoc se ad aequilibrium componere nequeat v. g. in febribus algidis, erethismo excessivo, virium debilitate junctis, horrore valido orsis. — Excellunt inter caetera radix Valerianae sylvestris, herba Valerianae celticae ab Hackero proposita, Cinnamomum, Mentha piperita, Phellandrium aquaticum, et Opium. Convenit tamen semper, ut tonicum quoddam pro basi retineatur remedium.

392. Methodus febres intermittentes narcoticis tractandi jam Hippocrati arrisit, qui post iteratas purgationes primarum viarum commendavit semina Hyoscyami, aut Mandragoram cum succo trifolii fibrini et vino. — Recentiorum quidam Nucem vomicam et Fabam S. Ignatii praediligere voluerunt; interim Opium, consensu practicorum, omnibus aliis palmam facile praeripit. — Solum quidem febribus suffocandis nonnisi raro sufficit; in connubio tamen cum remediis aromaticis, tonicis, cinchonaceïs, horum efficaciam acuit modo rationi congruo; etenim erethismum sphaerae gangliaris componere juvat, vim sensiferam minuendo, ejusque inaequabilem dispensationem moderando, energiam contra exaltat, factoris expansivi potentiam augendo. — Wedekind opii usui extractum Aloës interposuit, ut alvi stypsis, facile damnosa, avertatur (1).

(1) Heilungsverfahren im Kriegs-Lazareth zu Mainz. Berlin. 1802.

393. Remediis externis, quorum proficuam in intermittentibus actionem et ratio suadet, et praxis confirmat, adnumerantur praecipue antagonistica seu revellentia. Plurimum prodest largum vesicans, aut sinapismus epigastrio adplicitus; nec desunt exempla febrium, quas pustulosum exanthema, ope tartari emetici in abdomine excitatum radicitus sustulit (1). — Alii utuntur litu spirituoso-aethereo juxta spinae dorsalis decursum.

(1) Pommer in Hufeland's Journal d. prakt. Heilkuude. Januar. 1823.

394. Ejusmodi methodo rationali, ad normam casus individualis prudenter modificata, plurimas febres in-

termittentes feliciter fugamus; maxime vernales, benignas, tertianas, quotidianas, quartanas recentes. Interdum tamen indicata mutare oportet. — Ast non semper adeo obsequiosas cernimus febres autumnales, endemicas, consistentes, inveteratas, recidivantes; quare methodum rationalem empiricis auxiliis nubere oportet, annosa quidem experientia confirmatis, sed modo nobis nondum sufficienter perspecto agentibus, ac ideo specificorum vel antipyreticorum, febrifugorum nomine insignitis. — Cortex Chinae et Arsenicum huc refertur.

395. Utrumque quidem remedium classibus superius enumeratis comprehenditur, unde indicatum praebet, quod rationali quodammodo indicationi obtemperat. — Eminens autem et fere constans proprietas, omnis generis febres intermittentes, dummodo legitimae et perfectae fuerint, non excipiendo et illas, quae contra quaevis alia remedia rebelles fuerunt, supprimendi, specificam actionem abunde evincit.

B.

METHODUS SPECIFICA.

a. CINCHONACEA.

396. Plantae, quae virtutem suam mirificam febres periodicas suffocandi, singularibus principiis debent, substantiis utpote alcaloidibus chinaceis, et acido chinico, modo tamen hucusque nondum noto agentibus, ex prodigo Cinchonae Botanicorum genere depromuntur.

Lambert Illustration of the Genus Cinchona. Lond. 1822. 4.

Graf (Sigm.) die Fieberrinden in botanischer, chemischer, und pharmaceutischer Beziehung. 1824.

Bergen Versuch einer Monographie der China. Hamburg. 1826. 4. Mit color. Kupf.

397. Vires corticis Cinchonarum medicatae fortuito casu detectae fuerunt, cum scilicet Hallero testante, Barbari ex aqua lacuum potata, in quibus trunci arborum macerabantur, a febre intermittente liberati fuissent.

398. Celebre nomen a Linnaeo impertitum erat in gratiam Comitissae de Cinchon, conjugis Peruviani

Proregis, quae anno 1638 usu hujus corticis e pertinaci convaluit febre. — Ab anno 1640 ad 1648 in Europa, praecipue in Hispania et Italia per Societatem Jesu divulgabatur. — Acres tamen ortae sunt lites, cum Medici Hispani, Galeno addicti, ejus usum pertimescerent. Sydenhamus vero et Mortonus omnem lapidem moverunt, sua auctoritate magis universalem reddendo corticis febrifugi usum. Propugnatam in Italia a Ramazzinio Chinae efficaciam, Zendrini (1), eximius Torti, et Werlhof in emolumentum generis humani vindicarunt.

(1) Trattato della China China, con una prefazione intorno ai pregiudizj, che corrompono l' arte medicinale, col modo più severo d' apprenderla. Venez. 1705.

399. Cortices Chinae plura, partim generalia, partim specifica continent principia, quorum exactiorem cognitionem recentiorum Chemicorum diligenti analysi in acceptis referendam habemus, quos inter eminent Vauquelin, Fourcroy, Schrader, Bucholz, Fabbroni, Pfaff, Pelletier et Caventou. — Potiores partes constituentes in corticibus Cinchonarum recenter detectae, in variis tamen speciebus varia proportione invicem commixtae, sunt sequentes: 1) Cinchoninum, substantia alcaloidea, crystallos referens aciculares, decolores, pellucidas, in aqua et aethere difficillime solvenda, facilius in spiritu vini, linguam sapore amaro nonnisi tarde adficiens. 2) Chininum, materies pariter alcaloides, spongiosa, coloris impure albi, in crystallos coire recusans, in aqua sat facile, in aethere facillime solubilis, saporis amarissimi. 3) Acidum chinicum, crystallos exhibens foliaceas, partim praedictis alcaloidibus, partim calci nuptum. 4) Materies sebacea chlorophyllo tincta. 5) Resina amara et Phyteumocolla. 6) Materia colorans, rubra et flava. 7) Principium skytodephicum cum pauxillo acidi acetici et calcis muriaticae. 8) Gummi et parca copia amyli. 9) Fibra lignea.

400. Antifebriles corticis Cinchonarum vires nonnulli in acido chinico (Deschamps), alii in materie chinacea alcoholis ope extrahenda, (Chretien), alii plane

in fibra lignea difficulter digerenda (Autenrieth) quaesiverunt. — Lis diu sub judice latuit, licet major probabilitas pro opinione pugnaverit, quae eminentem efficaciam principio Cinchonico tribuit; hoc enim ipse Sprengelius (1) sublatam vis sensiferae ac energiae indifferentiam restitui, energiam imminutam augeri, facultatis contra sensiferae augmentum imminui contendit. Ab illo autem tempore, quo felices analyses clarissimorum virorum, Pelletier et Caventou, substantias alcaloideas specificas detexerunt, nulli amplius subjacet dubio, in istis febrifugam delitescere virtutem.

(1) Institut. Pharmacolog. Vol. II. §. 205.

401. Ut Cinchonacea tuto et prospero cum successu exhiberi possint, ad sequentia respiciendum erit momenta: 1) Ad ea, quae corticis febrifugi usum absolute necessarium reddunt. 2) Ad illa, quae ejus usum vetant. 3) Ad modum exhibendi.

402. Vituperanda omnino esset prodigalitas, corticem antipyreticum, qui caro pretio e longinquis Americae terris advehitur, omnibus opponere velle febribus, quarum haud paucae etiam nostratibus cedunt remediis. — Qua de re usum corticis ad sequentes restringimus casus: 1) In febribus larvatis, comitatis, perniciosis; 2) in febribus, sub quarum paroxysmis manifestis cachexia indies crescit; 3) in febribus nimis praecipitanter anticipantibus, cum nisu in typum continuum; 4) in illis, quae brevissimis stipantur apyrexiis; 5) in quartanis aestivis, autumnalibus, maxime endemicis, tum simplicibus, tum duplicatis; 6) in omni febre aliis remediis rebellanti, habituali, ad recidivas prona, proprio habitu pallido signata; 7) tandem in intermittentibus, in quibus protractus et irritus diversorum auxiliorum usus metum alius mali, aut sumptus cortice peruviano majores producit.

Val. Hildenbrand Ratio medend. Tom. II. p. 197.

403. Momenta, quae Cinchonaceorum usum vetant, sunt: complicationes cum charactere inflammatorio, sive universalis sit hypersthenia et diathesis phlogistica, sive topica alicujus organi nobilioris inflammatio; colluvies gastrica qualiscunque indolis; viscerum abdominalium in-

farctus et hydropismus; defectus apyrexiae perfectae, typus proinde subcontinuus; febris intermittens spuria, qualis v. g. est hectica phthisicorum, nisi Chinam scopo roborante propinare scopus esset.

404. Rarissimi sunt casus, ubi, nullo prorsus respectu ad supradicta momenta habito, Cinchonae divinas dotes implorare absoluta urget necessitas, uti e. c. in gratiam febris perniciosae, instanti vitae periculo junctae. E duobus malis tunc minus eligendum. — Menstruatio, graviditas, puerperium corticis usui non obstant, dummodo debita circumspectione dirigatur.

405. Damna, quae praematuram ac imprudentem sine mora sequuntur Chinae usurpationem, sunt: digestionis vitia; pondus ad epigastrium; saburra pertinax; viscerum, in specie hepatis et lienis emphraxes; alvi anomaliae; icterus; hydrops; mutatio typi intermittentis in continuum, regularis in erraticum; intensior suppressae ad speciem febris in palindromen propensio; febricula lenta vel febriculosa duntaxat diathesis, quae eo magis intenditur, quo pertinacius incauti medici eam ultro Cinchonaceis persequi student. Noxios effectus nequaquam Chinae, sed pravo ejusdem usui tribuendos esse, jam Sydenhamus recte monuit.

406. Relate ad modum Cinchonacea exhibendi, notanda veniunt: 1) Justa qualitas. 2) Debita dosis. 3) Debita forma. 4) Tempus praebitionis et continuationis necessitas. 5) Combinatio cum aliis remediis.

JUSTA QUALITAS.

407. Variae in America australi crescunt Cinchonae species, quarum manca per longam annorum seriem notio, recentiori tantum aevo ad majorem perducta est perfectionem indefessis scrutiniis celebrium rei herbariae cultorum, clariss. Mutis, Ruiz, Humboldt et Bompland. Hinc etiam adeo multigeni cortices in Europam advehuntur, ut Vauquelin 18, Guibourt (1) autem 26 species diversas numerarent. Nonnullorum progenies determinata; aliorum vero hactenus dubia.

(1) Histoire abregée des drogues simples. Paris 1820. 2 Vol.

408. Cortex Chinae officinalis, seu fuscus, qui communiter cortex peruvianus, vel etiam China Loxae, et si selectus fuerit, Quinquina compellari solet, omnium optimus est. Quod ejus originem adtinet, hactenus inter se dimicant Botanicorum sententiae. E Cinchona condaminea, arbore alpes peruvianas circa Loxam habitante, provenire Humboldtius testatur. Alii progeniem Cinchonae scrobiculatae Humb., Cinchonae purpureae Ruiz., Cinchonae lancifoliae Mutis., alii, quos inter cel. Bompland et Mutis, miscelam corticum e variis Cinchonae et Weimanniae speciebus esse volunt. Cortex hicce genuinus in frustis occurit convolutis, a calamo scriptorio ad digitum crassis, siccis, duris, fragilibus, quorum externa facies fusca, transversim fissa, lichenibus albis aut caesiis obtecta, interna coloris rubiginosi aut cinnamomei. Fracturam exhibet levem et splendidam, saporem amaricantem, adstringentem, odorem aromaticum specificum. Abundat principio Cinchonino; Chinini vero exiguam tantum gerit copiam.

409. Cortex Chinae regius, quem alii a Cinchona cordifolia Mutis., alii a Cinchona lancifolia, nitida Ruiz. aut pubescente Vahl. repetunt, communiter etiam sub nomine Chinae Calissayae in commercio obvenit. Segmenta offert magis lignea, epidermide plurimum priva, crassiora, minus convoluta, saporis magis amari et aromatici quam cortex fuscus. De Cinchonino parum, insignem contra Chinini copiam continet, ideoque majoris est efficaciae quam olim credebatur, simulque ob vilius pretium commendandus.

Relph Untersuchungen über die medicinischen Wirkungen der Königs-China. A. d. Engl. mit Zusätzen von Fries. Breslau 1797.

410. Corticem Chinae flavum, seu de Carthagena, cujus duas in commercio distinguunt species, duram nempe et fibrosam, nonnulli a priori diversum, et quidem opinione Bernhardii a Cinchona lancifolia Mutis. provenientem, alii vero identicum esse volunt. Cum China regia in eo duntaxat collimat, quod majorem Chinini, quam Cinchonini copiam largitur. — For-

tasse huc etiam referenda esset China, quam Humboldtius aurantiacam compellavit, prioribusque speciebus efficaciorem esse tradidit.

Marabelli Analisi chimica della China gialla recentemente introdotta. Pavia 1795. — A. d. Ital. von Titius. Leipz. 1797.

411. Cortex Chinae ruber, quem Cinchona oblongifolia Mutis., juxta alios Cinchona grandifolia Poiretii suppeditat, odoris est debilioris, saporis amari et adstringentis, utrumque principium alcaloideum pari ferme proportione gerit. Efficaciae vix minoris, ac species praecedentes, dici potest, verum saepe adulteratus, aliisque corticibus commixtus occurrit.

Saunders Beobachtungen über die vorzüglichsten Heilkräfte der rothen Chinarinde. A. d. Engl. von Ludwig. Leipz. 1783.

412. Qui ab aliquot annis ad nos advehitur cortex, China de Huanuco compellatus, levioris licet pretii, conspicuam suppeditat Chinini, praecipue autem Cinchonini quantitatem (1); unde liquet, eum Chinae fuscae quam proxime accedere. Cinchonae glanduliferae progeniem esse dicunt.

(1) Giornale fisico di Configliachi e Brugnatelli. Pavia. Anno 1822. Sec. Bimestre.

413. Vilioris demum notae sunt Cortex Chinae delicatae, Cinchonae ovatifoliae, floribundae (China S. Luciae), purpureae, lutescentis, montanae (China Martinicensis); China alba (Cinch. macrocarpa Vahl.), China de Jaën, de Guamalies, rubiginosa, brachycarpa, corymbifera, etc., quae omnes in commercio raro occurrunt, et pro usu pharmaceutico commendatione non sunt dignae. Cortex Chinae caribaeae, et surinamensis seu Chinae novae (Portlandia grandiflora), ad Angusturas potius referendus, drasticis pollet viribus; unde illius in Imperium Austriacum advectio interdicta est.

Encyclopädisches Wörterbuch der medicinischen Wissenschaften. Von Busch, Graefe etc. Berlin 1831. 7. Band. Art. China.

414. China bicolorata, quam nuper clariss. Brera multis encomiis extulit (1), nomen Chinae non meretur. Juxta Bergenii aliorumque opinionem speciebus Angusturae adnumeranda (e genere Buenae vel

Portlandiae), eadem esse videtur cum cortice olim dicto Pitayae seu Atacamez. Experimentis clariss. Carminati, Palletta, Ferrari, Vauquelin et Pelletier innotuit, nec atomum principii Chinici, aut Cinchonici, eorum autem loco peculiarem substantiam alcaloideam inesse, illi analogam, quam Colocynthis largitur (2). Vires antipyreticae hujus corticis a nonnullis propugnatae, ab aliis incassum tentatae; procul dubio haud insignes.

(1) Brera Risultamenti ottenuti nella Clinica medica di Padova dall' amministrazione della China bicolorata. Padova. 1824.

(2) Harless Neue Jahrbücher der deutschen Medicin. Hamm. 1826. XII B. 1. St. pag. 141.

415. E praemissis notionibus potiorum Chinae specierum liquet, Chinam fuscam et regiam pro usu therapeutico cunctis reliquis palmam praeripere, maxime si pulverem aut decoctum subministrare opus sit. Pro eliciendis alcaloidibus chinaceis etiam cortices inferioris notae facile inservire poterunt.

β. DEBITA DOSIS.

416. Dosis consueta corticis febrifugi in substantia, quam, nisi peculiaris subsit morbi pertinacia, febribus fugandis plurimum sufficere experientia docuit, est ab uncia dimidia ad integram, nychthemeri spatio consumenda. Ejusmodi dosis pulveris subtilissimi in 8 dividitur partes, drachmam semis aut unam continentes, quarum una omni hora aut bihorio propinanda. — Minores doses desideratum nonnisi tunc praestant effectum, ubi aliis aptis combinatae fuerint remediis; majores contra difficulter deglutiuntur, non digeruntur, et stomachum gravant. Quo brevius est intervallum apyreticum; eo majoribus crebriusque exhibitis utendum dosibus, habito semper ad subjectum et vires digestrices respectu; quibusdam enim individuis vomitum facile creat, vel alvum oppilat. — Infantibus drachma una aut ad summum duae sufficiunt. Decoctum paratur ex uncia una, per horam integram vase

clauso coquenda, ad colaturam unciarum decem fortiter expressam.

417. Relate ad quantitatem Chinae, quam singulae febres varii typi pro sui fuga exposcunt, nullae stabiliri possunt leges; in uno enim casu pauca dosis citius proficua evadit, quam larga in alio. — Febres diuturnae, recidivae, anomalae et malignae dosibus plerumque majoribus egent.

γ. DEBITA FORMA.

418. Optima et communissima corticem peruvianum exhibendi forma est in substantia, ut dicunt, seu in pulvere alcoholisato, qui omnia principia non mutata continet, ac omnem Chinae virtutem gerit. — Quibusdam aegris idem pulvis in formam electuarii aut boli redactus magis arridet.

419. Sunt tamen subjecta, quae vel propter idiosyncrasiam particularem, vel propter ventriculi languorem a corticis pulvere male habent. Eis decoctum saturatum melius conveniet, quod turbulentum, coloris ex fusco aurantiaci, ac odoris fragrantis specifici sit, oportet.

420. Infusum Corticis sive aquosum, sive vinosum scopo antifebrili laudem non meretur; principia enim efficaciora, chinaceum utpote et skytodephicum nonnisi protracta coctione extrahuntur.

421. In casu urgente aut contumaci, infuso-decoctum Chinae pulvere ejusdem acui solet; forma, quae reliquis palmam praeripit efficacia, praesertim cum aptis coindicatis in copula.

422. Extractum Chinae aquosum, vel alcoholico-aquosum in iisdem casibus ad drachmam unam vel duas in die exhibetur. — Minorem potentiam habere dicitur, quoniam alvum facile ciet; caro praeterea pretio constat. — Infantibus tamen egregie convenit; tum quod gratius est; tum quod facilius digeritur, et alvum non stipat.

423. Efficax praeparatum sistit tinctura Chinae composita, seu Elixir roborans R. Whytii, quam praeter corticem peruvianum, radix Gentianae, ac

flavedo corticum Aurantiorum ingreditur, spiritu vini et aqua Cinnamomi soluta. Ad drachmas aliquot de die propinanda. — Pro infantibus exstant morsuli, et syrupus Chinae.

424. Chretien, Ficinus et Vogt prae aliis commendarunt Extractum spirituosum corticis Chinae (Cinchonin), quod resinoso seu chinaceo praesertim scatet principio, atque a longiori jam tempore sub nomine salis essentialis Chinae in multis conservabatur officinis. — Ad pauca grana exhibitum potentissimas exerere traditur vires, replicatis experimentis adhuc confirmandas.

Ficinus, Cinchonin, medicamen efficacissimum adversus cachexiam e febre intermittente obortam tutissime exhibendum. Dresd. 1816.

425. Internus Corticis sub forma debita usus omnium securissimus est, primitivam enim ac immediatam actionem in systematis splanchnici centrum exerit. — Clysteribus Chinae laudem tribuere nequimus; remedium enim digestu alioquin difficile intestinis crassis nec subigitur, nec sufficienter absorbetur. Majores corticis, quae tali sub forma semper exiguntur, doses, nunc alvum pertinaciter claudunt, damnosum meteorismum, viscerumque infarctus provocant; nunc indigestae furtim expelluntur Unde methodus febres intermittentes per anum adgrediendi, jam a Tortio merito vituperabatur. — Refugium sisteret nonnisi in illis subjectis, quae corticem ore absumere aut absolute nolunt, aut nequeunt. — Tanto minus denique sperandum erit de balneis chinaceis, de adplicatione corticis ad carpos, de pulvere subtilissimo universae recens natorum cuti adsperso. — Obstat simul sensus oeconomicus.

426. Ab illo autem tempore, quo principia efficacia corticum chinaceorum chemicae analyseos ope inclaruerunt, pharmaceutica penus pretiosissimis locupletata fuit praeparatis febrifugis, quibus cuncta praemissa, excepto Chinae pulvere, longe superantur, ideoque, scopo saltem antipyretico, facile superflua redduntur. Licet jam anno 1810 medico Lusitano Gomez notum fuerit

Cinchoninum (1), nihilominus tamen ingeniosissimis Viris, Pelletier et Caventou, insigne debetur meritum, quod in corticibus chinaceis, praeter Cinchoninum, aliam quoque detexerint substantiam anno 1820, nomine Chinini insignitam; quod utriusque indolem alcaloideam evicerint, simulque idonea eorumdem cum acidis connubia docuerint (2). — Experimenta variis in regionibus instituta ac repetita virtutes eximias alcaloideorum chinicorum, et, qui inde formantur, salium brevi extra dubitationis aleam posuerunt; ita ut hodierno aevo vix ullus medicus praestantissimi hujus detecti beneficium in cura febrium intermittentium ignoret. Quamobrem singulas recensere velle auctoritates, quibus opera pharmacologica et therapeutica alioquin scatent (3), in re adeo evicta superfluum foret. Experientia quotidiana amplissimum perhibet testimonium.

(1) Gomez Ensajo sobre o cinchonino, e sobre sua influenzia etc. Lisboa. 1810.

(2) Annales de Chemie et de Physique. T. 15. 1820. p. 289. — Pelletier et Caventou Analyse chimique des Quinquina, suivi d'observations médicales sur l'emploie de la Quinine et de la Cinquonine. Paris. 1821.

(3) Frank (Jos.) Praxeos medicae universae praecepta Edit. altera. Vol. I. Lips. 1826. pag. 354. — Dierbach die neuesten Entdeckungen in der Materia medica. Leipz. 1828. — Richter (G. A.) die neuesten Entdeckungen, Erfahrungen und Ansichten in der prakt. Heilkunde. 1. B. Wien 1831. S. 356 — 377. Acker Stratingh Diss. de Cinchonino, Chinino, eorumque salibus, imprimis Sulfate Chinini, pharmaceutica et therapeutica ratione consideratis. Groning. 1828.

427. Communissimum et commodissimum praeparatum sistit connubium Chinini cum acido sulfurico, Sulfas Chinini, Chininum sulfuricum (1). Pro usu medico in statu neutro sit oportet; sulfas enim acidulus Chinini (hypersulfas) minorem continet copiam baseos alcaloidis, quae actuosam constituit partem. Ob saporem intense amarum neque in solutione aquosa vel vinosa, neque in pulvere, sed optime in pilulis exhibendus. Dosis singula pro adultis foret grani unius, vel duorum, omni

hora vel bihorio repetenda, ita ut nychthemeri spatio grana 10 — 15 consumantur. Juvat plerumque infusum quoddam amaro-aromaticum alternatim interponere. Ad febrem intermittentem, qualiscunque demum formae aut typi fuerit, debellandam ordinario praedicta dosis duplicata, proinde 20 — 30 granorum, sufficere solet. Medici timidiores, qui admodum parvis utuntur dosibus, tempus et operam perdunt; nimis prodigi ex adverso, testantibus jam observationibus Elliotsonii, Ménardii et Magendii, ominosa saepe symptomata kephalica et nervosa concitant. Eapropter a dosibus generosis sedulo cavendum, ne nimis sero poeniteat moderationis limites excessisse. Sales enim chinici omnes incaute usurpati nervos potenter feriunt atque offendunt, kephalaeam diram, oculorum caligationem, syrigmum et baryecoiam, gastrodyniam, tremores afferunt, vel saltem exquisitum nervorum erethismum cum dysphoria et pervigilio relinquunt. Duos aegros ab incauto Chinini sulfurici usu (drachma dimidia paucarum horarum intervallo absumta) memoriam perdidisse vidimus, quae quidem amnesia sub congruo regimine disparuit, per plures tamen annos quandam mentis imbecillitatem reliquit (2). Unice in febribus perniciosis majores doses, v. g. grana 20 — 30 intra nychthemerum, excusat imminens vitae discrimen. — Infantibus $^1/_4$ vel $^1/_2$ pars grani sexies in die porrigitur.

(1) Wittmann das schwefelsaure Chinin als Heilmittel betrachtet. Gekrönte Preischrift. Mainz 1827.

(2) Franc. ab Hildenbrand Annales Scholae Clin. Ticinens. Pars altera. pag. 183. — Patellani Diss. sistens casum amnesiae singularem. Ticini. 1828.

428. Recentiores observationes docuerunt, Chininum sulfuricum plagae vesicantis ope decorticatae ad 4 vel 6 grana inspersum antipyreticas exeruisse vires. Hancce methodum medendi, endermicam dictam, prae aliis Lesieur, Lembert (1), Martin et Avenel (2), Rosa, Broglio, Persico (3) et Lehmann (4) cum fructu adhibuisse testificantur. Interno tamen usui neutiquam praeferendam esse, ubi securus et promptus desideratur effectus, v. g. in febribus perniciosis, absque negotio in-

telligitur. — Pointe, medicus Lugdunensis, 4—8 grana Chinini sulfurici gingivis cum emolumento infricari jussit. — Castella ante paroxysmi ingressum 4 grana ejusdem pharmaci cum solutione amylacea clysteris ope exhibuit. — Adami plane sulfatem Chinini aqua solutum in venas injecit (5); quod quidem tentamen heroicum et periculi plenum imitare non suademus.

(1) Lembert Essai sur la méthode endermique. Paris. 1827.
(2) Révue médicale française et étrangère. Paris. 1827. Tom. III.
(3) Omodei Annali univers. di Medicina. 1830. Gen. e Febbr.
(4) Lehmann Diss. observationes quaedam de usu externo Chinini et muriatici et sulfurici. Berol. 1828.
(5) Adami Risultamenti felici ottenuti nella cura di tre storiate malattie dall' azione del Solfato di Chinina, usato col nuovo metode endermico, e coll' injezione sul sistema venoso. Venezia. 1831.

429. Cinchoninum sulfuricum aequali prorsus, ac sulfas Chinini, pollet virtute febrifuga, ideoque impune substitui potest, quotiescunque oeconomico intuitu corticem fuscum, eique analogas species potius, quam Chinam regiam vel flavam pro salium chinaceorum praeparatione eligere convenerit. Grana 20 — 30 hujus pharmaci, eadem penitus ratione, ac Chininum sulfuricum exhiberi solet, porrecta, febribus intermittentibus etiam pertinacioribus fugandis ordinario sufficere, observationes propriae non solum (1), verum et illae clariss. Bailly (2), Marianinii (3), Carminatii (4), aliorumque evicerunt.

(1) Annales Scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. pag. 182.
(2) Froriep's Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde. B. XIII. Nr. 2. p. 32.
(3) Marianini Osservazioni sulla pratica del Solfato di Cinconina. Mortara. 1826.
(4) Carminati dei nuovi Chinici alcali e solfati di Cinconina e di Chinina. Milano 1829. p. 23.

430. Praestans praeparatum febrifugum nobis suppeditavit etiam lixivium, quod remanet, postquam Chininum et Cinchoninum acidi sulfurici ope educta fuerint, sive sic dictae aquae matres (Germ. Mutterlauge) lenta evaporatione inspissatae. Tali pacto ipsum caput mor-

tuum, quod antea effundi solebat, in utilem finem impendi posse, compertum habuimus. Hocce extractum Chinae elixae vires quidquam debiliores, ac sales chinici, exerit, ideoque dupla plerumque requiritur dosis. Drachma dimidia in decem pilulas divisa, nychthemeri intervallo consumta, et subsequo die repetita pervicacibus etiam febribus quartanis evellendis ordinario sufficit (1). Majores doses facile temulentiam, nauseam et vomitum cient. Utrum Chinino sulfurico praeferri mereatur (2) desiderato experimentorum numero nondum evictum est. — Peculiaris illa substantia, quam Sertürner e praedicto lixivio superstite eduxit, Chinoidinae nomine insignita, nequaquam principium alcaloideum novum et sui generis, sed productum unionis chemicae Chinini et Cinchonini in lixivio remanentium, ac materiae resinoso-extractivae ope sibi invicem arctissime junctorum sistit, testantibus experientiis clariss. Henry, Delondres (3), et Levaillant (4).

(1) Annales Schol. clin. Ticinensis. Pars altera. pag. 184.

(2) Strambio (Giov.) intorno alle mediche proprietà delle acque madri del Solfato di Chinina e della preferenza che possono meritare su quest' ultimo nella cura delle febbri intermittenti. Milano. 1830.

(3) Journal de Pharmacie. Tom. XVI. pag. 144.

(4) Annales de Chimie et Physique. Paris 1829. Août.

431. Chininum et Cinchoninum purum viribus antipyreticis eminenter imbuta esse, observationes Nieuwenhuisii (1), Elliotsonii (2), Marianinii (3), et aliorum satis superque docuerunt. Praeferuntur tamen sales neutri ex iisdem parati ob majorem solubilitatem, blandioremque agendi modum.

(1) Nieuwenhuis verbeterde bereiding van de Kina-Loogzouten. Amst. 1823.

(2) Elliotson Untersuchung über die arzneylichen Kräfte des Quinins. Aus dem Engl. in der Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. B. XXXI. St. 3. p. 466.

(3) Oper cit. pag. 53.

432. Minus usitatos in praxi medica sales chinicos sistunt: 1) Chininum aceticum, a cel. Magendie aliisque Gallis medicis tentatum, blandius fortasse quam

sulfuricum, sed vel ideo, quod in aqua aegre solvatur, pro usu medico minus idoneum. — 2) Chininum citricum, quoad physicas proprietates sulfurico maxime analogum. — 3) Chininum et Cinchoninum acido chinico nuptum, sive Chinas Chinini et Cinchonini, a clar. Henry et Plisson (1) proposita. — 4) Chininum hydrochloricum, seu muriaticum, teste Neumanno et Hufelandio (2) efficacissimum, simulque stomachum alacriter excitans. — 5) Chininum phosphoricum, cujus virtutes laudibus extulit cel. Harless (3), ulterioribus adhuc experimentis confirmandas. — Verum difficilior hosce sales praeparandi modus, majus quo constant pretium, nullaque prorsus efficacitatis respectu praerogativa, rariorem usum facile excusant.

(1) Journal de Pharmacie et des sciences accessoires. Paris 1829. Août.

(2) Journal der prakt. Heilk. 1828. Jänner.

(3) Heidelberger klinische Annalen. V B. 1829. S. 565.

433. Sales chinici generatim, qui cum exigua mole adeo praestantes copulant vires, in illis maxime conveniunt casibus, ubi prompta requiritur medela; in febribus itaque perniciosis, larvatis, comitatis; in illis, quae brevissimas tantum relinquunt inducias apyreticas, uti sunt febres anticipantes, quae in continuas fatiscere minantur, quotidianae protractae vel duplices; demum in ipsis febribus subintrantibus et complicatis, ubi periculum imminens saltem momentaneum complicationis neglectum flagitat. Praeferri demum merentur in feminis, infantibus, aliisve aegrotis sensibilioribus, qui peculiari antipathia Chinae pulverem aversantur, vel quorum stomachus imbecillior ejus molem aegre fert. — Collimant vero experientiae medicorum plerorumque, sales chinicos, licet pro supprimendis febribus praesentissimos, recidivae casum minus tuto evitare; quamobrem in febribus recidivis, neglectis, autumnalibus quartanis, quae notabilem jam solidorum atoniam viriumque languorem induxerunt, usus Chinae in substantia longe magis excellit, idoneis praesertim copulatus pharmacis, amaricantibus et aromaticis.

434. E praecipuis, quos principium chinicum (1),

salesque neutri inde parati in organismo humano exerunt, effectibus, ad eorum vires partim sedativas, partim tonicas concludere licet. Ab initio tamen semper momentanea quaedam virium incitatio ponitur, in systemate vasorum non minus, ac in functionibus vitae sensiferae conspicua, illi non prorsus absimilis, quam Opium, vel potus arabicus producere consuevit; majores enim doses salium chinicorum caput vehementer tentant, atque speciem angiostheniae concitant. Huncce effectum primarium et transitorium substantiae chinaceae brevi excipit secundarius, magis permanens, qui sensibilitatis organicae torpedine, roboris autem intestini augmento se manifestat. Idcirco eminenter convenit et proficit in omnibus morbis erethistica debilitate conjunctis. In systema gangliare, nervosque generatim motui organico automatico gubernando dicatos electivam, ut ajunt, actionem exerere videtur; hinc adeo amicum stimulum suppeditat in febribus intermittentibus et nevrasthenicis cum languore viscerum abdominalium conjunctis, in doloribus nervosis, hysterismo, et s. p. Virtus autem singularis qua principium chinicum pollet, dispositionem in periodicas invasiones, sive febris, sive dolor, aliave morbi forma fuerit, tollendi, antiperiodica passim adpellata, e generali agendi modo adamussim explicari nequit, ideoque hactenus specifica dicenda. Actio electiva super nervos organicos seu gangliares, atque facultas eximia eorum erethismum morbose exaltatum consopiendi, prodigiosum illum effectum quadantenus illustrant.

(1) Hoc nomine generico utramque speciem comprehendere placet; identicus enim agendi modus super organismum, magnaque in characteribus physico-chemicis germanitas nobis semper suspicionem movent, Chininum et Cinchoninum accidentales tantum formas unius ejusdemque elementi esse.

δ. TEMPUS PRAEBITIONIS, ET CONTINUATIONIS NECESSITAS.

435. Tempus pro cortice febrifugo ejusque praeparatis exhibendis maxime opportunum est illud apyrexiae, postquam paroxysmi exantlati omne disparuit vestigium.

— Imminentibus futuri accessus prodromis a cortice desistendum esse, medicorum quidam jubent. — Compertum vero habemus, quanta sit ejusdem remedii scopo confundente exhibiti efficacia. Quapropter nihil obstat usum Chinae debitis intervallis eousque protrahendi, donec frigus febrile potenter evolutum sit; dummodo defuerint circumstantiae contrariae, medici prudentia eruendae. Brokmüller sulfatem Chinini (ad 4 grana in alcohole solutum) immediate ante ingressum paroxysmi cum fructu exhibuisse testatur, (1) quae quidem observatio cum illis alio loco indicatis (§. 359) egregie collimat.

(1) Brokmüller Beobachtungen über die Wirksamkeit der China und des schwefelsauren Chinins in Wechselfiebern, kurz vor dem Anfalle in kleinen Gaben gereicht. (In Harless Neue Jahrbücher der teutschen Medicin. 9. B. 2. St. 1825. p. 148.)

436. Damnosus vero evadit usus praeparatorum chinaceorum durante caloris stadio, sub quo rediviva motus organici expansivi et circulatorii systematis actio, aequilibrium inter factores vitales sublatum restituere, ac nociva, vel saltem superflua elementa variis colatoriis e corpore eliminare nititur. — Damnosior demum adhuc sub ipso actu critico.

437. Pro diversitate intervalli apyretici, Chinae nunc major, nunc minor dosis, mox omni bihorio, mox omni hora repetenda erit. — Hunc in finem, ingruente apyrexia saepe obdormiens aeger, paulo post, remedii sumendi gratia, e somno excitari debet.

438. Corticis peruviani saliumque chinicorum usum protrahendi necessitas quidem nonnisi eousque persistere videtur, quousque febriles accessus recurrere non desinunt. Ob insignem vero febrium in recidivas proclivitatem securior erit modus, aliquot paroxysmorum decessionem expectandi; ne tamen in contrarium timiditatis conjiciamur errorem, nimis protractae utpote nunc damnosae, nunc saltem superfluae Chinae usurpationis, quam nonnulli medici plane ad plures septimanas extendi suaserunt (Sydenham, Morton et Mongart).

439. Certae ac stabiles regulae dari non possunt, sed prudentiae medici plurimum erit committendum. — Ab-

stineri tamen a cortice facile potest, postquam quartanae unus, tertianae duo, ac tres quotidianae emanserunt paroxysmi, suadendo usum magis continuatum in febribus larvatis, perniciosis, autumnalibus, pertinacibus, endemicis. — Si cuidam diutius insistere placuerit, doses saltem sunt imminuendae. — Recidivae evitatio plurimum dependet a justa convalescentiae cura.

*. CONJUNCTIO CHINAE CUM ALIIS REMEDIIS.

440. Etiamsi Cortex peruvianus febri supprimendae per se solus saepissime sufficere soleat; nihilominus plures in praxi occurrunt casus, in quibus mox corticis febrifugas vires adjuvare et acuere, mox lateralibus simul indicationibus satisfacere necessario oportet.

441. Remediis, quae Chinae virtutem exaltare et acuere valent, accensentur omnia corpora medicata, rationali modo eam organismi morbosam conditionem invertentia, qua febris sustinetur (§. 369). — Quatenus Cinchonacea tonicis et adstringentibus alioquin eminent viribus, ejusdem generis pharmacis vix unquam jungi solent; maximo contra cum emolumento aromatiticis, nervinis, amaris, acribus copulantur, uti sunt: Cinnamomnm, Mentha, Valeriana, Arnica, Chamomilla, Calamus aromaticus, Sal ammoniacus, Extracta amara, Vinum, Opium, etc. — Lyson (1) prae caeteris extollit corticis cum Serpentaria virginiana connubium, cui jam Sydenhamus insignes tribuit vires antifebriles. — Ejusmodi combinationum necessitati, ac evidenti efficaciae originem debent numerosa quae in variis Dispensatoriis notantur, ac ab agyrtis venduntur pharmaca antifebrilia composita, electuaria, pilulae, essentiae, tincturae.

(1) Dan. Lyson Pract. Abhandlungen von den Wechselfiebern etc. Aus d. Engl. Leipz. 1774.

442. Edocuerunt nos experientiae et monita Excellentissimi Praesidis et Archiatri L. B. de Stifft, minores etiam doses corticis peruviani profligandis febribus sufficere, dummodo adaequatis combinentur remediis. — In nostra praxi scopo praefixo optime satisfecerunt uniones corticis cum sale ammoniaco, Gentiana, Acoro, Arnica,

Valeriana, aut Opio, individuali casui prudenter adaptatae Polidori et Luchtmann (1) connubium Chinae cum tartaro emetico efficacius esse praetendunt. Idem testatur Gola de Chinino sulfurico paucae tartari stibiati copiae nupto. Tabor et Hosack Chinam cum acido citrico, Bath, Kohlrausch, et Kopp cum Magnesia conjungere suadent. Mucilaginosa, et laxantia salutares corticis vires destruunt.

(1) Luchtmann Disp. chem. med. de combinatione Corticis peruviani cum tartaro emetico. Traj. ad Rhen. 1810.

443. Aegris, qui Chinae corticem ob idiosyncrasiam renuunt, aut ventriculi incommoda patiuntur, medicamen gratius reddatur, ac digestu facilius, vel vero sales chinici substituantur. Inter corrigentia eminent aromata grata, et vinum bonum. — Decoctum Chinae cum tostis Coffeae aut Cacao granis paratum vel mixtum feminis, vino nuptum viris arridere solet. Dulcia Chinae usum magis ingratum reddunt.

444. Si eodem tempore, quo antidotum exhibemus, laterales simul explendae fuerint indicationes, singula indicata casus diversitati erunt adcommodanda.

445. Quibus China alvum movet, aromatibus vel Opio jungatur; decocto vel extracto, quae facilius per alvum ruere solent, substituatur pulvis.

446. In casu contrario clysteribus, suppositoriis, aut electuario lenitivo interpolatim exhibito obviam eundum; et si haec non sufficiunt, cortex peruvianus cum amaris, rhabarbarinis vel aloëticis combinandus; alvus enim sub usu Chinae facilis sit, oportet. Cavendum tamen semper, ne tumultuaria inducatur diarrhoea, corticis vires facile elidens.

Valcarenghi Diss. de usu et abusu rhabarbari cortici uniti. Cremae. 1748.

447. Comes viscerum abdominalium infarctus, aut cachexia universalis, eodem tempore amarorum solventium, salis ammoniaci, mercurii, stibii, aut carbonatis Barytae, a Bernardo Lorenzio propositi, usum postulat. Sales chinici hisce in casibus pulveri corticis peruviani praeferendi.

448. Erethismus excedens, qualis in quibusdam infantibus, in feminis hystericis, ac subjectis nervosis viget, Opio et antispasmodicis, cortici ipsique Chinino sulfurico sociatis, eget.

449. Praesente diathesi hydropica diureticis acribus aut stimulantibus, Squilla, Junipero, Terebinthina, spiritu nitri dulci, vino Austriaco vel Rhenano commisceatur.

450. Reliquae complicationes laterales, quae infinitae esse possunt, medentis circumspectioni sunt committendae.

2. CHINAE SURROGATA.

Burtius Preisschrift über die inländischen Pflanzen, womit man in den Niederlanden die ausländischen Vegetabilien ersetzen könnte. Brüssel 1784.

Renard die inländischen Surrogate der Chinarinde. Mainz. 1809.

Kühn Pr. febrifuga remedia, quae cortici peruv. vicaria succedunt. Lips, 1810.

Henrici Hartung Diss. de Cinchonae speciebus atque medicamentis Chinam supplentibus Argent. 1812.

Ernert de medicamentis in febribus intermittentibus Cortici peruviano substitutis. Berol. 1822.

Thuessink Geneeskundige Waarnemingen. Gröning. 1831.

451. Etiamsi a longo jam tempore medici sedulo studuerint, ut remedium invenirent, quod cortici peruviano aequiparari, illumve superfluum reddere valeret; maximae tamen hoc respectu indagines illo praeprimis aevo institui coeperunt, quo ademptum per plures annos exteris cum regionibus commercium, peruviani corticis penuriam ac enorme pretium produxit. — Jussu Augustissimi et Clementissimi Imperatoris nostri. Cujus tanta est in tuenda populorum salute cura, pro optima argumenti solutione insigne praemium destinatum fuit.

452. Non inficiamur equidem sub universali illo plurium virorum conamine, adtentionem directam fuisse ad remedia tum obsoleta, et oblivioni perperam tradita, tum antiquitus prorsus ignota, quorum aliqua in febribus profligandis virtus omnino innotuit. — Tale autem remedium, quod corticis divinas ac vere specificas dotes in concreto possideat, ejusque usum penitus superfluum reddat, pium

adhuc manet desiderium, semperque manebit, eousque non explendum, quousque nota viget naturae lex: non dari duo entia perfecte similia.

453. Jam inde intelligi poterit: cur sic dicta surrogata sive succedanea Chinae febres intermittentes leves, benignas, vernales, quotidianas aut tertianas quidem satis tuto depellant; contra graves ex adverso et malignas, autumnales, quartanas, neglectas, recidivas vel nunquam, vel rarissime solum aliquid praestare valeant, unde etiam nomen remedii specifici non merentur; — cur in datis epidemiis fere Cinchonae instar agant, alias vero et quidem maxime sub dominio constitutionis endemicae, quam paludosa mephitis parit, omni prorsus destituantur effectu — cur tandem plerumque nonnisi ephemeram servent famam, cum cessante inventoris auctoritate perituram, dum cortex peruvianus per saecula, contemtis injuriis et contumeliis, suam defenderit dignitatem.

454. Quotiescunque cortici peruviano ejusve praeparatis quoddam remedium antipyreticum substituere luberet, ad illas recurrere oportet pharmacorum classes, quae notis potius, quam occultis, qualitatibus, stimulantibus nempe, acribus, tonicis aut sedantibus diathesin paroxysticam evellere valent. Inter succedanea hujus generis prae aliis commendata, suisque jam locis inferta (§. 372—382) numerantur: Valeriana celtica; Parmelia parietina; cortex Fraxini, Hippocastani, Angusturae, Liriodendri, Rhois Cotini; radix Ipecacuanhae, Caryophyllatae, herba Absinthii, ejusque extractum amarissimum (1); etc. — Majorem vero adtentionem mereri videntur nonnulla vegetabilia, quae principio alcaloideo, aliove sui generis scatent, ideoque remotam quandam cum Cinchonaceis analogiam habent, videlicet: Piper nigrum, Capsicum annuum, Coffea arabica, et cortices Salicum.

(1) Lupis Osservazioni ed esperienze sopra la virtù antifebrile dell' estratto amarissimo d'assenzio del Sigr. Leonardi, Speziale di Roveredo. Milano. 1828.

455. Piperis nigri usum, contra febres intermittentes medicis non solum, sed etiam ipsi vulgo jam du-

dum notissimum, in praxin medicam denuo introduxit Lud. Frank anno 1820 (1). Ejus ad mentem decem ad sexdecim grana integra piperis de die porriguntur. Ast et majorem numerum partitis vicibus absumtum nullas prorsus molestias excitare vidimus, levem excipiendo ardorem fauciuni, sitim tantisper auctam, atque sensum non ingratum caloris in stomacho. Ordinario grana indigesta, vel semesa per alvum unacum excrementis secedunt. Hancce medendi methodum in connubio cum remediis amaris et tonicis febres vernales tertianas cito dispulisse, in quartanis vero nil profuisse, ipsimet pluribus experimentis compertum habuimus. — Principium efficax piperis, nomine Piperini insignitum, crystallos exhibens prismaticas, in aqua insolubile, quod cel. Oerstaedt anno 1820 detexit, ac naturae alcalinae esse voluit, clariss. Pelletier et Poutet quidem confirmarunt, sed nonnisi pro materia resinae adfini agnoverunt. Qui ejus usum omnium primus tentavit, clar. Meli (2), Miccoli et Gordini (3), praestantiam insignibus extollunt encomiis, ipsique Chinino sulfurico ferme palmam praeripere contendunt, quum 10 — 20 granis Piperini puri in pilulas redacti plures febres quotidianas et tertianas sublatas viderint. Verum irrita experimenta aliorum, maxime in quartanis, laudes omnino limitare suadent.

(1) Journal complémentaire du Diction. des sciences médicales. Tom. VIII. p. 371. — Med.-chirurg. Zeitung. 1821. N. 9. 10.

(2) Meli Nuove esperienze ed osservazioni sul modo di ottenere dal Pepe nero il Peperino, e su l'azione febbrifuga etc. Milano. 1823

(3) Gordini Osservazioni sull' uso del Peperino. (Omodei Annali univ. di Medicina. 1825. Nr. 102. p. 375.)

456. Piperi nigro prorsus analogas vires exerunt fructus Capsici annui, seu Piperis indici, quorum extractum in febribus intermittentibus vernalibus, quotidianis et tertianis, imo etiam in quibusdam quartanis cum emolumento administravimus (1). Oportet autem ut fructus virides, sive immaturi seligantur; qui enim perfectae maturitatis gratia rubrum contraxerunt colorem, extractum largiuntur acerrimum, quod fauces et stomachum instar

prunae irritat. Extracti Capsici drachmam unam alteramve in aqua Menthae crispae suspendimus, addito quodam extracto amaro, intra nychthemerum consumendam. Eminenter proficuum illis praesertim in casibus evadit, quos dyspepsiae, flatulentiae, colluvies pituitosae, vel diarrhoeae debilitantes comitantur. — Substantiam alcaloideam, a clariss. Buchholz in fructibus Capsici detectam (Capsicinum) ob acredinem nimiam experiri non sumus ausi.

(1) Annales Scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. 1830. pag. 181.

457. Fabae Coffeae, a longiori jam tempore contra febres intermittentes tentatae, (Murray) peculiare gerunt principium, cujus natura alcaloidea nuper experimentis Pelletieri, Caventoui, et Robiqueti evicta fuit. Haecce substantia, crystallos formans tenuissimas, setosas, albidas, amianto simillimas, Coffeina dicta, cui virtus fabarum medicata inesse videtur, hactenus nondum fuit subministrata. Extractum vero fabarum viridium, ad mentem Grindelii (1) paratum in pluribus casibus profuisse novimus. Potus arabicus cum succo citri et Taphia vulgare sistit helluonum febre intermittente laborantium remedium.

(1) Grindel's Erfahrungen über den rohen Caffee. In Hufeland's Journal. der prakt. Heilk. 1809. 11. St.

458. Variae Salicum species, praecipue Salix Helix, pentandra et alba, substantiam continent sui generis, quam Brugnatelli, Buchner et Fontana (1) ante plures jam annos detexerunt, Leroux autem primus in crystallos albas et nitidas redigere docuit, eique nomen Salicini impertivit (2). Girardin et Cagnon dosi non majori, ac sulfas Chinini exhiberi solet, plures febres intermittentes typi diversi feliciter sustulisse ferunt. — Nisi praeparatio hujus pharmaci nimiis juncta foret sumtibus, medicorum adtentionem omnino meretur.

(1) Journal de Chemie médicale. Avril. 1825.

(2) Annales de Chimie et de Physique par Gay-Lussac. Avril. 1830. p. 440.

459. Plura tandem adhuc remedia, ceu succedanea Chinae proposita fuerunt, quorum nec agendi modum fa-

cile perspicimus, nec febrifugam dotem sufficienti observationum numero exploratam habemus. Huc prae aliis pertinent: Colla seu Gluten animale, quo lignarii uti solent, et Albumen ovorum saccharo junctum (Seguin) (1); Tela aranearum in pulverem redacta (Broughton et Jackson) (2); herba Datiscae cannabinae (Rubini) (3), et Salviae glutinosae (Anelli) (4); Taxus baccata (Brera) (5); Calcitrappa (Figuer); Lepidium ruderale (in Russia communiter usitatum) (6); Lycopus europaeus (Jemina) (7); folia Oleae (Cazal et Pallas) (8); cortex Prinos verticillati (Gregg) et Platini occidentalis; stipes Cynarae Scolymi; oleum seminum Cataputiae (Lupis (9); extractum Syringae vulgaris (Cruveillier) (10); Variolaria amara (Cassebeer) (11); folia Ilicis Aquifolii (Rousseau) (12); pulvis Carbonis (Makesy) (13); Acida mineralia, praecipue nitricum; remedium Stützianum (Burkard); Mercurius sublimatus (Potts); Magisterium Bismuti (Urban); (14); Limatura Argenti (Meyer) (15); aliaque plura.

(1) Gautieri Versuche und Beobachtungen über die thierische Gallerte in Wechselfiebern. In Hufeland's Journal. 18 B. 2 St.

(2) London Medical Repository. Octobr. 1825.

(3) Medicinische Nationalzeitung. 1798. S. 345.

(4) Anelli Cenni medici sulla Salvia glutinosa. Milano. 1808.

(5) Brera Comment. med. Tom. I. Part. I. p. p. 76.

(6) Richter G. A. die neuesten Entdeckungen, Erfahrungen etc. I. B. Wien 1831. S. 438.

(7) Dall' uso del Licopo europeo nelle febbri intermittenti. Lettera diretta al Sig. Prof. Brera dal Dr. Jemina; 1820.

(8) Pallas Recherches sur l'intermittence etc. suivies de recherches chimiques sur l'Olivier d'Europe et d'observations médicales sur le principe amèr de ce vegetal dans le traitement de fièvres intermittentes. Paris 1830.

(9) Canella Giornale di Chirurgia pratica. Trento 1825. Luglio.

(10) Cruveilhier Médicine pratique eclairée par l'anatomie etc. Paris 1821.

(11) Friedreich et Hesselbach Beiträge zur Natur- und Heilkunde. 2 B. Nürnb. 1827.

(12) Rousseau de l'efficacité des feuilles de houx dans le traitement de fièvres intermittentes. Paris 1831.
(13) Sammlung auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte. 30 B. 4 St. 1823.
(14) Hufeland's Journal. Oktob. 1827.
(15) Ibid. April. 1827..

460. Princeps medentis officium prae oculis habendo, quod morbum tuto et cito tollere jubet, suapte intelligitur sponte, remedia succedanea ad illos tantum circumscribenda esse casus, qui Chinae ejusve praeparatorum usum vetant, vel perspectae levitatis gratia saltem superfluum reddunt. Oeconomiae autem ipsique aegrotantium sorti male consulerent, qui sanationem, breviori ac tutiori via adsequendam, sine necessitate retardant remediorum incertae virtutis delectu, maxime in febribus, quarum pertinacitatem experientia alioquin jam evicit. Ejusmodi pericula praesertim in Nosocomiis vitanda sunt, ubi sumtus, quos longior aegrorum mora parit, Chinae pretium facile superant. Oeconomico demum quoque intuitu remedia surrogata inter substantias indigenas potius, quam exoticas seligenda forent. — Interim juvabit praecipua duntaxat novisse pharmaca, quae, deficiente Corticis febrifugi praesidio, ejus vices quadantenus supplere valent.

b. ARSENICUM.

Thom. Fowler Medical rapports of the effects of arsenicum in the cure of agues. Lond. 1786.
Harless Bemerkungen und Erfahrungen über die Heilsamkeit des Arsenik's gegen Wechselfieber. Frankf. 1810.
Harless de usu arsenici interno. Tubing. 1811.
Heim der Arsenik als Fiebermittel etc. Berlin. 1811.
Donner de Arsenico febrifugo, caeteris quidem febrifugis certiore, sed omnium minime securo. Berol. 1811.

461. Alterum, cortice peruviano vix non potentius contra febres intermittentes remedium sistit truculentissimum venenum, Arsenicum. Fertur quippe mole insensibili (ne obsit, si Diis placet) datum innumeras febres adeo constanter sustulisse, nunquam ut fefellerit.

462. Videtur usurpari coeptum, aut saltem increbuisse ejus usus circa saeculum XVII, aut hoc ipso pro-

cedente, e relatione Ros. Lentilii ad Academiam Naturae Curiosorum facta. — Ex illo tempore arsenici, ab agyrtis plerumque in usum vocati, ubique passim vestigia reperta sunt. — Praecipue vero periculosum hocce pharmacon in praxin audaci manu introduxerunt Fowler et Brera; (1) cujus antifebrilis virtus postea a Harlessio, Heimio, Winklero, Bartonio, Schnauberto multis encomiis celebrata est.

(1) Annotazioni medico-pratiche sulle diverse malattie trattate nella Clinica medica di Pavia. Crema. 1806. Vol. I. p. 228.

463. Etiamsi antipyreticae arsenici vires negari nequeant; quis est tamen, quaeso, quem lateant summe exitiales dirissimi hujus toxici effectus? Ad pauca solum grana exhibitum, cardialgiam, vomitum, gastritidem, colicas, vertigines, deliria, convulsiones, ac repentinae mortis periculum; diutius ad minimas doses protractum tussiculam siccam, dyspnoeam, paralyses, hydropem, febrim hecticam, et atrophiam non emendabilem lento passu invitat.

464. Nemo itaque mirabitur, si ejusdem remedii scopo febrem debellandi usum similia sequantur posthuma, quae quidem feliciori in casu sub diuturna Chinae et lactis adplicatione evanescunt, interdum vero omne artis molimen elidunt. — Neque patrocinatur arsenico tritum illud de aliis venenis effatum: quod unica sit dosis magnitudo, quae e remedio venenum, et vicissim efficit.

465. Cautiores propterea clinici, maxime qui gravia defuncti Praesidis L. B. de Stoerck monita e fidelibus observatis deprompta ponderaverint, ab hocce ancipiti remedio libenter abstinent, abhorrent; nisi desperatus fuerit casus, contra quaevis alia rebellis, ac deplorata aegri sors, ubi praestat chronicum quoddam malum morti evidenti praeferre.

466. Potiores ragulae, quas sub usu arsenici observandas docuit incomparabilis Hartmannus (1), sunt: 1) Arsenicum non adhibeatur, nisi in febre gravissima larvata, perniciosa, aut pertinacissima, nullo mitiori remedio sananda. 2) Doses cautissime dispensandae, post intervalla sat magna repetendae, semper e vehiculo quo-

dam mucilaginoso vel lacteo propinandae, aut opio jungendae. 3) Quamprimum phaenomena suspecta in conspectum veniunt, ad antidota quantocyus recurrendum. 4) Energia vitalis opportunis auxiliis conservanda.

(1) Hartmann Pharmacologia dynam. Tom. I. p. 379.

467. Praeparata, pro usu interno destinata, erant sales e connubio arsenici albi seu acidi arsenicosi cum lixiva aut soda carbonica, qui arsenico albo praeferebantur. — Solutionis sodae arsenicosae, seu Liquoris antipyretici, a Harlesio commendati, guttae decem aut quindecim pro adulto bis, terve in die exhiberi solebant, in vehiculo quodam mucilaginoso. — Hodierno autem aevo, quo pretiosissima innotuerunt Chinae praeparata, exiguis dosibus prodigiosas vires antipyreticas exerentia, Arsenici usui penitus valedicendum.

2. TRACTAMEN

FEBRIUM INTERMITTENTIUM ANOMALARUM ET COMPLICATARUM.

468. Quamprimum febres intermittentes anomalias induunt in decursu, quas nunc in paroxysmorum symptomatibus et stadiis, nunc in apyrexiis, nunc in typi ratione observare licet; etiam methodus medendi a consueta, quam morbus regulariter excurrens postulat, diversa sit, oportet. — Generalis enim et hic suam auctoritatem defendit canon, jubens: ut morbus anomalus in regularem, complicatus in simplicem convertatur.

469. Si anomaliae aut complicationis manifesta innotuit causa, in aegro vel in rebus eum circumdantibus sita, directo modo erit auferenda. — Sin vero latuerit, vires naturae ita disponere et moderari oportebit, ut lateralibus obedire cessent impulsibus, et ut singulorum paroxysmorum ad finem salubres efficere possint evacuationes, quarum cohibitio creberrimum sistit anomaliarum et complicationum fontem.

470. a. Febres inordinatas et latentes (§. 75 et seq.) remediis aperientibus, et amaro-solventibus non raro in manifestas mutari videmus. Si tamen leniora

ejusmodi remedia non suffecerint, magis tonica in connubio cum sale ammoniaco, aut cum aromatibus requiruntur. — Adstringentia et Cinchonacea fere nunquam prosunt; imo saepe saepius anomaliam augent, et cachexiam invitant.

471. Febres comitatae et larvatae, praecipue illae, quae sub ominosi symptomatis schemate recurrunt, ac ideo perniciosae dicuntur, quantocyus supprimendae sunt, nullo interdum ad ipsas complicationes respectu habito. — Quapropter valentissima in usum trahantur febrifuga. 1) China selecta in dosi dupla aut tripla, brevibus intervallis repetita, tempore apyrexiae ac sub paroxysmo inchoante, in substantia porrigenda. 2) Ejusdem cum sale ammoniaco, Valeriana, Opio miscela. 3), Sulfas Chinini aut Cinchonini ad grana 20 — 24 nychthemeri spatio consumenda, interpolatis pari tempore pharmacis, quae praevalenti respondent febris characteri. 4) Irritamenta cutanea, sinapismi aut vesicantia, ad suras, et ad epigastrium cum energia adplicita (1). 5) Methodus praevertens et confundens casui analoga. 6) Rationalis symptomatum urgentium durante paroxysmo medela.

(1) Wolff Abhandlung vom Nutzen der spanischen Fliegenpflaster in soporören Wechselfiebern. Altona 1785.

472. Indicatorum remediorum protractior requiritur usus, quam in manifestis et simplicibus fieri solet. — Suffocata demum febre residuae complicationes, quas primo intuitu negligere oportuit, debite tractandae; iisque simul obviam eundum taediis, quae fors e nimis tumultuaria therapia pullulare potuerant.

473. b. Febres intermittentes typi compositi, proinde quotidiana et tertiana duplex, quartana duplicata et triplicata, ante omnia simplices reddendae sunt; quotiescunque enim febris intervallata duplici incedit paroxysmorum, harmonico vinculo junctorum, serie, talique pacto duos quasi, vel tres febres sibi invicem insertas refert, aliquam causam in organismo delitescentem extare supponit. Ista interdum manifesta est, in communibus quaerenda complicationibus; quandoque vero prorsus latet, febre omnis ferme complicationis experte, e composito tamen typo jure conjecturanda. Hisce in casi-

bus usus remediorum amaro-solventium et nervino-tonicorum prae aliis convenit.

474. c. Febres intermittentes subcontinuae, ac vario charactere inquinatae, hujus praeprimis amotionem deposcunt. Vix damnosiorem novimus praxin, quam febres intermittentes antipyreticis, et maxime Chinaceis supprimere, antequam complicatio ablata, atque typus compositus in simplicem conversus fuerit. Quae e sua natura omni malitia caret, febris, saepenumero perversos contrahit mores solius medelae iniquae gratia. — Attamen plurimum differunt remedia, quae id praestare valent, pro diversitate praevalentis naturae, et organici systematis morbose adfecti. — Postquam complicatio aptis adminiculis abstersa, aut maximam partem infracta, et febris intermittens simplex reddita fuerit, haec nunc rationali methodo, nunc remedio specifico jugulanda. Interdum uno quasi ictu utrumque adtingere finem succedit.

475. α. Febres intermittentes charactere inflammatorio excessivam supponunt systematis arteriosi energiam cum haematopoëseos munere incitato, quam aptis remediis cicurare oportet.

476. Raro character inflammatorius et topica quaedam phlogosis ad eam evehitur potentiam, ut generosiori indigeat adparatu, quin simul intermittens deleatur qualitas. — Sufficiunt ideo plerumque remedia emollientia, refrigerantia, solventia, eccoprotica, decocta Althaeae aut Graminis cum salibus mediis, nitro, cremore tartari, sale anglico, arcano duplicato; pulpa Tamarindorum aut Prunorum, Manna, serum lactis, etc.; non negligendo et topica auxilia sub organi cujusdam irritatione, vel vera inflammatione.

477. Juvat prae caeteris colatoria aperta servare, ut salubria naturae virium subleventur et adjuventur molimina. Superficiei cutaneae eminens habeatur respectus, ubi praevalens in membranis mucosis aut serosis passio, sub forma adfectionis catarrhosae vel rheumaticae incedit.

478. Si vero plethora insignis cum pulsu duro, forti, aut suppresso, delirium phreniticum, peripneumonia

gravis cum sputo cruento, acris pleurodynia aut colica, incitationis organicae exorbitantiam nimis vehementem indicaverint, venaesectio sine mora instituatur, pro casus necessitate repetenda.

479. Multum inter medicos disceptatum fuit circa venaesectionis in intermittentibus utilitatem et damna pariter, ac circa tempus pro vena tundenda summe opportunum; quin ex similibus litibus justa formari potuissent corollaria. — Res tamen per se nimis clara est, quam ut ulteriori indigeat discussione. — Si aequi fuerint indicationis fontes, e quibus phlebotomiae desumitur necessitas, virium utpote vitalium conditio, atque organi nobilioris activa congestio; etiam effectus nonnisi salubris esse potest, dummodo intra debitos prudentiae cancellos constiterit medicus. — Nihil tunc interest, utrum ante paroxysmum, vel illo jamjam evoluto, vel tempore imperfectae intermissionis instituatur. Cavendum unice erit, ne sub paroxysmi declinatione vena tundatur; naturae vires enim, quae in febribus subcontinuis alioquin incapaces sunt paroxysmis perfecte solvendis, in salubribus facile impedirentur operationibus, quas potius expedire juvat. — Phlebotomiae abusum febres intermittentes pejores ac diuturniores reddere, jam Sydenhamus docuit. Testatur quoque incomparabilis Ramazzinius multoties accidisse, ut cum die intermissionis celebraretur phlebotomia, eadem die febris corriperet, et de simplici tertiana duplex fieret. Febres intermittentes aestivas sanguinis incongrua detractione aliquoties in perniciosas converti vidimus.

Nicolai Programata de missione sanguinis in febre intermittente. Jena. 1787.

480. Eadem ratione, qua hypersthenicae universalis aut topicae apta medela infringitur impetus, singula quoque componuntur phaenomena, apyrexiae indies clariores fiunt, typus intermittens subcontinuus in perfecte intermittentem dilabitur, atque febris complicata redditur simplex, si non sub eodem evanuerit adparatu.

481. Depurata tandem intermittens methodo rationali aut specifica tractetur, respiciendo semper ad characterem inflammatorium brevi extinctum, ac ad facilem ejus

in recrudescentiam nisum. — Arrident ideo amara et Cinchonacea simplicia prae acribus et stimulantibus.

482. β. Febres intermittentes charactere septico cum inflammatoriis in eo convenire diximus, quod systema sanguineum eminenter adfectum habeant; differunt tamen indole, quum virium vitalium infracto robore, ac languida sanguinis elaboratione stipentur, nisui in liquationem patrocinante.

483. Exigunt promptissimam et summe energicam eorum remediorum adplicationem, quae prostratas vires erigere, haematopoëseos processum intendere, ac dyscrasiam septicam emendare valent, antiseptica passim dicta. — Huc pertinent Cinchonacea, skytodephico principio scatentia, acida mineralia, stimulantia potentiora, uti vinum generosum, Camphora, Angelica, Serpentaria, Ruta, Mentha, dosibus largis exhibita.

484. Quatenus haec pharmaca simul palmaria antipyretica sistunt; eatenus adparatu ipsissimo, quo complicationem summe fatalem tollere conamur, paroxystica quoque organismi diathesis exstingui, ac febris intermittens radicitus devinci solet.

485. Haemorrhagiae, sphakelus, et varia profluvia colliquativa his febribus communia, symptomaticam et topicam medelam postulant.

486. γ. Febres intermittentes charactere nervoso ratione perniciei prioribus maxime sunt adfines, a quibus tamen differunt, quod manifestum in processu chemico-plastico vitium non patefaciant, sed dynamicam organismi sphaeram vario titulo, et quidem eminenter adfectam exhibeant.

487. Etiamsi omnis febris intermittens simplex in sensu lato nevrosis dici mereatur, quum sphaeram sensitivam systematis reproductivi pro principali agnoscat substrato; nervosa tamen per eminentiam ea solummodo vocari solet, quae vel sub paroxysmo, vel extra illum nervosis symptomatibus altioris gradus, et inconsuetis sociatur.

488. Fluit inde, ipsas indicationes, quae graviorem statum nervosum oppugnare jubent, a scopo therapiae ra-

tionalis febrium intermittentium simplicium valde parum, et solo gradru discrepare.

489. Excessiva si fuerit virium nervosarum incitatio, deliriis, convulsionibus, hyperaesthesi et similibus juncta, eam sedantibus et narcoticis deprimere oportet, ne in paralyticam vertatur astheniam, dummodo in meningibus enkephali dolose non delituerit status congestionis, hirudinibus sublevandus. Huncce saltem casum in febribus endemicis perniciosis haud raro occurrere, observationes clariss. Itard (1), Bailly et Puccinoti docuerunt. Opium in praedictis casibus, secundum Lindii, Wirtensohnii, S. Vogelii, Frankii, ac nostrae scholae experientias principem sibi vindicat laudem, ad grana tria vel quatuor nychthemero absumtum; praesertim si cum Zinco, tonicis et Cinchonaceis vel cum stimulis diffusibilibus parca dosi jungitur, non neglecta simul medela antagonistica. — Praeferenda est methodus Opium plena dosi subministrandi.

(1) Itard Mémoire sur quelques phlegmasies cérébrales, présentées comme cause de fièvres intermittentes pernicieuses. (In Revue médicale. Octob. 1823.)

490. Si e contrario vis nervosae resolutio, et paralyticus torpor periodice regeneratur sub forma febris comitatae syncopalis, algidae, lipyriae, vel vero etiam tempore intercalari continuat sub forma febris subcontinuae nervosae; ad potentissimos recurrere oportet stimulos cortici peruviano nuptos, cujus divinas dotes nervino-tonicas in simili casu nullum aliud supplere valet remedium. — Radices fragrantes Angelicae, Imperatoriae, et Serpentariae, Naphthae, olea aetherea, praesertim exotica, oleum Cinnamomi, Cajeput, Camphora, Moschus, Ammoniacalia, Succinum, vinum generosum, aliaque plura, dosi semper larga sunt propinanda una cum revellentibus, et diaeta eupepta. — In casu desperato ipsius Phosphori vires implorare licet, debitis sub cautelis.

491. δ. Febres intermittentes charactere gastrico saburrae in ventriculo aut intestinis hospitantis citam expulsionem dictant; illa enim non solum diathesin in periodicos accessus febriles fovet, nervos splanch-

nicos continuo irritando, verum etiam remediorum antifebrilium usum repudiat.

492. Ventriculus sordibus plenus emetico evacuandus, nisi absoluta quaedam fuerint, quae vomitum ciere vetant, obstacula: haemoptoë, capitis turgor apoplexiam minitans, graviditas, hernia. Seligatur pulvis Ipecacuanhae cum granulo tartari stibiati, aut hujus solutio, si alvum simul movere congruum foret.

493. Libentissime emetica subministrare solemus ante paroxysmum, aut sub illius praecursoribus; tunc enim, praeter, quod saburram eliminent, ac viscera abdominis salubriter concutiant, diathesin febrilem infringere, paroxysmos futuros imminuere, ipsamque febrim non raro radicitus fugare valent potente, quam in systemate nervoso efficiunt, revolutione seu metasyncrisi. Quare etiam absente omni saburra cum emolumento adhibentur, ad alienam nervis impressionem conciliandam, uti jam Alexander Trallianus monuit (§. 358).

Murray Diss. de tempore exhibendi emetica in febre intermittente maxime opportuno. Goet. 1782.

494. Absoluta emesi, quam saepe repetere pernecessarium est, saburrae inferiora versus promotae reliquias decoctis solventibus, acidulis, salinis, simulque eccoproticis corrigere, eorumque plenariam expulsionem promovere juvat. — Remediorum, quibus nonnulli saburras mobiles reddere volunt, necessitatem non perspicimus.

495. Sordes in intestinis collectae catharticis egent remediis; nunc lenioribus, eccoproticis et laxantibus; nunc fortioribus seu drasticis. — Inter leniora eminent sales medii, ex amaricante quodam decocto porrecti, Tamarindi, pruna, mercurius dulcis, Rheum, Senna. Mannata et mellita, quatenus tubum alimentarem relaxant, non conveniunt, nisi notabilis intestinorum irritatio inflammatoria particularem mereatur respectum. — Drasticis accensentur Aloë, Jalappa, Scammoneum, Gummigutta, Cólocynthis, quae prioribus quidem efficaciora sunt in diathesi febrili simul enervanda, ast validam postulant subjecti, et praecipue organorum digerentium constitutionem. — Multa arcana antifebrilia, uti pilulae Redlinger, pul-

veres d'Allhiaud, guttulae Pragenses, et similia, efficaciam plurimum debent aut Jalappae, aut Aloëticis, e quibus una cum aliis ingredientibus conflantur.

496. Quum vero in cunctis febribus gastricis, praeter saburrae evacuationem, maximus simul respectus habendus sit illius conditionis pathologicae primarum viarum aut organorum vicinorum, quae continuata pituitae, vel bilis secretione gastricam notam producit et sustinet; altera sponte exsurgit indicatio, quae huncce pathologicum statum membranarum mucosarum in febribus pituitosis vernalibus, hepatis contra in aestivis corrigi jubet.

497. Hoc pacto characterem gastrico-pituitosum solventibus antiphlogisticis et digestivis, vel vero amaris et acribus adgredimur, prouti ille vel a membranae mucosae irritativo statn, vel a laxitate dependet. — Character gastrico-biliosus acidis vegetabilibus, et rhabarbarinis optime corrigitur, praemissa necessaria evacuatione.

498. Tali sub methodo non solum notam gastricam, sed ispsam febrim periodicam crebro evanescere videmus; febres enim intermittentes gastricae veris atque aestatis constantes esse solent soboles, et qua tales semper minorem manifestant pertinaciam. — In casu minus secundo, imperante praeprimis autumno, gastrica solum devincitur colluvies, atque febris simplex reddita suis postea jugulanda erit remediis.

499. Quo major fuit generosae evacuationis necessitas; eo majus quoque esse debebit pristinum fistulae cibariae robur restituendi studium.

500. ε. Febres intermittentes charactere cachectico, manifesta quippe reproductionis organicae labe habitum corporis depravante complicatae, pristinam hujus functionis laesae integritatem restituere jubent.

501. Quatenus vitia vegetationis plerumque effectum febris intermittentis diuturnae aut anomalae sistunt; eatenus primo intuitu clara patet indicatio, febrim utpote genitricem quantocyus supprimendi. — Si vero perpendimus, remediis, quae causae ablationem praestant, secundarios in systemate reproductivo effectus nequaquam tolli, quin imo facile exasperari; indicationis prolatae dolus sponte

elucescit. — Exceptionem nonnisi merentur rariora illa febrium specimina, quorum recurrentibus paroxysmis cachexia indies, ac visibiliter augetur. Corticis febrifugi opes tunc quantocyus implorandae (§. 402).

502. Omnes reliquae febres cachectica nota inquinatae, depurandae sunt iis auxiliis, quae productionem organicam in quantitate, aut qualitate laesam emendant.

503. Reproductionis in quantitate justo magis incitatae exemplum praebent viscerum abdominalium parectamata. Remedia, quae ejusmodi hypertrophiam imminuere valent, consistunt in apto regimine diaetetico, in purgantibus, subemeticis, solventibus amaris vel salinis, ac ultimo in tonicis, laxitatem corrigentibus.

504. Vitiata processus vegetativi qualitas, quatenus cum febre intermittente in causali existit nexu, duabus communiter sese manifestare solet formis, emphraxi utpote viscerum ventralium, et hydrope.

505. Emphraxes viscerum suam originem debent majori processus reproductivi in coagulum vitiosum nisui; hinc indicata non erunt alia, quam remedia resolventia; nunc antiphlogistica, si manifestum simul obtineat incitationis vitalis augmentum; nunc magis tonica et acria, si torpor et laxitas praedominetur.

506. Resolventibus antiphlogisticis adnumerantur sales medii, qui simul purgant; aquae soteriae; saponacea; radices Graminis et Liquiritiae; mercurialia mitiora; serum lactis, etc. — Inter solventia efficaciora pertinent, omnia amara quae principio extractivo et saponaceo scatent, uti radices Taraxaci, Cichorei, Saponariae, herba Fumariae, inter acria stibium, alcalina, sal ammoniacus; murias Barytae, Chelidonium, Lactuca virosa, stipites Dulcamarae, omnia emetica in dosi refracta. Utriusque generis medicamenta cum fructu commiscentur, aut stimulantibus, praecipue gummi-ferrulaceis, si casus id exigat, acuuntur. — Praeferimus tamen vix non semper solventia mitiora salina et amaricantia prae generosis et venenatis; priora enim, etsi lentius agant, tutius agunt, et magis stabile adducunt solamen.

507. Praeter internum mox enarratorum usum, optime simul conveniunt frictiones resolventes cum sapone

ammoniacali, vel unguento hydrargyri cinereo, ad unum alterumve hypochondrium instituendae, habita semper alvi liberae ratione. — Regiminis demum diaetetici serius exponendi opportunus fiat delectus.

508. Sub hocce adparatu prudenter modificato pro casus varietate, stases viscerum (nisi summe inveteratae) solvuntur; generale, quod inde saepe pendet productionis organicae vitium emendatur, habitus corporis corrigitur, atque febris, si non evanuerit, saltem regularior et manifestior redditur, ita, ut omni tandem complicationis nota ablata, remediis nervino-tonicis, vel specifico cortice ejusque praeparatis tuto jugulari possit.

509. In chronicis et inveteratis viscerum vitiis, quae radicalem respuunt curam, sufficit aliquod tulisse levamen; quo plurimum etiam contribuere possunt ipsi motus febriles caute moderati, quos praemature supprimere velle, facile nocivum evadit. — Si tandem de suffocanda agitur febre, postquam habitus aegri correctus, ac functiones naturales ad normalem, per quantum licuit, statum perductae fuerunt, corticem peruvianum vel Chininum sulfuricum cum solventibus, Taraxaco, Cichoreo, sale ammoniaco libenter jungimus, ut recidivae tanto facilius tollatur metus.

510. Leucophlegmatia vel hydrops una cum intermittente incedens febre, praeter solventia, diureticis simul eget remediis, nunc antiphlogisticis, nunc acribus et stimulantibus, quae cum cortice peruviano unire oportet, si crescens indies cachexia febrem suffocare jubet. Quanta sit Chinae cum sale ammoniaco, Squilla, Junipero in simili complicatione efficacia, cuivis practico notum est. In casibus hydropis ex cohibita cutis transpiratione ortis, vel eas febres excipientibus, quarum paroxysmi parco tantum solvuntur sudore, diaphoreticorum opes implorandae. Lotionum frigidarum efficaciam, sub ejusmodi rerum statu saepius experti sumus.

511. A remediis antipyreticis stipticis sedulo cavendum in omni febre, quae sub decursu productioni organicae infensa redditur; nam etsi laxitatem emendent, colatoria tamen facile occludunt, atque resolutioni stasium passivarum obstant. — Ipsius Cinchonae adstringens princi-

pium ex eadem ratione remediis solventibus moderari conamur, ubi rebellis febris absolutum ejus exposcit usum. — Exceptionem unice facerent comites cachexiae cum praevalente in colliquationem nisu, e. g. scorbutica.

III.

REGIMEN DIAETETICUM.

512. Aptum diaetae selectum in curandis febribus intermittentibus summum respectum mereri vel inde liquet, quod magna harum febrium turma e pravo regimine oritur, et quod plurimae sub decursu productioni organicae insidias struunt, cujus sensitivam sphaeram eminenter adfectam praebent.

513. Aëris atmosphaerici ea requiritur conditio, quae systematis nervosi vires recreat, processum vegetativum emendat, incitat, promovet. Esto purus, liber, ventillatus, siccus, temperatus. — Nocet aër humidus, densus, nebulosus, vicissitudine caloris et frigoris alternans, inclusus, paludosis effluviis aliave mephite foetus. Quapropter angue pejus et cane vitanda sunt: mora in locis uliginosis, in cemeteriis, templis; ambulationes ad litora et ripas fluviorum; aura vespertina; decubitus in cespite sub Jove frigido; refrigerium quodvis humidum; balnea. Illis, qui ob clima nefastum endemica laborant febre, itinera in feliciores terras suadenda. — Quibus id suscipere domesticae vetant angustiae, atmosphaerae ambientis conditio arficiali modo, per quantum fieri potest, salubrior, aut saltem minus noxia reddenda.

514. Quoad victum et potum cavendum est ab omnibus illis alimentis, quae vires digestrices dejiciunt, difficulter subiguntur, ac nervorum splanchnicorum efficientiam debilitant, uti sunt fructus horraei recentes, carnes suillae, pisces, pinguia quaevis, caseus, lacticinia, ova cocta, panis recenter pistus, potus fatuus, cerevisia. Tempore apyrexiae convenit victus mixtus, digestu facilis, ex oleribus et fructibus coctis, aromate conditis, jusculis concentratis, carne vitulina aut gallinacea. Quoad quantitatem sit moderatus, imo parcus, si breve fuerit intermissionis intervallum. Durante paroxysmo sufficit jus meracum pauxillo panis biscocti mixtum. Pro siti fallenda inserviat

vinum aqua dilutum. Post prandium modica concedatur potus arabici dosis.

515. Vestitus ratio ea requiritur, quae injurias externas arcere valet, quin corpus gravet.

516. Tempore apyrexiae moderatus corporis motus optime conducit. Imminente vero accessu febrili lectum petat aeger, eumque non relinquat, nisi absoluta crisi, quam blandus plerumque excipit somnus, pristinum virium robur restitutum sit.

517. Febres intermittentes larvatae, subcontinuae, anomalae et complicatae magis strenuam exigunt diaetam individuali casui adcommodandam. In febribus intermittentibus inflammatoriis et gastricis victus parcus et solvens, potus diluens; in septicis et nervosis analepticns, nutriens, cardiacus, aromaticus; in cachecticis nutriens solventi junctus indicatur.

IV.

CURA CONVALESCENTIAE.

518. Postquam febris intermittens, sive simplex, sive complicata debitis auxiliis jugulata fuit, plurimum interest, ut ejusdem evitetur recidiva. Quapropter diligentissima requiritur convalescentiae cura; compertum enim habemus, etsi morbus ablatus fuerit, longiori tempore clandestinam latere opportunitatem, pristino malo, data minima causa, provocando idoneam.

Rubini Diss. sopra la maniera meglio atta ad impedire la recidiva delle febbri periodiche, coronata etc. Modena. 1805.

519. Prae aliis convenit protractus remediorum amaricantium et aromaticorum usus, atque regiminis mox expositi ratio, evitando omnia, quae ipsum morbum giguere valent, momenta.

520. Nimis protractum Chinae usum, non minus, ac repetitam ejus septimo (in tertianis), ac decimo qnarto (in quotidianis et quartanis) post ultimum accessum die praebitionem, a Sydenhamo et aliis propositam, omnino superfluam esse censemus.

521. Vituperandus est quorumdam plebejorum non solum, sed et medicorum mos, purgantibus eum in finem utendi, ut cortex peruvianus ingestus e corpore eliminetur.

Imaginaria corticis in tractu intestinali praesentia, evacuatione non eget. Superstes in recidivam pronitas purgantibus facile augetur.

522. Si convalescentium venter officio suo respondere recusat, clysteribus aperientibus, diaeta apta, corporis motu, aut pilulis ex Aloë vel Rheo confectis sollicitetur.

523. Similiter nociva est venam secandi consuetudo, quae mense Majo, scopo sanguinem depurandi, a multis protegi solet profanis.

524. Imaginationis imperium in provocandis recidivis abunde constat; quare medici officium erit, animum aegri ita disponere, ut omnem rediturae febris timorem amittat. Plurimum contribuere poterit adtentionem aegri meticulosi, illis maxime diebus et horis, quibus febris invadere solebat, ad alia dirigere objecta.

V.

CURA SUCCESSIONUM.

525. Inter innumeras, quae febres intermittentes diuturnas et anomales excipere possunt, sequelas, creberrimae sunt variae cachexiarum species, quarum tractamen ex supra dictis facile desumitur.

526. Reliquorum posthumorum curam hic loci exponere velle, superfluum foret opus, quum de illis alioquin in decursu Nosologiae specialis fusius tractare oportebit.

527. Unicum monuisse juvat: ut exactus semper habeatur coëxistentis diatheseos febrilis respectus, quae perfectae successionum sanationi frequenter obstare solet. — Scimus autem febres cortice praemature suppressas aeque, ac neglectas, aut taedioso solventium et purgantium usu alitas, ortui malorum posthumorum favere.

528. In primo casu medicorum non pauci suadent, ut pristina denuo revocetur febris, a cujus concussionibus salubrem sperant effectum. Id nonnulli remediis purgantibus et speciatim sale mirabili Glauberi (Graf) (1), favente praeprimis constitutione annua; alii cortice Mezerei variis cutaneae superficiei locis adplicito; alii adcubitu (contagiosae febrium intermittentium indolis idea ducti); alii Belladona; alii balneis frigidis per septem dies eadem

semper hora repetitis (Brachet) (2); gas acido carbonico denuo alii efficere contendunt. — Si vero perpendimus, quantae et quales ad genesin febris intermittentis requirantur circumstantiae, tum ignotae, tum nulla arte procurandae (cosmicae), problematis difficultas facile elucescit.

(1) Graf Chemisch-pharmaceutisch-clinische Tabellen. I. H. München. 1814.

(2) Sammlung auserles. Abhandl. f. pract. Aerzte. 37. B. 1. St. Leipz. 1829.

529. In altero casu posthuma plerumque obscuris motibus febrilibus comitata et fota cernimus, quos aptis remediis, ipso cortice peruviano non exempto, jugulare oportet.

VI.

PROPHYLAXIS.

Ceresole Saggio sulle febbri intermittenti, modo di curarle senza China, e di conservare la salute agli abitanti delle risaje e delle paludi. Torino. 1819.

Kirkhoff Considerations pratiques sur les fièvres intermittentes, avec des avis sur les moyens de s'en préserver dans les localités humides et marecageuses. Amsterd. 1825.

530. Omnis cura prophylactica ad duo praecipue adtendere jubet momenta: 1) ut causae morbum producere solitae destruantur, imminuantur, aut saltem arceantur; 2) ut singulorum individuorum organismus firmetur, talique pacto ejus in percipiendis injuriis externis proclivitas obtundatur.

531. Quodsi uspiam difficultates occurrunt in variis morborum generibus praevertendis; maximae sane erunt in eodem scopo, relate ad intermittentes, adtingendo. Ratio facile liquet, si perpendimus, ad genesin febrium cosmicas simul conspirare potentias, quas frenare, extra artis humanae limites positum est.

532. Negari tamen nequit, notabile emolumentum jam inde fluere debere, si eas saltem vi et numero imminuere conamur noxias, quae humanae potentiae sphaeram activam non excedunt. Has inter principem locum sibi vindicant illae, quas certae cuidam regioni infensas, endemicarum febrium uberrimum fontem esse cernimus. — Reipublicae subsidium tamen hoc intuitu plus valebit, quam singulorum medicorum conamina.

533. Huc spectant: stagnantium aquarum derivatio et paludum exsiccatio, in quibusdam Italiae et Galliae provinciis jussu regiminis jamjam tentata; constructio aggerum et molium ad praepediendas inundationes; excavatio alveorum; sylvarum densarum interlucatio; leges oryzae et pratorum irrigatorum culturam in vicinia urbium et oppidorum interdicentes; solers causarum febres producere valentium fuga: humiditatis, aurae vespertinae, somni sub divo capti, victus pravi, etc., praecipue aequinoctiorum tempore.

534. Alterum indicationis prophylacticae momentum in eo consistit, ut organismus humanus versus inimicas potentias magis insensibilis reddatur, firmando prae caeteris communiora febrium intermittentium atria, tractum utpote alimentarem, cutisque superficiem. — Id quodammodo praestare juvat exquisitum regimen diaeteticum, victus digestu facilis, nutriens, aromaticus, modicus vini, cremati, aut potus arabici usus; exercitium corporis; ventillatio domus; mundities corporis.

535. In Teutonia septentrionali haleces sale conditi a plebe pro remedio praeservativo habentur, cujus vires concipi possunt, quatenus ventriculi energiam abundante principio salino concitare valet.

536. Salubris omnino etiam esse poterit fumus tabaci, ob narcotico-acres, quibus ventriculum ferit vires, si nocua vitetur sputatio. Experientia saltem testatur viros, et praesertim milites, qui fumum avide sugunt, morbis epidemicis minus obnoxios esse.

537. Cortex peruvianus prophylactico exhibitus scopo commendationem non meretur; nam, etsi ejus efficaciam in dubium vocare non audeamus, diuturniorum tamen, ac per menses protractum usum, qualis necessario requireretur, absolute damnosum existimamus.

538. Ut demum publica salus earum ditionum, quae endemicis abundant febrium intermittentium seminiis, eo facilius servetur, subditos requisitis Hygienes principiis instruere, ac tale munus scholis publicis, vel parochorum curae committere omnino juvaret.

ORDO SECUNDUS FEBRIUM.

FEBRES CONTINUAE.

DE FEBRIBUS CONTINUIS SUMMATIM.

Jodoci Lommii de curandis febribus continuis liber. Amstel. 1745.

Jaeger, die anhaltenden Fieber, und Untersuchungen ihrer Kennzeichen. Mainz 1790.

Brewer Diss. de febre continua remittente. Duisburg 1798.

539. Febres, quae e pluribus quidem paroxysmis conflatae, decursu tamen non interrupto aegrum detinent, donec vel in salutem, vel in mortem, vel in alium morbum terminentur, continuae medicis dicuntur. (Germ. Anhaltende Fieber.)

540. Febrium intermittentium paroxysmi apyretico separantur intervallo, plus minusve perfecto; continuarum contra invasiones ita se excipiunt, ut una nondum finita jam altera subintret.

541. Sunt autem febres continuae vel ex origine tales; vel ex intermittentibus nascuntur, dum paroxysmi notabiliter anticipantes simul prolongantur. — Ultimo in casu etiam libenter in intermittentes dilabi solent.

542. Non solum constans, quae singula paroxysmorum febrilium stadia comitatur undulatio; sed prae aliis coitus inter paroxysmum nondum extinctum ac recenter subortum, intensionem symptomatum morbosorum augere necessario debet, ea ratione imminuendam, qua, dissipato prioris paroxysmi syrmate, nonnisi alter remanet.

543. Inde originem repetere omnibus practicis visae febrium continuarum exacerbationes, ac remissiones. — Febris, quae luculentam manifestat oscillationem inter morbum per vices ingravescentem, ac denuo remit-

tentem, continua remittens audit, ut distinguatur a continua continente, quae sine induciis aequali fere tenore aegrum premit.

544. Hujus ultimae tamen, ab Antiquioribus non raro notatae febris realem existentiam merito in dubium vocare fas est; etenim febrium omnium e pluribus paroxysmis compositio, gradarium incrementum et decrementum, ipsiusque ephemerae constans, quae stadiorum circuitu inducitur, undulatio, decursus continentis possibilitatem omnino excludit. — Diligens insuper observatio docet, etiam illas febres, quae continentem primo intuitu mentiuntur decursum, semper aliquam exacerbatiunculam vespertinam, ac lenimen quoddam sublucanis horis manifestare.

545. Superfluam igitur censemus, quam medicorum haud pauci inter febres continuas continentes (συνεχουτες πυρετοι), et remittentes faciunt distinctionem. — Superflua proinde etiam redduntur nomina Synochi, et Synochae, quorum utrumque juxta vim vocis (a συνεχέω, contineo) nil nisi febrem continentem indicare potest; alterum praeterea, Synochae utpote, grammatices prorsus repugnat regulis, quum jam Synochos generis feminini sit. — Exclusa tali pacto et barbara, et ambigua voce, quacum mere arbitrarios conceptus jungere nonnullis placuit, plures facile evitabuntur errores.

546. Febres continuae incipiunt plerumque a frigore plus minusve intenso, solitis comitibus sociato, cui calor insequitur aestuans, cum siti, kephalaea, turgore universali, aliisque pro causae excitantis, systematis eminenter adfecti, ac futurae febris diversitate variantibus phaenomenis.

547. Exacerbationes solitae, quas, etsi nulli definito adstringantur tempori, vespertinis tamen horis plurimum suboriri videmus, nunc periodico circuitu revertuntur, atque pari passu cum diei vicissitudinibus procedunt; nunc sine lege indeterminatis subintrant horis, saepe saepius improvisae.

548. Exacerbationes periodicae mox typum quotidianum observant, singulis symptomatum incrementis, sive diurnis, sive nocturnis invicem correspondenti-

bus (febres amphemerinae); mox typum tertianum duplicatum sequuntur, congruente nimirum diebus alternis symptomatum intensione, vel saltem invasionis tempore (febres hemitritaeae, semitertianae). — Inditus hicce febrium in exacerbationes alternas nisus, criticas regit operationes imparibus diebus plerumque solemniores.

549. Febres continuae cum exacerbationibus tertianis (tritaeophyae), et quartanis (tetartophyae) in praxi vix occurrunt, quum singulorum paroxysmorum duratio viginti quatuor horas fere nunquam excedere soleat.

550. Febre increbescente, exacerbationis spatium indies magis extenditur, cum interea remissio ratione reciproca restringatur; imo nec deest exacerbationis eodem die duplicatio, quae summam symptomatum gravitatem producit. — Mitescente febris vigore opposita nascitur inter exacerbationem et remissionem relatio; remissionis extensioni additur, quod exacerbationi demitur.

551. Totus febris continuae decursus nunc intra 24 absolvitur horas (ephemera); nunc nychthemeri spatium tantillum excedit (ephemera protracta); nunc ad 5^{um}, 7^{um}, 14^{um}, 21^{um} protenditur diem (acuta); nunc et ultra vigesimum primum excurrit (febris lenta).

552. Ut numerosissimae febrium continuarum species rationali quodam ordine exponi possint; eas omnium primo in certa, et definita genera subsumere oportet.

553. Inter multiplices autem divisiones, quas medici vario principio ducti proposuerunt, a generali febrium partitione parum absimiles (Pyret. gen. §. 988 etc.), illa omnino prae aliis arridere debebit, quae et conceptu facilis, et rationi analoga, practicum simul includit valorem. — Hocce intuitu summe congruam febrium continuarum in genera distributionem credimus, quae substrato organismi eminentur adfecto, nec non characteri praevalenti superstruitur.

554. Quivis morbus sistit processum vitalem abnormem, seu organismum (vel in toto, vel in parte) in suis functionibus laesum. Natura morbi igitur plurimum par-

ticipare debebit de specifica indole systematis vel organi adfecti, quod frequenter ipsi morbo nomen impertit. — Multum tamen interest, ut simul modus computetur, quo processus vitalis a norma deflectit. — Hocce jam passionis et substrati complexu statuitur character febris, seu syndrome phaenomenorum summe essentialium, quibus sublatis ipsa febris id, quod prius erat, esse cessat.

555. Etiamsi hujus praemissi dignitatem antiqui medicinae cultores nequaquam praeterviderint; nihilo tamen secius recentiores tantum systema pyretologicum simili principio superstruere studuerunt, successu plus minusve felici.

556. Praeeunte jamjam Frid. Hoffmanno, Sydenhamo, et Boerhaavio, magnus Stollius quatuor cardinales febrium characteres, totidem distincta genera constituentes stabilivit: inflammatorium videlicet, putridum, biliosum et pituitosum, quos serius ad tres ordines reducere placuit eximio Petro Frankio: ad inflammatorium, gastricum et nervosum.

557. Sagacissimus Pyretologus Reil, modo a prioribus diverso, sequentia tria posuit febrium genera: Synocham, Typhum, et Paralysin. — Synocha, irritabilitatem auctam cum activitate organorum febrientium illibata; Typho irritabilitatem auctam cum organorum febrientium energia imminuta; Paralysi irritabilitatem, omnesque alias efficientias in organis adfectis citra modum prostratas indicare voluit. — Ast mere arbitrarium hocce systema, quod nec requisitum valorem practicum includit, suas omnino, ac cuivis medico facile patentes lacunas reliquit.

558. Eximius Harless tres praecipuas febrium prosapias stabilivit, sequentibus nominibus, quae simul indolem quodammodo exprimunt, insignitas: I. Synocha, seu Pyrexia erethistica nevrico-sanguinea. II. Synochus, sive Pyrexia adynamo-phlebica, haematoseptica. III. Typhus, s. Pyrexia enkephalo-nevrica asthenica.

559. Eidem fere principio innixam febrium continua-

rum divisionem proposuerunt clariss. Mason Good et Berndt; prior cauma, typhum et synochum, alter febrem vasorum, febrem nervosam et putridam, ceu cardinalia febrium distinguit. — Ulteriores Harlessii et Berndtii subdivisiones sagacitatem auctorum testificantur.

560. Juxta diversitatem conditionis morbosae, quam nervi vasorum offerunt, clar. Baumgaertner febres in duas dispescit classes, quarum prima febres cum statu subparalytico, nervosas, altera febres cum reactione vividiore systematis vasorum, irritativas complectitur. Posterioribus accensentur febres inflammatoriae, contagiosae, gastricae, putridae et hecticae, ceu totidem genera distincta.

561. Majorem valorem practicum includit divisio cel. Raimann in febres continuas simplices et compositas. Primae tribui febris inflammatoria, putrida et nervosa; alteri saburralis, biliosa, pituitosa et verminosa adnumerantur. — Modo parum absimili clar. Bischoff febres continuas in inflammatorias, gastricas, nervosas et septicas discriminat.

562. Schola Vindobonensis per plus quam decem annos eosdem, quos semper retinere placuit, quinque febrium characteres cardinales profitebatur, depromptos quidem ex casta observatione, rationali tamen fundamento hucusque nondum evictos.

563. Ut ergo tanto clarius elucescat practicae hujus partitionis dignitas, physiologicam simul rationem quaerere necesse erat, quam etiam absque difficultate in triplici systematum organismi ordine invenire licuit; quorum primum irritabilitatem, alterum sensibilitatem, ac tertium reproductionem, seu vegetationem animalem regit.

564. Etiamsi quaevis febris critica morbum omnium virium et facultatum, ipsiusque substantiae organicae sistat (Pyret. gen. §. 163); nihilominus tamen vix non semper unius systematis adfectio prae altera praevalere solet. — Inde trina evincitur febrium continuarum distinctio in febres cum praevalente passione: 1) systematis irri-

tabilis; 2) systematis sensiferi, et 3) systematis reproductivi.

565. Febres, quae systema irritabile seu sanguineum pro eminenti substrato agnoscunt, modo virium arteriosarum energiam exaltatam, cum haematopoësi vividiori; et plastici principii exuberantia; modo arteriosi systematis infractum robur cum languente sanguificatione manifestant. Fluunt inde duo essentiales, ac e diametro oppositi characteres febrium: inflammatorius nempe et septicus.

566. Febres, quae systematis nervosi functiones eminenter laesas, vires nimirum et facultates sensiferas imminutas, suppressas, vel exhaustas patefaciunt, nervosas dicimus.

567. Pyrexiae tandem cum conspicua systematis reproductivi passione, nunc praecipuas turbas in primis viis, saburrali praesertim colluvie distinctas; nunc fontem irritationis, ac symptomata palmaria in viis secundis, sive in systemate lymphatico atque organis nutritioni ac secretionibus dicatis ostendunt. — In primo casu gastricae, in altero hecticae nominantur.

568. Quinque igitur febrium characteres cardinales sunt: 1) inflammatorius; 2) septicus; 3) nervosus; 4) gastricus; 5) hecticus, quos jam in capite de febribus intermittentibus proprio schemate exposuimus.

569. Hocce jam ordine specialem febrium continuarum doctrinam exponemus, singulas earum species distinctis, quo spectant, generibus inserendo.

GENUS PRIMUM.

FEBRES CONTINUAE CHARACTERE INFLAMMATORIO.

Rich. Morton Tractatus de febribus inflammatoriis. Lond. 1694.
Fordyce new Inquiry into the causes, symptomes, and cure of putrid and inflammatory fevers. Lond. 1773.
Hofrichter Versuch über das Entzündungsfieber und die Entzündung. Breslau. 1806.

570. Febribus charactere inflammatorio, communiter inflammatoriis dictis, quarum summa in

praxi frequentia et varietas neminem latet, sequentia competunt adtributa, quibus, ceu criteriis pathognomonicis, ab omni alio distinguuntur febrium genere.

571. I. Eminens passio systematis arterioso-venosi; unde etiam febres vasorum (Germ. Gefässfieber) compellari solent. — Reliqua systemata nonnisi per sympathiam, vel secundario patiuntur.

572. II. Vires vitales, et in specie arteriosae ultra modum incitatae; unde earum reactiones nunc exorbitantes, nunc suppressae a sanguinis renisu.

573. III. Haematopoësis, seu sanguificatio quantitative aucta; inde major sanguinis copia, polyaemia, seu plethora vera medicis dicta.

574. IV. Sanguinis qualitas abnormis, a perfectiori ejus elaboratione pendens, sub nomine diatheseos, aptius conditionis seu dyscrasiae phlogisticae nota. — Processus vitalis in organis haematopoëticis, maxime in pulmonibus ultra modum concitatus efficit, ut sanguis intensiorem, magisque laetum offerat ruborem, ut uberiori scateat cruoris (principii colorantis) et materiae plasticae (principii fibrosi) copia, ut contractionis potentia seu coagulabilitate excellat, vasorumque parietes ad vividiores reactiones exstimulet. — Sanguis idcirco extra circulum positus cito in separationem crassamenti seu placentae a parte serosa vergit, coit, atque crustam efformat lymphaticam, densam, tenacem ex albo flavicantem, fimbriato margine cinctam (crusta inflammatoria, pleuritica, corium phlogisticum), quae nil aliud est, quam pars suprema placentae ipsius pigmento sanguinis (gravitatis specificae majoris ergo inferiora petente) priva. — Serum, cujus exigua solum extricatur quantitas, ab adfusa aqua bulliente non coagulatur, sed in liquorem lacteo-saponaceum mutatur, docentibus experientiis peritissimorum Chemicorum Parmentier et Deyeux. — Electricitatem sanguinis inflammatorii exiguam esse, imo saepe negativam, eaque proportione intendi, qua status phlogistici vigor minuitur, ingeniosa experimenta eximii Bellingerii evicerunt.

Lappenberg Diss. de diathesi sanguinis inflammatoria. Goet. 1783.

575. V. Orgasmus incitatus e vividiori inter sanguinem, copia et qualitate stimulantem, ac vires arteriosas vigoratas conflictu; turgor vitalis auctus.

576. VI. Inde circulus acceleratus cum pulsu veloci, pleno, duro, nunc libero et forti, nunc suppresso et fictitie debili.

577. VII. Calorificatio (Thermopoësis) vividior et aequabilis.

578. VIII. Congestiones activae, aut verae inflammationes in variis organis, cum nisu peculiari in specifica vegetationis abnormis vitia; quae tamen abesse aeque, ac adesse possunt.

579. Febres ergo inflammatoriae sunt febres cum praevalente vasorum passione, virium arteriosarum reactione exorbitante vel suppressa, haematosi, orgasmo et thermopoësi adauctis, sanguinis plasticitate excellente, ac topica saepenumero phlogosi comitatae.

580. Familiares prae caeteris sunt subjectis juvenilibus et adultis, sanis, robustis, plethoricis; climati sicco, boreali; anni tempori hyberno.

581. Semper producuntur causis positive incitantibus, quae systema arteriosum ad violentiores et continuatas reactiones stimulant, atque processum sanguificationis intendunt.

582. Terminantur molimine critico plerumque solemni, et nonnisi dum symptomaticae essent, insensibili modo evanescunt, causa irritante, vel primitiva organismi labe sublata.

583. Pro sanatione deposcunt methodum medendi antiphlogisticam, gradui morbi rite adcommodandam.

584. Quemadmodum fundamentalis generum partitio juxta generale substratum, et febris characterem instituebatur; ita generis ulterior subdivisio juxta substratum particulare et morbi formam optime prosequitur.

585. Sunt autem febres inflammatoriae vel simplices, vel comitatae. — Simplices, praeter universi systematis sanguiferi reactiones vehementiores, cruorisque phlogisticam crasin, nullius organi eminenter adfecti signa offerunt. — Comitatae, synchronam unius, vel et plu-

rium organismi partium irritationem aut inflammationem manifestant.

A.

FEBRIS INFLAMMATORIA SIMPLEX

SIVE

ANGIOSTHENICA.

Reil, Diss. de febre inflammatoria simplici. Hal. 1794.
Tonnet, Essai sur la fièvre inflammatoire, ou angioténique. Paris. 1813.
Rees, Essai sur la nature et le siège de la fièvre dite essentielle inflammatoire. Paris. 1822.

586. Febris inflammatoria simplex, Pyrexia Cullenio, Synocha Reilio aliisque perperam dicta, Phlogopyra et Sthenopyra Swediaueri, febris erethistica Harlesii, Enecia Cauma (Mason Good); Febris angiotenica Pinelii, fors aptius angiosthenica dicenda (ab ἀγγειον vas, et σθενος robur) Ital. Febbre infiammatoria, Germ. Entzündungsfieber, est febris continua, velox in decursu; vehemens in symptomatibus; e stimulis positivis orta; virium arteriosarum exorbitantia, vel suppressa reactione, haematopoësi vividiore, coagulabilitatae sanguinis aucta, polyaemia vera, vel simplici orgasmo, atque solemni in salubres crises nisu se distinguens; topica organi cujusdam inflammatione defecta.

587. Minori in gradu febris irritativa (Germ. Reitzungsfieber) dicitur, quae exaltatam quidem praebet vasorum reactionem, specifica vero diathesi phlogistica destituitur, atque nychthemeri spatium raro excurrit, nisi tamquam symptoma topicam alicujus partis, vel alius systematis irritationem comitetur.

588. Apud Hippocratem sub nomine febris ardentis (καῦσος) occurrit, cui tamen et biliosa simul competunt phaenomena. — Aliis antiquis συνεχὴς φλεγματώδες (continens inflammatoria) nominabatur, ob minus luculentas exacerbationes et remissiones.

HYPOTYPOSIS.

589. Febris inflammatoria simplex persaepe sine ullis prodromis aegros derepente invadit; interdum brevi opportunitate praeeunte sese annunciat, cujus tamen signa, excepta lassitudine, potius illa sanitatis citra normam exaltatae esse solent: turgor utpote notabilis, rubor insolitus faciei, sensus caloris interni, pronitas in vertigines et haemorrhoeas.

590. Initium sumit ab horrore valido, brevi, plerumque unico, virium prostratione, lumborum dedolatione, ac reliquis cuivis febrium exordio communibus signis. — Quo gravior et acutior futura febris; eo vehementius esse solet frigus, una tantum vice quatiens, ac non raro symptomatibus ominosis: delirio, sopore, vomitu, aut convulsionibus sociatum, praesertim dum tenellos plectit infantes.

591. Sequitur demum calor intensus, urens, siccus per totum corpus aequabiliter diffusus, cum facie rubra, plena, oculorum splendore et acie aucta, kephalaea, palpebrarum tensione, lingua humida, rubra vel albida, oris tamen fauciumque siccitate adparente, anorexia, siti flagrante, ac potus frigidi et aciduli desiderio.

592. Acrem in systemate sanguineo luctam indicant: temporalium et carotidum visibilis vibratio; cordis palpitatio fortior cum anhelitu, respirationis angore et tussicula sicca; pulsus arteriarum veloces, pleni, duri, fortes, ac plerumque liberi, ubi nulla urget topica adfectio; proclivitas in haemorrhagias, quibus subortis symptomatum ferocia mitescere consuevit.

593. Abdomen, praeter alvum oppilatam et siccam, nil morbosi offert. — Urinae fluunt parcae, saturatae, flammeae, absque hypostasi, sub mictu ardentes. — Cutis, sub ingressu caloris sicca, pedetentim mollescit, ac vaporoso halitu madet. — Molestat pervigilium, vaniloquiis quandoque interpolatum, aut parcus terriculamentis ac pavidis insomniis perturbatur somnus.

594. Essentialia tandem phaenomena praebet sanguis e vena missus, qui laete rubet, cito coit, et crustam phlogisticam format (§. 574). Hanc regnante hyemali epi-

demia semper crassiorem, aestivis contra diebus minus compactam, ac principio bilioso tinctam cernimus. — Interdum totus sanguis in placentam hepaticam condensatur cum parca seri copia.

595. Quin notabiliter remittat febris, cito crescit, vespertinis tantum horis parumper exacerbata, donec die tertio, vel quinto summum adtingat culmen. — Hoc adepto symptomata tantillum pacantur, ac per duos quatuorve dies consistunt, naturae molimine critico jugulanda, aut dum hoc inane fuerit, vitam opprimentia.

596. Crisi feliciter effecta, quam persaepe solemnem ac decisivam videre licet, promptum succedit phaenomenorum decrementum, laeta citaque convalescentia coronatum. Hujus ratio ex ipsa febris inflammatoriae indole concipitur, quae virium vitalium exorbitantia, ac tali organismi conditione distinguitur, quae a summo sanitatis culmine nonnisi intensione differt.

597. Decursus febris angiosthenicae simplicis semper acutus esse solet, decimum quartum vix unquam excedens diem. — Chronicas, nonnisi eas videre licet febres inflammatorias, quae lentam viscerum congestionem comitantur, atque hoc intuitu febres mere symptomaticas sistunt, exemplo phthiseos.

598. Etsi febris angiosthenica simplex, prouti eam modo depinximus, raro in praxi occurrat; ejus tamen exactior descriptio eo magis necessaria evadit; quod additis topicae cujusdam inflammationis symptomatibus, imago qualiscunque febris comitatae patebit. — Quapropter etiam in speciali inflammationum doctrina, brevitatis causa, semper ad illam provocabimus.

AETIOLOGIA.

MOMENTA PROËGUMENA.

599. In febres inflammatorias praecipue dispositi sunt: juvenes, viri adulti, robusti, plethorici, temperamento sanguineo vel cholerico praediti, a consueto quodam sanguinis fluxu defecti, vasorum majorum organico vitio detenti; inter feminas: gravidae, puerperae, men-

struantes; subjecta, quae laute vivunt, Bacho libant, cibo altili et aromatibus abutuntur; quae corpus motu frequenti et assiduo, uti cursores, vel laboribus duris, uti fabri ferrarii et agricolae, valide exercent; quae igni fortiori continuo exponuntur, uti cyclopes, pistores.

600. Amat porro haec febris tempora frigida et sicca, hyemem adultam et rigidam, vel primum ver; loca editiora, borealia. Unde familiaris esse solet monticolis, docente praeprimis inter modernos istrico medico Panzani.

Jos. Panzani Beschreibung der Krankheiten in Istrien. Lübben. 1801.

601. Momenta igitur, quae in febrem inflammatoriam disponunt non sunt alia, quam quae energiam processus vitalis, ac irritabilitatem vasorum extollunt, et simul sanguinis copiam, vel volumen augent, plasticitatem intendunt. — Ad altiorem gradum evecta morbum per se sola producere possunt, atque hoc intuitu cum procatarcticis fere combinant momentis.

CAUSAE EXCITANTES.

602. Quae praesente opportunitate, aut illa etiam absente inflammatorias febres suscitare valent, potentiae, sunt omnes stimuli positivi, nunc relativi, nunc absoluti, cardiaco-arteriosum systema ad reactiones intensiores et velociores via directa, vel indirecta excitantes.

603. Ut autem febri angiosthenicae simplici producendae pares fiant, aequabilem per totum systema arteriosum reactionem diffundant, oportet, quin singulas partes specialius irritent. Huc simul plurimum contribuit absentia particularis in quodam organo diatheseos, topicae irritationi facile obsecundantis.

604. Principem locum sibi vindicant omnes illae potentiae externae, quae in gradu moderato ad processum vitalem expediendum concurrunt. — Has inter pertinet aër frigidus, siccus, oxygenio dives (oxygenes enim specificum pro pulmonibus et arteriis stimulum offert), insolitis irritamentis foetus, positive electricus (1), repentina temperaturae vice alternans; excessivus caloris gradus. —

Asper Aquilo proinde non minus, ac solis vel ignis fervor, inflammatoriam creat febrem; primus contractivum, alter expansivum motus organici factorem ultra modum incitando. Aëris atmosphaerici stimulantes dotes autem vel ideo facillime sanguiferi systematis reactiones exaltant, quod pulmonum superficiem immediate adtingendo, influxum immediatum exerunt in sanguinem.

(1) Hopf Diss. sistens rudimenta theoriae de principio febres inflammatorias epidemicas gignente. Tub. 1794.

605. Ob constantem injuriarum telluricarum, a supra exposita atmosphaerae qualitate pendentium, circa solstitium hyemale reditum, febres inflammatoriae definitam constituunt epidemiam annuam brumalem, quam tamen varie modificatam cernimus, pro circumstantiarum concurrentium diversitate. In regionibus hyperboreis et montosis perennem ferme efficiunt catastasin.

606. Quapropter superfluum, ac rationi contrarium foret, ad ignotum quoddam confugere velle principium epidemicum, quod hyemali angiostheniae patrocinetur. Hujus enim origo sat plane concipitur e mutata per anni tempus, et diversum vitae genus diathesi, e manifesta aëris hyemalis conditione, quam et frigus, praecipue repentinum, et venti ab Arcto spirantes, et oxygenium praedominans, et tensio electricitatis magis positiva insigniter stimulantem, ac arterioso systemati cum excellentia infensam reddunt.

607. Alteram, et quidem haud infrequentem febris angiosthenicae prophasin praebent stimulantia, et nutrientia ore ingesta, sanguini adsimilata hujus quantitatem augentia, qualitatem perficientia; unde liguritio, ebrietas, cibi eupepti, aromata, potus fermentati.

608. Exercitia corporis valida, evolutiones quaedam physiologicae, uti pubertas, menstruatio, animi commotiones vehementes, mentis intentio protracta, potentias sistunt organico-dynamicas, quae interdum sine ullo materialis stimuli interventu reactiones arteriarum eum in modum incitare valent, ut vera febris inflammatoria generetur.

609. Miasmata contagiosa, et si non omnia, saltem plura arteriarum vires exstimulare solent. Quatenus autem plerumque vel nervosum simul pessumdant systema, vel

organi cujuspiam, dermatis, meningum, pulmonum, etc., irritationem pariunt, inter simplicis febris inflammatoriae prophases numerari non merentur.

610. Idem valet de potentiis mechanicis, laesionibus traumaticis, de irritamentis chemicis, acribus, corrosivis etc. aetiologiae inflammationum topicarum potius inserendis.

NOSOGENIA ET CAUSA PROXIMA.

611. Si febris inflammatoriae substratum, symptomata, dispositio, et causae procatarcticae paulo curatius perpenduntur, neque nosogenia, neque causae proximae, seu morbi essentiae conceptus eas difficultates offert, quas, proh dolor! in aliis febrium generibus explicandis invenimus. — Et quamvis infallibilem certitudinem enodare nondum liceat, majorem tamen verosimilitudinis gradum saltem adtingi posse non desperamus.

612. Quivis stimulus positivus, sive absolutus, sive relativus, actionem suam in systema irritabile, ac praeprimis in arteriosam ejus sphaeram dirigit, cujus efficientia, seu vis, sive prius per easdem potentias justo magis incitata fuerit, sive in normali constiterit harmonia, ad validiores impellitur reactiones, vividiori inter sanguinis expansionem et parietum vasorum cordisque contractionem conflictu sese manifestantes.

613. Acriori hacce lucta non solum motus sanguinis acceleratur, intrinseca elementorum agitatio augetur, caloris animalis evolutio intenditur, normalis massa cruoris in majus expanditur volumen; sed etiam haematosis, id est sanguinis genesis et perfectio promovetnr, unde principii fibrosi redundantia, ejusque major in coagulum propensio. Illi, qui respirationis munus non in oxydatione sanguinis, sed in ejus decarbonisatione consistere contendunt, quos inter Angli Allen et Pepys eminent, rem similiter concipere possunt ex infracto principiorum phlogisticorum secessu.

614. Abnormes hae reactiones systematis arteriosi tanto facilius et celerius emergunt; si specificus pro sanguine stimulus, oxygenium, organismi atriis immediate, et majori copia suscipitur; vel si aliae circumstantiae concurrunt, oxydationis processum promoventes. Notum enim

abunde est, gas oxygenium sub unione cum oppositae indolis elementis, caloricum dimittere, quod principii phlogistici sub forma extricatum, temperaturam animalem, sanguinisque expansionem auget. Quo plus itaque oxydatur sanguis; eo majorem acquirit potentiam stimulandi, eoque magis irritabilium vasorum parietes ad alacriores concitat reactiones.

615. Hujus processus chemico-organici summae cum incendio, seu combustione analogiae, febres inflammatoriae aptissimum suum debent nomen, a plurimis saeculis conservatum.

616. Tali pacto facile liquet; superfluum esse, ut, scopo inflammatoriae reactionis originem explicandi, cum Jatromechanicis ad mutuum inter sanguinem et vasorum parietes adtritum, vel cum Chemiatris ad sanguinis fermentationem refugiamus. Ipse cruoris lentor, mucosaque illius conditio, quam Boerhaavius agnovit, experientia non confirmatur; nisi ad superius relatam sanguinis phlogistici e vena missi metamorphosin (§. 574) reduci vellet. Maxime autem contrariae sunt observationes sagacissimi medici Hewson (1), qui, etsi sanguinis inflammatorii magis densam et compactam qualitatem non negaverit, eum tamen multo fluidiorem et divisibiliorem, pro efficienda igitur obstructione minus aptum esse perhibuit, mercurii vivi ad exemplum.

(1) Experimental Inquiries. Lond. Vol. I. — Samml. für pract. Aerzte. B. 4.

617. Febris inflammatoriae essentiam itaque constituet: incitatus ultra normam conflictus inter vires arteriosas et sanguinem, cum vividiori haematosi et thermopoësi, positivo stimulo inductus; aut brevius: vita arteriosa ad altiorem, quam par est, potentiam evecta. — Inde jam intelligitur essentialis differentia inter febrem simpliciter irritativam (symptomaticam), ubi sola vasorum incitatio alacrior, atque febrem inflammatoriam (criticam), quae praeter motum organicum vitam quoque plasticam laesam supponit, sanguinis utpote genesin vividiorem, ejusque crasin ita alteratam, ut principium plasticum copia et nisu majori in coagulum excellat.

618. Qui cum magno Petro Frankio causam proximam indiscriminatim in statu phlogoseos arteriarum reponunt, febrem inflammatoriam simplicem cum angioitide aperte confundunt. Rubor membranae internae vasorum neque in cunctis febre angiosthenica defunctis reperitur, neque per se solus praesentiam phlogoseos statuere sinit. Merito igitur jam clar. Kreysig, Yelloly et Harless hancce opinionem amplecti cunctabantur, quam doctiss. Naumann in eximio suo opere (1) ad fatim confutavit.

(1) Handbuch der med. Klinik. 1 B. Berlin. 1829. S. 14.

TERMINATIONES.

IN SALUTEM.

619. Febres inflammatoriae universim facilius, quam febres alius characteris, sanationis restitutionem admittunt; per eminentiam vero febris angiosthenica simplex, quam nonnisi raro, et modo potius indirecto letalem observamus.

620. Sub solitis conditionibus (Pyret. gen. §. 418) triplici modo in salutem abeunt: per critica naturae molimina, per artis auxilia, per circumstantias faventes.

621. Inter cunctas febres inflammatoriae vix non summe evidentem in crises nisum manifestant, quas nunc resolutorias, nunc evacuatorias, plerumque solemnes et decisivas cernere licet. Ratio in vivida vasorum reactione quaerenda.

622. Crises salubres, etsi quavis die contingere possint, plerumque tamen imparibus irruunt diebus, praecipue die quinto, et septimo, rarius decimo quarto. Quae diutius excurrunt, occultam quandam in penetralibus organismi labem suspicari suadent.

623. Evacuationes criticae potiores sunt: 1) Haemorrhagiae, e naribus, utero, ano, etc., quae persaepe causam levaminis potius, quam effectum sistunt, plethoram directe minuendo. 2) Sudores profusi, blandi, vaporosi. 3) Urinae rubrae et turbidae post mictum, hypostasin serius deponentes lateritiam vel roseam, copio-

sam, levem. — Vomitus, diarrhoea, et sputa critica potius febribus inflammatoriis phlogosi topica comitatis propria sunt.

624. Irritos tamen conatus criticos ostendunt febres inflammatoriae symptomaticae, rectius irritativae dicendae, ablatione causae, aut morbi primitivi, cujus umbram sistunt, sponte evanescentes.

625. Artis auxilia, et circumstantiae secundae transitum in sanitatem eatenus expediunt; quatenus causas tollunt, vel avertunt, pathologicam organismi conditionem emendant, viresque naturae in suis operationibus adjuvant, potiora obstacula amovendo.

626. Febres inflammatorias regulares, ac moderata intensione decurrentes non raro depuratorias esse, observatio docuit.

627. Signis salutis futurae adnumerantur: reactionis arteriosae decrementum, pulsus proinde liberior et mollior, calor et sitis imminuta, humiditas superficiei antea siccae, levamen permanens a remediis antiphlogisticis, praesertim a venaesectionibus rite institutis.

IN MORTEM.

628. Etsi malignam indolem raro induere soleat febris angiosthenica simplex; mortem tamen adferre potest sub conditionibus sinistris: prava subjecti constitutione, causis vehementibus, epidemia malefica, morbi neglectu, perverso tractamine, anomaliis et complicationibus, crisium salutarium defectu.

629. Sequentes autem sunt mortis rationes: 1) Vel suffocatur circulus plethora in dies crescente. 2) Vel vires arteriosae nimis impetuose reagentes exhauriuntur. 3) Vel topica in organo nobiliori congestione sub decursu febris evoluta, quae nunc morbi ferocis, nunc infaustae ac erroneae criseos effectus esse potest, opprimitur vita. 4) Vel tandem secundaria inducuntur mala, dynamica aut organica, aegrum indirecto modo enecantia.

630. In cadaveribus defunctorum solito major sanguinis densi, coagulati, polyposis concrementis mixti copia invenitur. Quandoque interna vasorum majorum super-

ficies signa irritationis inflammatoriae offert; observatio, sagacissimo Petro Frankio in acceptis referenda, quae ad illustrandam quarumdam febrium inflammatoriarum indolem et formam haud parum contribuit.

IN ALIOS MORBOS.

631. Febris angiosthenica, quae nec pristinam restituere sinit salutem, nec tamen ad eum ferociae evehitur gradum, ut vitam opprimat, in alios terminari potest morbos, analogos vel diversos, et quidem: 1) In recidivam, cui difficilius eradicanda diathesis phlogistica plurimum favet. — 2) In febrem alius characteris (per diadochen), praesertim in nervosam vel putridam, si vires vitales nimis exagitatae delassantur, aut diutius oppressae exhauriuntur, vel vero sanguinis excedens plasticitas in contrariam sub adversis circumstantiis conjicitur conditionem. — 3) In cachexias, ast raro, et nonnisi sub morbi neglectu, aut pravo regimine; e. g. in hydropem e venaesectionum abusu. — 4) In vitia localia, metastaticis crisibus inducta.

632. Transitus in organicas metamorphoses, quales sunt suppuratio, scleroma, gangraena, etc., solummodo febribus inflammatoriis comitatis competit. — Unicum vitium organicum, cujus genesis ab intensione et reditu crebriori febris inflammatoriae concipi posset, est vasorum majorum dilatatio, seu anevrysma.

PROGNOSIS.

633. E terminationibus rite perpensis prognosis rationalis desumitur, quam securius instituere licebit, si ad sequentia respicitur momenta.

634. Phlogopyra simplex minori universim periculo stipatur, quam comitata, aliusve characteris pyrexia; cujus quidem ratio non solum in eo quaerenda, quod facilius sit vires exorbitantes deprimere, quam languentes erigere; sed quod nobilis organi adfectione careat, et ob nosogeniam evidentiorem nunc directae, nunc indirectae rationali, claris indicationibus innixae therapiae locum concedat.

635. In anomalias raro nititur, dolosa schemata non init, sed aperta fronte veram suam naturam patefacit.

636. In teneris tamen infantibus, aut in subjectis, quibus unum alterumve organon prave dispositum, topicas haud raro sub decursu creat congestiones; quo pacto etiam periculosior evadit.

637. Signis bonis adnumerantur: decursus regularis, anomaliae proinde atque complicationis absentia; levamen morbi largiorem quandam excipiens evacuationem, quam vel ars, vel medicatrix naturae vis producit.

638. Signis malae notae accensentur: praedispositio subjecti prava, cacochymia, aut chronica nobilioris organi labes; symptomata gravissima et contradictoria, e. g. calor urens cum siti nulla, pulsuum frequentia et durities cum urinis aquosis; nullum e venaesectionibus levamen; sanguinis phlogistici repentina in oppositum statum mutatio, exacerbationes diebus criticis obortae absque ulla symptomatum declinatione; defectus phaenomenorum criticorum febre versus diem decimum quartum festinante, unde character nervosus, vel funestae metastases metuendae.

THERAPIA.

639. Quatenus febris inflammatoriae essentia in virium arteriosarum impetuosa exorbitantia, sanguinisque mole, motu et plasticitate justo plus incitatis consistit; eatenus quoque indicationis curativae alius non erit scopus, quam ut abnormes hae virium et sanguinis conditiones imminuantur, exstinguantur; quod nunc directe, nunc indirecte effici poterit.

640. Methodus directa in causarum irritantium amotione consistit, ac pro harum diversitate variare omnino debebit.

641. Methodus medendi indirecta, quae vires vitales compescere, summam stimulorum minuere, vel et cognitos stimulos enervare, sanguinis phlogisticam crasin emendare, haematopoëseos vigorem refraenare; talique pacto conflictum dynamicum morbosum in systemate arterioso componere studet, dicitur debilitans, an-

tisthenica, sedans, aptius antiphlogistica. Non sufficit enim in morbis inflammatoriis solam virium vitalium exorbitantiam compescere, quod debilitare seu sedare dicimus; vitiosam simul sanguinis qualitatem emendare, auctamque copiam imminuere oportet, quod, praeter remedia debilitantia, quam maxime illa praestare debebunt, quae vegetationis, ac in specie sanguificationis processum, sanguinisque expansionem infringere valent.

642. Antiphlogistica methodus complectitur: 1) Evacuantia. 2) Emollientia. 3) Adtenuantia. 4) Sedantia specifica.

643. Inter evacuantia primum locum tenet venaesectio; etenim sanguinis sive realem abundantiam, sive volumen expansione auctum minuit, et hoc modo princeps subtrahendo irritamentum, impetuosas systematis vasorum reactiones infringit, suppressas liberat. — Ubicunque igitur vehemens in circulo sanguinis lucta adparet discrimen portendens, quam e gravioribus symptomatibus in nosographia adumbratis: turgore capitis magno, cordis palpitatione, respirio anheloso, calore urente, pulsu pleno, duro, forti, vel suppresso desumimus, venaesectio sine mora instituenda.

644. Stante simili febris conditione, venaesectionem nec morbi aetas provectior, nec epidemiae genius, nec menstruatio vel graviditas, nec praejudicia qualiacunque impedire debebunt; salva nonnisi prudenti, quam casus exigit, circumspectione. — Illis, qui febre adulta venaesectionem instituere metuunt, Oribasii canon in mentem revocetur. »Quocunque die mittendi sanguinis scopos in aegrotante compereris, in eo auxilium hoc adhibeto, etiamsi vigesimus a principio dies agatur.«

645. Parum interest, qualis pro sanguine emittendo seligatur locus, ubi solum de aequabili per totum systema sanguinis incendio complacando agitur. Sufficit venam majorem amplo pertudisse vulnere, quod lanceola optime praestatur. Diligentiorem respectum sauciandae venae selectus postulat in febribus inflammatoriis comitatis; in quibus venaesectio derivantes simul, ac revellentes effectus exerere poterit.

646. Quantitas sanguinis e vena mittendi aetati et constitutioni aegri, atque febris ingenio et gravitati, id est: virium vitalium exorbitantiae vel suppressae actioni, adprime respondeat. — Infantibus vix tot sanguinis drachmae, quot adultis unciae, mitti possunt.

647. Febris inflammatoria gravis in subjecto robusto largas quidem et admittit, et deposcit phlebotomias, a quibus etiam semper solemnius inducitur levamen, quam si eadem quantitas partitis evacuatur vicibus. Copia tamen cruoris vix unquam excedat librae pondus, ob deliquium repentina et nimis larga extractione facile oriundum, a quo audaces medici nonnulli quidem nil timent, prudentiores tamen merito abhorrent, Aretaei consilio ducti. — Sanguis enim in secessum particularum propiorum alioquin pronus, silente, etsi per minimum temporis intervallum, circulo, in polyposa facile coit concrementa, letum adducentia obstaculo invincibili. In aegris haemophobis leipothymia intempestiva praecaveri potest oculorum aversione, situ corporis horizontali, interpolato per vices sanguinis cursu.

648. Suadendum sane esset, ut ipse medicus venaesectioni adsistat, ad dirigendam cruoris e vena salientis copiam, quam casus nunc minorem, nunc majorem exigere potest.

649. Conveniunt vix von omnes practici, in febribus inflammatoriis largiores conferre venaesectiones. Arabistarum methodus proinde, quae sanguinem paulatim minuere jubet, in singulis tantum casibus, largam vetantibus depletionem, adhiberi posset.

650. Eadem momenta indicantia, quae primae venaesectionis necessitatem dictant, illam quoque repeti jubent in casu rebelli. Si igitur primam phlebotomiam desideratum non sequitur symptomatum urgentium levamen, vel si recens eorum augmentum recens discrimen minatur, sanguis denuo vel ad eandem, vel ad paulo minorem copiam eliciendus, relicto tamen semper inter unam alteramve venaesectionem plurium horarum spatio.

651. Venaesectionis reiterandae necessitas interdum eousque urget, donec febris ejusque satellitum vigor cri-

tica virium naturae explosione fuerit infractus; fluit enim e morbi indole, haematopoësi utpote incitata, quod sanguis extractus facile ac cito iterum resarciatur.

652. Sanguinis missi phlogistica conditio semper incertum sistit repetendae venaesectionis indicans. Negari quidem nequit crustam inflammatoriam densam ac tenacem parcae seri copiae innatantem signum manifestum esse validae vasorum reactionis; ejus tamen formatio a multis dependet circumstantiis fortuitis, quas perpendere dum nesciret medicus, facili negotio aut necessariam omitteret, aut superfluam reiteraret venaesectionem.

653. Ut itaque ex sanguine misso; etsi inde securam pro repetenda phlebotomia amussim et indicationem desumere non liceat, saltem febris inflammatoriae gradus et vehementia, non neglectis tamen et reliquis phaenomenis, aliquomodo facilius dignosci possit, adtentio medentis eo directa sit, oportet; ut partium propiorum secessus vel adjuvetur, vel saltem non impediatur. Hoc intuitu sequentia notari merentur.

654. Vulnus venae inflictum sit amplum, ut sanguis pleno rivo prosilire queat. — Vas excipiens sanguinis scaturigini ita adproximetur, ut altus ejus evitetur casus, sitque angustum potius, quam nimis largum. — Sanguis extractus illico in quietem reponatur, omnem agitationem fugiendo, ac in temperato servetur loco. — His sub cautelis nec praecipitabitur, nec retardabitur coagulum, lymphaeque plasticae secessus.

655. Etiam numerus venaesectionum repetendarum ad definitam legem reduci nequit, prudentiae medici, ac roborato experientiis oculo committendus; plurimum enim variat pro casus individualis gravitate, contumacia, subjecti constitutione et consuetudine, epidemiae genio. Sanguinis tamen eliciendi copia eo minor esse debebit; quo crebrius repetitur missio, ne principe vitae stimulo excessivis dosibus detracto, funestus inducatur virium lapsus, aegre plerumque corrigendus.

656. Quemadmodum autem ex una parte abhorrendi et fugiendi sunt medici sanguinarii et vampyrorum adinstar κιμόδηλοι, miseros aegros exinanientes; ita ex altera parte

non minus criminandi sunt nimis meticulosi et *ἀιμόφοβοι*. — Aureum semper teneatur medium. Numerus venaesectionum, et sanguinis earum ope educendi quantitas illa erit justissima, quae impetuosam exorbitantiam quidem infringit, moderatam tamen quandam virium energiam relinquit, pro actu critico absolute necessariam.

Angeli l'abuso del salasso condannato dall' autorità de' sommi Pratici, dalla ragione e dall' esperienza. Imola 1824.

Schneider die Haematomanie des ersten Viertels des 19. Jahrhunderts, oder der Aderlass in historischer, therapeutischer und medicinisch-polizeylicher Hinsicht. Tübing. 1827.

Harless die Blutentziehung in ihren Schranken, im Gegensatz zu der Blutverschwendung. (Heidelberger klinisch. Annalen. 4. B. 1828. S. 529.)

Simon (lun.) der Vampyrismus im 19. Jahrhundert, oder über wahre und falsche Indication zur Blutentziehung. Hamburg. 1830.

657. Venaesectionis utilitas antiquissimo jam abunde innotuit aevo, atque prima ejus vestigia in mystica artis medicae cadunt tempora, quibus Podalyrius Regis Damaethi filiam, utriusque brachii venam pertundendo, feliciter sanavit. — Hippocrati magnae dignitatis remedium fuit, quo praecipue motus febriles moderari, et coctionem promovere studuit. — Similem laudem priscorum principes, Aretaeus, Aëtius, Oribasius, Alexander Trallianus, Sydenhamus, seriori aevo Boerhaavius, Burserius, et Stollius merito protulerunt. — Unice Brunoni, ejusque adseclis non arrisit divinum hocce remedium, cujus usum combinare nequibant cum imaginaria vix non omnium febrium et inflammationum asthenia.

658. Localibus sanguinis depletionibus, quas per hirudines, vel scarificationes efficere solemus, febres inflammatoriae topica phlogosi defectae non egent.

659. Alviductio moderate promota suam quoque in curandis febribus inflammatoriis utilitatem defendit, quatenus summam stimulorum minuit, humores versus intestinalem tubum allicit ac e corpore educit, faeces irritantes evacuat, atque criticas excretiones facilitat. — Neque respectum meretur medicorum quorumdam oppositio, qua pur-

gentia ideo damnosa esse proferunt, quod parte sanguinis tenuiori sive serosa versus canalem alimentarem invitata, ac e corpore educta, diathesis phlogistica augeri debeat. Quis enim ignorat humores secretorios, proinde etiam intestinorum pituitam non ex solo principio seroso, sed ex cuncta sanguinis massa parari?

660. Remedia purgantia scopo antiphlogistico exhibita ejus generis sint, oportet, ut blando stimulo, eoque, citra fistulam cibariam non extenso, alvum cieant, eccoprotica, lenitiva, aut laxantia dicta. — Hujus farinae sunt mannata, mellita, saccharina, pruna, tamarindi, sales medii mitiores, cremor tartari, sal Seignetti, tartarus solubilis, soda phosphorata, mercurius dulcis, olea unguinosa.— Clysteribus mollitivis simul irritantes eluuntur faeces, ac purgantium actio facilitatur.

661. Aliae evacuationes uberius promotae in febre inflammatoria simplici nil praestant ad virium reactiones compescendas, nisi de materiali quodam irritamento eliminando agatur (Pyret. gen. §. 574).

662. Remedia emollientia, relaxantia, seu lenientia, quae omni irritante stimulo carent, solidas partes laxant, textum organicum decrispant, circulationis majorem quietem adducunt, sensibilitatem moderant, ac incitationis excessum componunt, maximam in febribus inflammatoriis defendunt utilitatem. — His virtutibus excellunt substantiae vegetabiles mucilaginosae, amylaceae et oleosae; decocta cerealium, hordei, avenae, radicum Althaeae, Salep, Symphyti, Farfarae, infusa florum Malvae, Verbasci, emulsa, Gummi arabicum, etc. Diluta autem sint, oportet, ne plastici principii abundantia haematopoësin incitent.

663. Quae cum prioribus in eundem scopum collimant, sunt remedia sic dicta refrigerantia, et adtenuantia. Haec factoris expansivi potentiam infringere, caloris abnormem evolutionem compescere, ac phlogisticam sanguinis crasin emendare adnituntur.

664. Quamquam evacuantia aeque, ac lenientia similes modo indirecto effectus producant; in specie tamen huicce remediorum catervae adnumerantur: potus aquosi

frigidiusculi, aut saltem egelidi, praesertim acidi (diluentia); acida vegetabilia, praeprimis aceticum, tartricum et citricum, unde Posca Hippocratis et Limonada paratur; substantiae vegetabiles acido-dulces; syrupi vel succus Ribesiorum, Rubi idaei, Berberum, Oxymel, Oxysaccharum; sales neutri aciduli ea dosi exhibiti, ne alvum cieant.

665. Inter antiphlogistica resolventia sive adtenuantia eminent mercurialia mitiora, e. g. Calomel, quae diutius adhibita ad scorbuticam, proinde phlogisticae contrariam dyscrasiam ducunt, et Nitrum, quod sanguinis fibram et albumen solvit, calorem febrilem et orgasmum temperat. — Pars fibrosa sanguinis in solutione nitrica emollitur, ac in speciem muci dissolvitur. — Caveatur autem a largis nitri dosibus, facile nocivis. — Pro adultis plerumque drachma una aut duae, intra nychthemerum consumendae, sufficiunt. Connubium nitri cum mercurio dulci cel. Burdach tamquam eximium commendat antiphlogisticum.

Rambach, Diss. de usu Mercurii in morbis inflammatotoriis. Hal. 1794.

666. Remediis sedantibus, quae eminentem in systema arteriosum actionem exserunt, plura quidem superius adlatorum adnumerari possunt, quatenus nonnulla sanguinis expansionem (uti frigus et acidula), alia ejus copiam (uti evacuantia) minuunt, alia denuo qualitatem emendant (uti diluentia, nitrum). — Innotuerunt autem substantiae, quae reactiones vasorum justo vehementiores directo modo infringunt, quin sanguinis circulantis molem et crasin mutent, atque has sedantium specificorum nomine insignire omnino licet. — Quibusdam neotericis contrastimulantia directa audiunt, ut distinguantur ab indirectis, quae stimulum detrahendo sthenicam virium conditionem deprimunt, uti e. g. inedia, venaesectio. — Huc prae aliis spectat Digitalis purpurea, et plumbum.

667. Etiamsi Digitalis purpurea tribui narcoticorum remediorum accenseri omnino debeat, remediis utpote, quae sedantia specifica pro systemate nervoso sistunt; ab illorum tamen indole eo differt, quod sphaeram sensiti-

vam systematis arteriosi sive nervos vasorum per eminentiam adficiat, cujus reactiones infringit et retardat.

668. Quum vero et Digitalis id commune habet cum reliquis narcoticis, quod primo ictu irritationem transitoriam efficiat (fors ob venenatam, virosam, ac ideo organismo semper inimicam indolem), cui secundarius tandem et magis permanens sequitur effectus narcoticus; illius usus in febribus inflammatoriis maxima circumspectione fieri debet, praemissis utpote, ac diligenter continuatis, prouti casus id exposcit, reliquis antiphlogisticis, atque morbi vigore pro parte jamjam infracto.

669. Vindicant in specie Digitalis usum: venaesectiones largae et iteratae absque fructu institutae; repetendae venaesectionis ob metum debilitatis imminentis impossibilitas; febris in ἀκμὴ diutius consistens, quin natura in crises disponatur; pulsus velocissimi; turgor sanguinis ad majora potius vasa limitatus; suspicio de topica parietum vasorum irritatione, aut dilatatione, quam vehementior cordis vel aortae descendentis pulsatio, anxietate intolerabili juncta, movet; repentina diatheseos phlogisticae in hydropicam mutatio, quam major seri abundantia in sanguine e vena misso, ac leucophlegmatica corporis inflatio indicat.

670. Digitali analogas vires, etsi modo a priori diverso, exerunt oxyda plumbi, ac prae aliis saccharum saturni, pro interno usu destinatum. — Libenter tamen in angiosthenia febrili a diro hocce abstinemus toxico, cujus specialior agendi ratio, et efficacia pluribus adhuc confirmari debet experientiis.

671. Ut methodi antiphlogisticae prudens usus tanto feliciori coronari possit effectu, aptus simul regiminis diaetetici selectus requiritur.

672. Omnium primo cavendum erit a cunctis illis potentiis et injuriis, quae systematis sanguiferi incitationem augere valent, uti sunt stimulantia, et acria quaevis, calefacientia veteribus dicta: excessivus caloris et frigoris gradus, aër oxygene dives, motus corporis, animi commotiones. — Pari modo nocent narcotica, quae potentiam expansionis augendo, orgasmum incitant, congestiones in enkephalo producunt, ac efficientiam nervosam sopiendo,

liberam virium actionem, criticosque conatus praepediunt; — itidem vesicantia, Cantharidum stimulo venefico circulationem et calorem augmentando, urinarum secretionem minuendo.

673. Aër ambiens esto purus, moderate temperatus, aequabilis, nec frigore, nec calore, nec vicissitudine peccans; humidiusculus potius quam siccus.

674. Ab omni cibo nutriente, aut digestu difficili abstineat aeger; nullus enim in febribus inflammatoriis est nutriendi scopus, in quibus alioquin plastici principii perfectius elaborati abundat copia. — Sufficiunt jura carnium tenuia eum in finem porrecta, ut stomachi sustineantur vires; caeterum cibi fatui et vegetabiles conveniunt.

675. Potus esto multus, per intervalla tamen, et non affatim sorbillandus, diluens, aquosus, acidulus, egelidus. — Vinum semper nocivum.

676. Praeter corporis quietem, animus quoque, per quantum fieri potest, tranquillus conservetur, arcendo simul vividae lucis, strepitus, vestitus arctioris irritamenta, quibus inquietudo, erethismus, et calor facile augetur, ac beneficus interrumpitur somnus.

677. Quidam medici, Tissoti ad exemplum, corporis superficiem linteis tepidis, emollienti decocto imbutis fovendam curant; quae tamen praxis, nisi maxima adhibeatur cautela, multiplici titulo damnosa esse potest.

678. Solertissima demum habeatur convalescentiae cura, ob facilem inflammatoriarum febrium in recidivam nisum. — Quare, et si jam fractus fuerit morbus, decoctis emollientibus, aptoque regimine diaetetico per plures continuare oportebit dies, arcendo praeprimis omne irritamenti genus.

679. Symptomatica methodus, quae symptomata molesta lenire, periculosa componere studet, semper iisdem, quae indicationem vitalem dirigunt, principiis innixa esse debet.

680. Summis vero cautelis eget moderamen symptomatum criticorum, ne medicatrix natura in suo perturbetur molimine. — Diarrhoea critica, seu spontaneus alvifluxus, morbo maturo, cum molestiarum leva-

mine subortus, eccoproticis et clysteribus expediendus. — Sudores levantes temperatura aequabili, et potu diluente, tepido sustentandi. — Haemorrhagiae moderatae fomentis tepidulis, aut vaporibus blande promovendae; vel si effraenes fuerint, potu et fotu frigido, solutione aluminosa, acidis mineralibus caute supprimendae.

FEBRIS INFLAMMATORIAE COMPLICATIONES ET ANOMALIAE.

681. Quamquam febris angiosthenica simplex, cum aliis febribus comparata, longe minorem in anomalias nisum ostendat; nihilo minus tamen eas interdum nasci videmus e ratione circumstantiarum fortuito concurrentium, quibus normalis symptomatum decursus a suo detorquetur tramite.

682. Creberrimam vero anomaliam constituunt complicationes cum alio charactere febrili, seu quod idem est, synchrona quaedam alius systematis, nervosi aut reproductivi passio, vel transitus characteris inflammatorii in contrarium — septicum.

683. Quarumdam complicationum existentia a multis medicis prorsus in dubium vocatur, praesertim illarum, quae characteres e diametro oppositos offerunt, inflammatoriae e. g. cum septica vel nervosa. Earum tamen existentiam et ratio annuit, et experientia confirmat, sequenti modo concipiendam.

684. Quemadmodum sanguinis phlogistica conditio sub circumstantiarum adversarum concursu in septicam mutatur; ita etiam sthenicus virium status in asthenicum transire poterit, viribus, dum diu et impetuose exorbitant, pedetentim delassatis. — Ast nec unus, nec alter transitus derepente ac per saltum contingit; unde emergit, quod in uno alterove systemate, in uno alterove organo vires jamjam fractae adpareant, quae in reliquis adhuc vigent, et quod symptomata characteris primarii successive evanescentis, cum illis pedissequi inchoantis confluant.

685. Sub hocce igitur transitu, sub quo et primitivi, et consecutivi characteris phaenomena eodem tempore in propatulum veniunt, etiam complicationis, quoad indolem

oppositae, unio concipi potest. — Sponte tamen patet, sub tali rerum positione nec unum, nec alterum characterem febris totalem phaenomenorum essentialium syndromen patefacere posse, sed totum in evolutionis imperfecta copula existere debere.

686. Complicationum ad se invicem relatio triplex esse consuevit: causalis, effectiva, et accidentalis.

687. Nexum causalem efficiunt illae potentiae, quibus duplex competit agendi modus. Ita crapula inflammatoriam et gastricam notam eodem ictu producit. Ita complicationis inflammatorio-nervosae ratio saepe saepius in sola causa genetrice est quaerenda, e. g. in substantia narcotica, vel miasmate illius ad modum agente, quae omnium primo irritabilitatem augent, serius autem nervosam pessumdant efficientiam.

688. Nexum effectivum ponit ortus complicationis e morbo primario, ex ipsa proinde febre inflammatoria, ita, ut haec illius causam sistat. Exemplo sit character nervoso-asthenicus ex inflammatoria febre neglecta, aut perverse tractata natus.

689. Accidentalis demum complicationis origo, nullum prorsus cum febre protopathica nexum habet, nisi excipiatur ille, quem major sub decursu cujusvis morbi receptivitas fovet.

690. Quot praxis docet febrium cardinales characteres, tot etiam palmariae habentur complicationes; silendo de innumeris, quas cum aliarum classium generibus inire possunt copulis. Denominatio febris complicatae construitur ex unito utriusque speciei epitheto, emphasi super characterem praevalentem posita.

691. Complicationes igitur febris inflammatoriae erunt sequentes: febris putrido-inflammatoria, nervoso-inflammatoria, gastrico-inflammatoria, et hectico-inflammatoria.

692. Diagnosis singularum specierum desumitur ex symptomatum unicuique characteri invicem juncto competentium syndrome; quare fusiori descriptioni facile supersederi posse credimus, suo loco exponendae.

693. Particularem solummodo mentionem illa meretur complicatio, quam febris inflammatoria cum bilioso contrahit charactere, in tropicis praesertim terris frequens, ac veteribus jam febris ardentis, seu Causi nomine nota.

694. Haec originem suam depromit e potentiis incitantibus altioris gradus, in connubio cum illis causis, quae simul justo uberiorem principii biliosi evolutionem, ejusque faciliorem a sanguine secessum efficiunt. — Nascitur ideo potius aestate, inque zona torrida crebro occurrit, iis praesertim hominibus infensa, qui peregrinantur, reficiente potu destituti, et cibis male digerendis nutriti.

695. Invadit frigore vehementi, quod ardens sequitur aestus cum siti tantalea; viscerum calore molesto, frigidi aëris et potus desiderio, arida siccitate oris et faucium. His succedunt oris amarities, linguae sordes, praecordiorum tensio et plenitudo, urina crocea et turbida, aurigo, insomnia, desipientia, non raro hepatis inflammati, aut saltem irritati signa.

696. Nisi primis jam diebus morbi ferocia oppresserit aegrum, crisis benigna circa septimum diem oboriri solet, cum sudoribus largis, et urinis hypostaticis, aut ictero evidentius evoluto.

697. Febrem hancce ardentem cum flava tropicorum a modernis diligenter descripta eandem esse Moseleyus contendit. Et fors a veritate parum distat eximius observator, si contagiosa simul computatur indoles, sub faventibus extricata circumstantiis. — De his tamen fusius disserere licebit in capite de febribus typhosis.

698. Febris complicatae, qualiscunque fuerit, majus periculum vel ex eo patet, quod necessaria ad crises salubres perficiendas decursus regularitas sit sublata, et quod duplex debellandus veniat hostis.

699. Therapia febris inflammatoriae complicatae in primitivum aeque, ac in secundarium characterem dirigi debet, habito tamen semper majori ad praevalentem, magisque periculosum respectu.

700. Quousque talis fuerit complicatio, ut cuilibet characteri eadem competat virium vitalium conditio, illo-

rumque differentia nonnisi in organismi substrato, ac symptomatum inde pendentium varietate lateat; eousque vix ulla indicationis formandae difficultas occurrit. — Ast longe majori circumspectione opus erit in curandis febrium complicationibus naturae oppositae, in quibus maxima ars in eo consistit, ut justa inveniatur diagonalis.

701. Febris gastrico-inflammatoria evacuantium praeprimis exigit usum, quorum ope non solum irritans saburra eliminatur, ac laesi in suis functionibus tubi alimentaris integritas restituitur; sed etiam phlogistica sanguinis diathesis viriumque exorbitantia infringitur. — Ubi de cienda emesi agitur, saburra sursum turgente, illi semper venaesectio praemittenda, ut evitari, vel saltem minus noxiae reddi possint congestiones, quae sub vomitus concussione constanter versus enkephalon fieri solent.

702. Cura febris ardentis, seu bilioso-inflammatoriae a priori parum differt, dummodo debita habeatur climaticae constitutionis, anni temporis, ac biliosae dyscrasiae (polycholiae) ratio.

703. Febris putrido-inflammatoria, seu quod idem est, febris inflammatoria sub decursu in scorbuticam diathesin nitens, illis promptissime adgredienda erit remediis, quae labentem oxydationem et haematopoësin suscitare, ac minitantem ex azoti praedominio dissolutionem avertere valent. — Sub hocce tamen moderamine therapeutico, residua, imo praevalens adhuc arteriosi systematis irritatio prae oculis habenda. — Aëris justa qualitas, victus ratio, atque acidorum tam vegetabilium, quam mineralium largior usus, principalia sistunt adminicula, postquam a debilitantibus generosis abstentum fuerit.

704. Febris nervoso-inflammatoria, sive illa, quae virium exorbitantia, vel suppressa actione diutius persistente, debilitatis simul verae, ac functionum systematis nervosi vario titulo alteratarum indicia offert, — secundarii hujus characteris principem curam injungit. — Omnium primo abstinendum erit ab evacuantibus, venaesectione et alviductione, quibus facile tumultuaria gignitur debilitatis evolutio. — Ad coërcendas reactiones in uno alterove organo, vel systemate adhuc impetuosas sufficient

emollientia, praesertim mucilaginosa, quatenus simul nutriunt, refrigerantia acidula, Digitalis. Eodem vero tempore ad antagonisticam, revellentem, sive antispasticam confugiatur methodum, qua non solum debilitatem imminentem praeverti, sed etiam virium reactiones diu suppressas liberari posse, praxis abunde docet. Eminet hoc scopo Cantharidum cutis superficiei adplicitus stimulus prae aliis phoenigmis.

705. Etiamsi stimulantia, sive contractiva, sive expansiva apertum inducant damnum, arteriosas vires incitando; commendationem tamen merentur, dum character nervosus minatur, quaedam corpora fragrantia et diffusibilia, quae nervosam efficientiam labi incipientem erigere valent, solis subinde naribus admota, quin circulum sanguinis exagitent. — Moschus, Ammonia, et praesertim Camphora, salubrem huncce exerunt effectum, ast minima solum dosi, et aurae quasi, per inorganicos poros penetrantis, forma exhibita.

706. In febribus demum hectico-inflammatoriis specifica illa processus reproductivi alterati conditio corrigenda, quae complicationis formam generat, et sustinet.

707. Plures et specialiores, quae medici operam in curandis variis febrium inflammatoriarum complicationibus dirigunt, cautelae, sub ulteriori Pyretologiae decursu facile patebunt.

B.

FEBRES INFLAMMATORIAE COMITATAE.

708. Febris inflammatoria, quae topicam inflammationem aut irritationem sibi junctam habet, huic, illive organo inductam, comitata dicitur (Ger. Begleitetes Entzündungsfieber). — Compcsita nonnisi tunc vocari poterit, ubi plures variorum organorum concurrunt adfectiones. — Pro diversitate organi inflammati, a cujus functione laesa toti morbo imponitur nomen, diversissimae quoque habentur febris inflammatoriae comitatae species.

709. Triplex autem esse consuevit inter febrim et topicam phlogosin nexus. 1) Vel febris et inflammatio eodem evolvitur tempore, ceu coëffectus ejusdem causae. 2) Vel febris antecedit, et topica phlogosis sub decursu oboritur, nunc in essentiali cum febri relatione, nunc mere accidentalis. 3) Vel vero localis organi cujusdam adfectio primitivum sistit malum, cui febris inflammatoria secundaria, modo critica, modo mere symptomatica supervenit.

710. Ut diagnosis et nosogenia harum febrium eo exactius innotescant, generales notiones inflammationis topicae praemittere oportet. Hoc facto conceptu facilior erit singularum specierum cognitio, atque plurimae evitabuntur repetitiones superfluae in speciali inflammationum tractatu.

711. Id solum praevie meminisse juvabit: quod febres comitatae majori, ac simplices incedere soleant periculo, cujus tamen gradus gravitati morbi, et partis inflammatae dignitati respondet; quod naturae vires solemni destituantur molimine critico, si febris mere symptomatica est, et praecipue si phlogosis topica in chronicum nititur decursum; quod duplicis generis successiones agnoscant, quarum aliae a febre, aliae ab inflammatione partiali pendent, et quod in therapia hujus aeque, ac illius solertissima ratio sit habenda.

DE INFLAMMATIONE SUMMATIM.

Vaccà de inflammatione. Florent. 1760.

Quarin Methodus medendarum inflammationum. Viennae 1774.

Van den Bosch Theoret. pract. Versuch über die Entzündungen etc. Münster 1786.

Wedekind allgemeine Theorie der Entzündungen und ihrer Ausgänge. Leipzig 1791.

Hunter's Versuch über das Blut, die Entzündungen und Schusswunden. Leipz. 1796 — 1800.

Fegelein Versuch einer Nosologie und Therapie der Entzündungen im Allgemeinen. Bamberg. 1804.

Imman. Meyer über die Natur der Entzündung. Berlin 1810.

John Thomson Lectures on inflammation etc. Edinb. 1813. — Traduct. Ital. D. Barozzi. Pavia 1819. — Deutsch von Prof. Kruckenberg. 2 B. Halle. 1820 et 1821.

Dzondi de inflammatione aphorismorum liber primus. Hal. 1814. — Liber secundus. 1831.

Tommasini Considerazioni patologico-pratiche sulla infiammazione e sulla febbre continua. Pisa. 1820. — Edit. altera. Pisa 1827.

De Filippi Nuovo saggio analitico sulla infiammazione. Milano. 1821.

Broussais Histoire des phlegmasies ou inflammations chroniques. 3 Vol. Paris. 1822.

Langenbeck Nosologie und Therapie der chirurgischen Krankheiten. I. und II. Band. Götting. 1822 et 1823.

Goldoni Trattato sull' infiammazione. Modena. 1825.

Gendrin Histoire anatomique des inflammations. 2 Vol. Paris 1826 — Aus dem Franz. übers. von Radius. 2 B. Leipz. 1828.

Sommé Etudes sur l'inflammation en deux parties etc. Bruxelles. 1830.

712. Doctrina inflammationis hodierno aevo in institutionibus nosologiae specialis maximam nacta est dignitatem, tum quod indefessa physiologiae et anatomes pathologicae studia eam insigniter illustraverunt, tum quod e solerti scrutinio et observatione adsidua innotuit, processum phlogisticum multorum morborum, tam acutorum quam chronicorum, genitorem sistere, quorum origo et natura olim alienis e fontibus perperam derivabatur. Dolendum tamen ex altera parte, quosdam scientiae medicae cultores in oppositum incidisse errorem, nimiamque inflammationi tribuisse universitatem, adeo, ut vix quoddam morbi specimen occurrere sibi videantur, quod ex inflammatione non scaturiret. Sufficit persaepe hisce medicis praeoccupata mente obcaecatis levissimus dolor, febricula, rutilans cujusdam organi color, ut plenis jam buccis exclament: Phlogosis! Incendium! Ast vehementer falluntur, qui unico tantum fidunt signo. Incidunt in crassos errores, quos paralogismus ordinario parit. Hinc in dijudicandis inflammationum adtributis maxima opus est circumspectione, quae etiam in medendo ad

illam ducit modestiam, cujus limites hodie proh dolor! crebro excedi videmus.

713. Inflammationis nomen in omnibus linguis, quemadmodum illud febris, ab igne seu ardoris sensu derivatur; quare Graecis Phlegmone, Phlegmasia (a φλέγω, inflammo, uro), vel Phlogosis (a φλογόω incendo, seu φλὸξ flamma), Germanis Entzündung, Italis Infiammazione, Gallis Inflammation, Polonis Zapalenie adpellatur. Summe familiare enim phaenomenon inflammationum est calor, aegro molestus, ac thermometro, manuque tangente distinguendus.

714. Insignitur autem inflammationis nomine quivis morbus, qui partis cujusdam tumore, rubore, dolore, calore, functione laesa, ac nisu in proprios exitus sese distinguit, febri plerumque comitatus. — Nunc omnibus his adtributis donatur; nunc uno alterove caret.

HYPOTYPOSIS.

715. Ut clarior elucescat phlogoseos idea, potiores characteres, eorumque modificationes pensiculatim exponere juvabit.

716. Rubor, ceu pathognomonicum inflammationis signum, variam offere solet qualitatem, variumque gradum. — Levis ac laetus in exordio, floridae genae colori similis, intensitate pedetentim crescit, atque nunc roseus, nunc purpureus, coccineus, aut lividus, in centro plerumque profundior, e quo versus peripheriam dissipatur, vel una in toto partis adfectae ambitu evolvitur.

717. Intensio et varietas rubedinis plurimum dependet a gradu et specifica inflammationis indole, quo iterum remotiori intuitu et sanguinis crasis, et substrati textura contribuit. — In externis partibus eo evidentius adparet, quo magis tenerum ac diaphanum organon, quod patitur. — Sub digito premente nunc evanescit rubor, cito iterum reviviscens; nunc pertinaciter persistit, adeo, ut et post mortem visibilis maneat. — Sponte liquet, hocce phaenomenon deficere, ubi internam, ac visui absconditam phlogosis prehendit partem.

718. Dolor, inflammationum comes non minus fidelis, varias offert a simplici erethismo ad saevissimum usque tormentum gradationes. Ejus intensio non solum, verum etiam specifica indoles, et qualitas notabiliter variat pro diversitate inflammationis, et partis inflammatae. — Ita diros cruciatus parat inflammatio rheumatica et cancrosa; pauco nonnisi dolore stipatur catarrhosa et septica.

719. Respectu substrati organici, intensionem doloris inflammatorii modificantis, notandum venit, quod eo gravior universim esse soleat dolor, quo pluribus pars inflammata scatet nervis. Interim non desunt exceptiones. — Inter phlogoses summe dolorificas spectant eae membranarum, et quod mirum sane est, vix non atrocissimus in illis extricatur partibus, quae in statu salutis minimum offerunt sensibilitatis gradum ob nervorum penuriam, uti sunt membranae serosae, ligamenta, aponevroses. — Minores cruciatus parant inflammationes organorum parenchymatosorum.

720. Spectata qualitate dolor mox acutus, mox obtusus; mox pungens, mox ardens, rodens, stringens, tensivus, aliusve observatur.

721. Quandoque doloris loco, aut una cum illo variae nascuntur sensationes molestae, quae tot diversas sensus communis alienationes, pro varia organi structura et conditione, ac processus phlogistici qualitate diversimode modificatas constituunt. — Inde sensus caloris, vel ustionis internae, sensus ponderis, anxietas, inquietudo, pruritus, titillatio, pulsatio, tenesmus, etc. Inter communissimos tamen pertinet sensus caloris et pulsationis, quem plane pathognomonicum nonnulli dixerunt medici, praesertim si altior sit inflammationis gradus.

722. Quatenus sensus communis in omni viget parte organica, etiam dolor, ceu augmentum ejus abnorme, vel saltem abnormis quaedam sensatio, uti pruritus, anxietas, tenesmus, et s. p. quaslibet inflammationes comitatur. — Organa vero, quae, citra koenaesthesin, propria et specifica facultate sensitiva pollent; etiam hujus energiam incitatam constanter patefaciunt; unde photophobia ophthalmitidis, oxycoia otitidis specificum sistit adtributum.

723. Praeter sensum caloris ab aegro perceptum, ejusdem quoque augmentum cunctis inflammationibus familiare esse consuevit. — Etiamsi rarissime solitam sanguinis circulantis temperaturam, 98—100 circiter thermometri Fahrenh. sive 29 Réaumur. graduum excedat; nihilominus tamen, in relatione ad consuetum corporis superficiei calorem, omnino altior adparet manui tangentis, ipsoque thermoscopio talis evincitur, teste Huntero.

724. Quo major partis inflammatae sensilitas; eo altior esse solet caloris inflammatione producti gradus. Plurimum vero ad relativam hancce temperaturae exaltationem confert superficiei organi inflammati siccitas. Inde fit, ut calor animalis, minus avide ab atmosphaera aliisque contiguis corporibus absorptus (siccas enim superficies pro caloris conductione minus aptas esse, physica docet), in parte inflammata adcumuletur; quemadmodum id per totam corporis superficiem contingere solet in febribus nervosis et catarrhalibus, ariditate cutis constanter junctis. — Omnia idcirco humectantia caloris excessum leniunt.

725. Tumor, partibus inflammatis proprius, ab aliis intumescentiarum speciebus differt duritie elastica, tensione, turgore sanguinolento, ac mox antea recensitis phlogoseos characteribus. — Variat tamen ejus extensio, et intensio pro diversitate inflammationis, et substrati organici nunc mollioris, nunc durioris.

726. Etsi hae quatuor notae essentiales inflammationum nimis evidentes sint, quam ut diagnosis ambigua reddi possit; facile tamen liquet, quasdam earum in dijudicandis phlogosibus internis plane computari non posse, quum aciem sensuum externorum effugiant. — Alia tunc omnino simul colligere oportebit signa inflammatorio processui propria, ex organi adfecti functione laesa non minus, quam ex sympathicis passionibus depromenda.

727. Quot in corpore existunt organa variis finibus destinata, tot etiam erunt specialia, quae locales inflammationes comitantur, symptomata. — Ita pulmo inflammatus respirii variam labem, accensum cor pulsationem abnormem, nervorum phlogosis sensum vitiatum offert. — Concurrunt demum ad internae phlogoseos cognitionem:

doloris tactum repudiantis topica sedes; partium vicinarum, aut dissitarum adfinium sympathica passio; secretiones stante leniori inflammationis gradu adauctae, imminutae, dum gravior est; sanguinis ex organo inflammato sponte profluentis, vel arte educti phlogistica conditio.

728. In connubio cum adlatis conspirat praesentia febris, quae quidem non omnes inflammationes, constanter tamen graviores, diuturnas, illasque organorum nobiliorum, sensibilium, maxime internorum comitatur. — Characterem haec offert vel simpliciter irritativum, vel vere inflammatorium, vividioribus systematis arteriosi reactionibus, et specifica sanguinis dyscrasia distinctum; atque mox est vere critica, mox mere symptomatica, in triplici ad localem phlogosin relatione existens; nunc coëffectus, e. g. pneumonitis epidemica; nunc effectus, e. g. vulneris inflammati; nunc causa, e. g. febris qualiscunque parotitidem metastaticam gignens.

729. Ultimum tandem ac summe essentiale inflammationis adtributum sistit, nisus in metamorphoses organicas proprii generis, vitiato vegetationis processu inducendas, qui tamen inter diagnostica referri nequit signa, cum nonnisi inflammatione versus finem vergente pateat.

730. Omnis inflammatio incipit a sensu caloris in quadam parte, ejusque sensibilitate aucta, cui mox tensio, dolor, rubor et tumor, aliave specialis functionis laesae phaenomena succedunt, citius tardiusve crescentia, donec ad maximum evehantur gradum, quem pro casus diversitate die tertio, quinto, aut septimo adtingere solent. — Febris mox una cum topica inflammatione evolvitur, mox ei ad altiorem potentiam exaltatae succedit, horrore plus minusve solemni orsa.

731. Felici sub omine pristina restituitur integritas, phaenomenis morbosis pedetentim mitescentibus, quin pars inflammata abnormem quandam subeat metamorphosin; atque ejusmodi sanationis opus non raro criticis distinguitur signis. — In adverso casu variae succedunt terminationes, quas nunc salus, nunc mors, nunc chronica labes sequitur.

732. Decursus inflammationis topicae igitur vix non eandem agnoscit stadiorum seriem, quam febribus communiter competere videmus, invasionis utpote, incrementi, status, criseos, et decrementi, temporis intervallo nunc breviori, nunc longiori sese excipientium. — Unde etiam inflammationis duratio mox acuta, mox chronica observatur.

733. De chronicis autem inflammationibus idem valet, quod de febribus ejusdem generis dictum fuit. Sistunt enim vel effectum permanentis cujusdam causae, quae in organismo latet, aut in illum continuo agit, atque hoc intuitu relate ad singulam partem idem sunt, quod febres symptomaticae relate ad totum organismum; vel vero catenam constituunt acutae inflammationis continuo recidivas subeuntis, uti e. g. phlogoses phthisicorum.

734. Nonnisi in altero casu inflammationis nomine, stricto in sensu, sunt dignae. In primo, ubi per menses excurrere possunt, quin morbosas organicae materiae metamorphoses inducant, simplices congestiones, aut irritationes potius dicendae erunt.

DIAGNOSIS.

735. E complexu characterum plus minusve essentialium, inflammationis cognitio, et diagnosis construitur. — Quo plura, et quo graviora fuerint, quae illam comitantur phaenomena, et quo facilius in sensum cadunt, vel saltem rationali inductione conjecturari possunt; eo facilius quoque erit negotium.

736. Haud infrequentes tamen in praxi sunt casus, ubi unum alterumve symptoma constitutivum, imo et plura deficiunt; ubi anomaliae, aut complicationes variae eorumdem praesentiam celant, et obtenebrant; ubi levior morbi gradus in organo minus nobili, ac profunde sito essentialia phaenomena corradere et dignoscere vetat; ubi laterales circumstantiae sensum aegri communem adeo hebetant, ut solita inflammationis incommoda non percipiantur; vel ubi synchrona alius systematis passio, aut sympathicae passionis praedominium constantiores phlogoseos satellites confundit, et obscurat.

737. Tales inflammationes medicis occultae, latentes, dolosae, aut clandestinae vocantur (Germ. verborgene Entzündungen). — In his dijudicandis omnino roboratus experientiis oculus, ac solers ad cuncta momenta circumspectio requiritur, qua etiam non contempta, recta morbi notio oculatissimorum saepe practicorum aciem effugit. — Plurimum interest, ut omni die exactissimum instituatur aegri et morbi examen, habito necessario ad causas producentes, diathesin latentem, epidemiae genium, ac ad empirica quaedam signa respectu. — Interdum plane ad ultimum diagnoseos refugium, ad juvantia utpote, ac nocentia recurrere oportet.

Wienhold Diss. de inflammationibus occultis. Goet. 1772.
Reyland Abhandl. von verborgenen Entzündungen. Wien 1790.
Nietsch über verborgene Entzündung und die daraus entspringenden bedeutend. körperl. Uebel. Frkft. a. M. 1819.
Wendt (Joh.) die alte Lehre von den verborgenen Entzündungen durch mehrere neue Beobachtungen bestätigt. Breslau. 1824.

738. Speciales demum, quae diagnosin inflammationum dirigunt regulae, nonnisi ex speciali earumdem doctrina desumi poterunt, sub cujus decursu nostram adtentionem ad variam inflammationis indolem et formam dirigemus.

SUBSTRATUM INFLAMMATIONIS.

739. Quaevis organismi vivi pars, vasis et nervis instructa, inflammari potest. — Quum autem nulla existat, quae essentialibus illis animalem vitam, motum nempe, sensum, ac nutritionem regentibus adtributis careat, excipiendo capillos, ungues, et cuticulam, nulla quoque immunis ab inflammatione manet.

740. Specialior tamen organicarum partium sphaera, quae propriam inflammationis sedem constituit, est textus vasorum capillarium.

741. Intelligimus sub vasis capillaribus subtilissimos illos canales, qui nunc sanguinem, nunc tenuiores solum particulas ab eo secretas, nunc plane nil nisi vaporem sanguinis vehunt; qui finem arteriarum, venarum initium po-

nunt, utramque hancce systematis sanguinei sphaeram, arteriosam et venosam, invicem jungunt, ac separant; et qui simul principem adparatum pro secretione, exhalatione, et nutritione sistunt.

742. In vasis capillaribus serosis, sive illis, quae nullum sanguinem conducunt, omnis, quae arteriam a vena distinguit, antithesis deletur, ac ad indifferentiae statum reducitur; ita tamen, ut irritabilitas, in statu normali fere ignave latens, facillime excitetur, dum positivus accedit stimulus, quo arteriosus in capillarium rete majori vi propellitur sanguis. — Possunt ergo etiam illa vasa capillaria, quae in statu salutis nullum prorsus sanguinem rubrum vehunt, in sanguinis conductores transformari, quamprimum irritatione qualicunque eorum irritabilitas suscitatur, vel massa sanguinis volumine aucta ultra solitos promovetur alveos. — Vas capillare, indifferens alias, nunc arteriae vices agit, fit haematophorum, ac ab ordinaria alienam activitatem manifestat, eousque perduraturam, donec pristina integritas et indifferentia denuo redeat.

743. Manifestissimum exemplum hujus metamorphoseos vasorum capillarium serosorum in sanguifera, et arteriosa, praebet tunica oculi conjunctiva, quae illico ab heterogeneo illapso rubescit, vel pallida gena, quam verecundia momento citius amoeno suffundit rubore.

744. Quod autem systema vasorum capillarium verum inflammatonis substratum sistat, Fabrius quidem et van den Bosch jam arguebant, maxima tamen cum diligentia adumbravit Bichatus.

745. Argumenta, quae id evincunt, sequentibus comprehendi possunt. — Essentialia phlogoseos phaenomena unice ad systema vasorum capillarium, eorumque functiones referuntur. — Rubor, in plerisque inflammationibus intensior, etiam in statu salutis a sanguine rete vasorum capillarium perreptante, ac per diaphanas membranas transparente dependet. — Caloris evolutio inter capillarium adtributa spectat. — Eorundem vasculorum systema principem sistit pro nutritione adparatum, quam quaevis inflammatio, altioris praesertim gradus, alterare solet. — Pulsatio partis inflammatae synchrona cum illa cordis,

atque magis perfecta in eodem elaboratio sanguinis concipi nequiret, nisi e facultate solis capillaribus propria, arteriosam, dum irritabilitas intenditur, naturam contrahendi. — Omnis demum inflammatio initium sumit a congestione sanguinis; quam nonnisi in vasis, cum arteriarum canalibus continuis, ac immediate communicantibus locum habere posse, sponte liquet.

746. Huncce turgorem, quem consueta oculorum acies in diaphanis membranis dignoscere valet, armatus tanto clarius distinguit oculus. — Microscopica sagacissimi scrutatoris Gruithuisen experimenta docuerunt, successivum ab initio inflammationis contingere sanguinis versus vasa capillaria serosa adfluxum, undosum. Serius plura hinc inde comparent puncta rubella, quae pedetentim crescunt, radiatim divergunt, et cum vicinis confluunt, rete formando subtilissimum coloris laete rubri, eoque aequabilioris, quo magis increscit congestio. — Absurdum vero foret haecce phaenomena e recentium vasorum sanguiferorum genesi explicare velle; haec enim adeo prompte fieri nullo modo poterit; quare assumi necessario debet, existentia jam prius vasa capillaria serosa ab irritamenti accessu in sanguifera transmutari. — Angiogenesis nonnisi inflammationis jamjam evolutae, ac vegetationis inde incitatae productum est.

747. Posita inflammationum sede in systemate capillari, quod et irritabili et reproductivo limitrophum, utriusque mutuum influxum sustinet, ac differentes functiones conjungit, conciliari quoque potest simultanea incitationis, et vegetationis laesio, cuivis phlogosi propria.

748. Etiamsi omne organon vasis capillaribus instructum inflammari possit, majorem tamen dispositionem fovent illae partes, quae ex sua natura capillaribus rubris abundant, in quibus igitur vita arteriosa praedominatur, uti e. g. pulmones, glandulae, corium, membranae mucosae, et s. p.; e praemissis enim jam patet, quod praeter substrati praesentiam, simul ejus metamorphosis supra indicata (§. 741) requiratur. Unde partes organicae, quae hancce arteriosam metamorphosin difficilius subeunt, ob vascula subtilissima merum vaporem vehentia, ac ideo

pro exhalatione destinata, inflammatione vera minus crebro, ac minus vehementer corripiuntur; e. g. membranae serosae et fibrosae. Concipitur ex eadem ratione, cur arteriae et cor, etsi palmares regni irritabilis partes constituant, inflammatione non adeo frequenter corripiantur; earum enim parietes serosi in congestionem sanguinolentam minus proclives.

749. Generale itaque inflammationis substratum, ceu principem pro ejus genesi conditionem, sistunt vasa capillaria; speciale vero totuplex esse poterit, quot diversae organismum componunt partes, capillaribus vasis instructae. Inde intelligitur, quid de distinctione inflammationis in arteriosam, venosam et lymphaticam, physiologicis aeque ac pathologicis principiis adversante, sentiendum sit.

INFLAMMATIONIS AB ANALOGIS ADFECTIBUS DIFFERENTIAE.

750. Inter conditiones pathologicas, quae maximam cum inflammatione adfinitatem habent, spectant: 1) Congestio. — 2) Turgor vitalis. — 3) Erethismus nervosus. — Ab his caute distinguatur, oportet.

751. Congestio, Symphoresis (a graeco συνφέρω, congero; Germ. Strotzung), dicitur ea organi cujusdam conditio, qua majorem sanguinis copiam accipit, quam illius functio, vasorumque numerus et magnitudo postulat. — Differt a stagnatione, seu stasi (Stockung), quae simul imminutum, aut plane suppressum sanguinis motum supponit.

Cappel, Diss. de sanguinis congestionibus. Helmst. 1796.
Succow Comm. de Congestionis sanguineae notione, signis, natura, diagnosi, causis atque effectu. Jen. 1828.

752. Spectata origine, et natura, duae potissimum in pathologicis institutionibus distinguuntur congestionum species. — Prima originem repetit ab aucta per stimulos positivos arteriarum actione mox universali, mox locali; congestio activa, hypersthenica. — Altera e vasorum debilitate, atque spontaneo ferme sanguinis versus partem minus resistentem adfluxu, ejusve impedito re-

fluxu nascitur; congestio passiva, asthenica. — Qui autem adtentiori oculo hancce distinctionem intuetur, absque negotio intelliget, epithetis — activa et hypersthenica, passiva et asthenica, — nequaquam promiscue utendum esse; sensu enim strictiori tanquam synonyma considerari nequeunt. Dantur quippe congestiones, quas status asthenniae universalis vel localis eatenus invitat, quatenus majorem in stimulos aviditatem includit, vel sanguini impellenti minorem resistentiam, quin tamen ideo passivae compellari possent. Alias ex adverso symphoreses, licet habita geneseos ratione manifeste passivae sint, uti v. g. e compressione vel obliteratione vasorum venosorum, nonnisi perperam asthenicas diceres, quum causa proxima coacervationis sanguineae nullatenus in statu debilitatis vel atoniae quaerenda foret. — Activam et hypersthenicam congestionem maxime in vasculis arteriosis, passivam et asthenicam vero in venosis obtinere, facile liquet.

753. Activam nonnisi symphoresin, quae etiam irritatio simplex (einfacher Reitzungszustand) audit, cum inflammatione confundi posse, jam ex dictis patet, ac e mox dicendis adhuc clarius patebit. — Agnoscit autem et haec duplicem geneseos differentiam. Vel enim reali, et absoluta stipatur virium vitalium, in specie arteriosarum energia (hypersthenia vera), nunc universali, nunc topica stimulis positivis absolutis ad vividiores reactiones incitata. Vel favente partis cujusdam erethismo, ac majori in stimulos receptivitate, directae debilitatis crebro comite, irritamentis positivis mere relativis inducitur. — Ultima haecce congestionis activae varietas a nonnullis medicis, et praesertim a Brunonis adseclis perperam pro asthenica habebatur.

754. Quatenus igitur quamvis congestionem activam manifesta irritationis arteriosae signa comitantur: calor utpote auctus, rubor, vasorum superficialium dilatatio, tensio, sensus pulsationis, secretio incitata, febris irritativa; haec autem phaenomena inflammationis quoque effigiem praesentant, imo quivis processus inflammatorius a simplici ordiatur irritatione; eatenus nil mirum sane, unum adfectum cum altero confundi, maxime in exordio. Pro-

pter hancce germanitatem congestio activa etiam subinflammatio, paraphlogosis, status subinflammatorius, vel paraphlogoticus vocari consuevit.

755. Essentialis inter simplicem irritationem et veram phlogosin differentia in eo sita est, quod haec praeter symptomata congestionis mox recensita, sublatam antitheseos, quae inter singulas systematis vasorum capillarium sphaeras obtinet, indifferentiam praebeat, (febris criticae adinstar) dato nonnisi tempore ad aequilibrium reducendam, et quod simul vegetationis animalis munus alteratum habeat, sanguinis phlogistica crasi, materiae plasticae perfectiori elaboratione, atque nisu in novas et abnormes massae organicae formationes distinctum. Falluntur eapropter pathologi, qui statum inflammationis et congestionis activae solo gradu differe putant; dantur enim phlogoses leves, et symphoreses sanguineae gravissimae, quas, si derepente et magno cum impetu evolvuntur, clariss. Broferio, Taurinensis, haemormeses adpellat.

756. Congestio activa, sive irritatio simplex, quamprimum irritans agere cessat causa, omni momento ad normae statum reduci potest; continuante vero stimuli actione, aut perseverante illa conditione pathologica, quae organismi, vel singulae partis statum irritativum sustinet, diutissime, ac nullo prorsus typo adstricta persistit. — Constituit itaque fere nil aliud, quam irritabilitatem vasculorum capillarium alicujus partis incitatam, cum sanguinis uberiori adfluxu; adfectum proinde mere dynamicum.

757. Inflammatio autem semel evoluta, processum sistit autonomum, substantivum, qui ab omni vinculo cum causa efficiente solutus libere excurrit, in semetipso existentiae et ulterioris incrementi pabulum invenit (1), atque finem non adsequitur, nisi praefixum maturationis tempus excurrat, quo criticum molimen restituendae sublatae indifferentiae ac abnormi productioni denuo ad normam reducendae idoneum redditur. — Quatenus praeter irritabilitatis augmentum, abnormem simul processus reproductivi conditionem, plasmata varii generis molientem, includit, morbum organico-dynamicum praebet.

(1) Corneliani Institutiones Pathologiae generalis. Vol. II. Ticini. 1830. pag. 85.

758. Liquet inde, congestionem activam inter et inflammationem vix non eandem obtinere differentiam, quae febrim irritativam symptomaticam ab inflammatoria critica discernit. — Inflammatio enim pro singula parte idem est, quod febris angiosthenica pro toto organismo. Utraque morbum systematis vasorum non solum, sed etiam sanguinis ipsius sistit.

759. Turgorem vitalem distinguimus a congestione morbosa, illumque nonnisi ad sanum corporis statum referimus. — Hujus generis est verecundus genarum rubor, turgor uteri tempore menstruationis, inturgescentia membri virilis, papillarum, cristae in avibus iracundis, etc., quae omnia phaenomena interdum primo intuitu pro inchoante phlogosi quidem imponere possent, transitoria autem comparitione, ac morbosi symptomatis absentia ab illa facile distinguuntur.

760. Confundi demum adhuc posset inflammatio cum erethismo nervoso, praesertim si organa interna nervosa, aut musculosa prehendit, e. g. enkephalon, diaphragma, nervorum velamenta; tunc enim et dolor, et motus organicus incitatus utrique adfectui communis est.

761. Differentia ex eo desumitur, quod dolor inflammatorius sit magis fixus, continuus, caloris sensu junctus, sub rudiori tactu crescens; nervosus contra potius vagus, manifeste remittens, aut intermittens, qui tactu partis adfectae non solum non exasperatur, sed imo pacatur. Porro, quod incitatus motus organicus sub inflammatione graviori systema arteriosum cum circuli manifesta alteratione reflectat, ac in abnormem productionem nitatur; — illud contra motus organici incitamentum, quod erethismum nervosum efficit et comitatur, per eminentiam ad organa regni sensiferi ac muscularis referatur, minorem aequabilitatem manifestet, atque nunc forma hyperaestheseos, nunc forma hyperkineseos, seu spasmi, in conspectum veniat. — Unde differentia inter dolorem inflammatorium et spasmodicum, inter erethismum inflammatorium et nervosum desumitur.

Uterque tamen interdum sociatus esse potest, uti v. g. in utero frequenter accidit.

AETIOLOGIA INFLAMMATIONIS.

DISPOSITIO.

762. Quemadmodum proëgumenon febris inflammatoriae momentum in totius regni arteriosi irritabilitate, ad altiorem potentiam incitata, consistit; ita inflammationis topicae dispositio in arteriosa vitalitate singuli organi justo magis excedente fundatur.

763. Haec autem irritabilitas, sive in irritationem pronitas, quibusdam barbaro vulnerabilitatis nomine insignita, vel a reali dependet incitationis energia; vel vero a tali languore, cui promptior reagendi facultas, atque facilior stimulorum, etiam relativorum, perceptibilitas jungitur, debilitate nimirum, ut ajunt, erethistica.

764. Hoc praemisso sponte liquet, subjecta juvenilia, robusta, plethorica, bene nutrita, Bacho litantia non minus, ac tenera, debilia et sensilia, in phlogoses disposita esse. Itidem praedominans, dum bruma saevit, in cunctis hominibus systematis vasorum incitabilitas constitutionem epidemicam, ac majorem inflammationum frequentiam parit.

765. Sunt porro particulares quaedam singulorum quorumdam organorum conditiones, nunc a specifica et indita structura functioneque, nunc a repetito inflammationum recursu pendentes, quae faciliorem (caeteris paribus) ejusdem morbi genesin efficiunt.

766. Hae conditiones consistunt: 1) In vasorum arteriosorum et capillarium abundantia, quam e. g. in pulmonibus, in textu cellulari adiposo, membranis mucosis, aliisque organis secernentibus observare licet. 2) In indita, ac ad normalem salutis statum spectante partium quarumdam proclivitatae, certis periodis ac sub definitis evolutionibus physiologicis inturgescendi; c. g. mammarum, uteri, ventriculi, pulmonum, intestinorum. 3) In majori vasorum capillarium sensibilitate, et capacitate, quam crebrius rediens congestio vel inflammatio inducit et relinquit,

talique pacto vix non perennem eorundem organorum ad similia mala subeunda opportunitatem conservare juvat.

767. Notari tamen debet, organa quaedam ex sua structura nullam prorsus certos stimulos percipiendi facultatem ostendere, a quibus tamen alius compagis organa facillime irritantur. Exemplo sint viae urinariae, quibus urina, acerrimus pro aliis partibus stimulus, indifferens sistit irritamentum. — Relativae hujus dispositionis, aut indispositionis gradus, in superficiebus externis, plurimum dependet ab epidermidis praesentia et absentia.

768. De specialibus et relativis in certa inflammationum genera, vel definitas formas dispositionibus hic loci sermo esse nequit.

CAUSAE EXCITANTES.

769. Omnes stimuli positivi, qui, vel per solam quantitatem, vel ex propria natura et qualitate organismo infensa, rete capillarium ad vividiores reactiones excitant, inter genitrices inflammationum potentias pertinent. — Horum nonnulli sunt absoluti, atque generalem modo ad morbum provocandum dispositionem requirunt; alii contra relativi, phlogosin non creantes, nisi peculiaris et adaequata praeexistat partis organicae dispositio.

770. Juxta variam naturam, variumque agendi modum in potentias mechanicas, chemicas, et dynamicas discernuntur; quae denuo mox extra nos sunt sitae, mox intra organismum residentes.

771. Potentiis mechanicis, quae vix non semper absolutos sistunt stimulos, adnumerantur omnia corpora physicis vitibus et qualitatibus agentia: pondere, mole, figura, motu, quibus organicae partes comprimuntur, fricantur, distenduntur, solvuntur. Omnes proinde laesiones traumaticae, contusiones, lacerationes, puncturae, luxationes, fracturae, etc. inflammationem constanter pariunt. — Ad eandem catervam pertinent producta organismi morbosa: calculi, vermes, ossificationes, skirrhi.

772. Irritamentis chemicis accensentur omnes substantiae acres, quae calefacientium, phoenigmorum, vesicantium, acrium, causticorum nomine veniunt, atque

vel irritabilitatem simpliciter exaltant, vel vero miscelam fluidorum et solidorum alterant, ac non raro organicam texturam destruere nituntur, sive interne sumpta, sive externe adplicita. — Talia sunt: acida concentrata, alcalina, oxyda quaedam metallica, infinitae plantarum species, olea aetherea, alcoholica, venenatae animalium materiae, quales e. g. in cantharidibus, vespis, scorpionibus delitescunt. — Aliquo intuitu etiam miasmata contagiosa huc referri possunt.

773. Quousque potentia mechanica vel chemica ejus gradus et naturae fuerit, ut illius nisus destructivus vigentibus organismi viribus limitari, et coërceri possit, simplex nascitur processus dynamicus, vel organico-dynamicus, sub forma congestionis, vel inflammationis comparens. — Quamprimum vero absolutae irritamentorum dictorum vires solutioni unitatis, vel miscelae destructioni intentae, reactionis vitalis renitentiam superant, una cum phlogosi, vel unitatis solutio (vulnus, dialysis, comminutio), vel organicae texturae destructio et abolitio (diabrosis, et sphakelus) obtinet.

774. Inter potentias tandem dynamicas, quarum actio e materiali fonte explicari nequit, sed immediate in incitationem dirigitur, et nunquam in organicae texturae abolitionem nititur, nonnullae extra nos sunt sitae, cosmicae; aliae in organismo vivo latent, atque ex alterato motu organico propullulant, organicae.

775. Ad potentias nocentes dynamico-cosmicas referuntur: oxygenes; calor in utramque partem excedens, ejusque repentinae vices; lux; electricitas positiva. — Ad dynamico-organicas: motus muscularis nimius; sensuum externorum incitatio; animi adfectus excitantes, ira, gaudium; inclinationes cupidinosae, quae mox amoris, mox libidinis, superbiae, vel vindictae nomine veniunt, atque manifestum in vasa capillaria influxum, transitorio turgore et rubore aperte indicant; mentis intentio nimia; evolutiones physiologicae, praesertim illae, quae cum novis formationibus incedunt, et jam in statu salutis processum phlogosi summe analogum exhibent, uti dentitio, prima secretio spermatis et lactis, menstruatio, gra-

viditas; reactiones antagonisticae et metastaticae, quales v. g. ex repentine suppressa, vel adamussim non recurrente evacuatione habituali nascuntur.

776. Relatarum causarum nonnullae inflammationem generant parti immediate adplicitae, consuetis atriis receptae, aliae universi systematis arteriosi energiam excitando, quae demum evidentius sese explicat in vasis capillaribus organi aut ex sua natura, aut ob alias circumstantias in congestionem magis proclivis; nonnullae, praesertim absolutae, in quavis parte phlogosin creant; aliae electivam quasi in certa organa actionem manifestant, quae in peculiari quorundam organorum erga definitos stimulos receptivitate fundatur. Ita lux pro oculis, sonus acutus et fortis pro aure, oxygenes pro pulmonibus specificum suppeditat stimulum.

NOSOGENIA ET THEORIA.

777. Quatenus inflammatio in genere spectata neque potentias specificas pro causis occasionalibus, neque organa specifica pro substrato agnoscit; eatenus etiam de atriis inflammationis nil dicendum restat; stimulorum enim inflammationem excitare valentium tanta est multitudo et varietas, ut per qualecunque atrium suscipi possint.

778. Stimulus positivus, sive absolutus, sive relativus, in organismum ita directus, ut actiones suas ad partem singulam limitet, hujus irritabilitatem, sive inditam, sive morbose exaltatam ad vividiores impellit reactiones; quidquod duplici plerumque via fieri solet, vel efficientia nervosa ad altiorem potentiam immediate excitata, vel sanguine magis stimulante reddito. — Quum autem canalibus arteriosis non minus, ac capillaribus character irritabilitatis per eminentiam competat, (quem in primis continuo actuosum, in secundis potius latentem, ast facile provocandum, et in actionem deducendum videmus); illorum reactio promptior et fortior, principem necessario irritationis productae effectum sistere debet.

779. Hoc pacto acrior incenditur inter vasorum contractionem ac sanguinis, aliusve humoris expansionem lucta; vasis capillaribus irritatis arteriosus imprimitur charac-

ter, irritabilitate, per stimuli interventum, ultra modum exaltata (»Die schlummernde Reitzbarkeit der Haargefässe wird zur arteriellen Thätigkeit erregt«); unde canales capillares, qui solum humoribus serosis, aut vapori animali conducendis sunt destinati, in arterias, sive in canales haematophoros transformantur.

780. Ex hocce jam morboso conflictu dynamico multorum, inflammationem constanter comitantium, phaenomenorum series concipitur.

781. Rubor partis inflammatae uberiori sanguinis adfluxu, ejusque in vasculis, alias cruorem non vehentibus, congerie producitur; quo simul et haematopoësis perfectior, colorque sanguinis inde vividior suam symbolam contribuit. — Quo pluribus, et capacioribus vasis capillaribus instructa est pars organica; eo citius, eoque intensius rubet, dum status congestionis, aut inflammationis evolvitur. Tenerrimis, ac minimae diametri vasculis instruuntur membranae diaphanae exhalantes (serosae), ac ideo minus rubent inflammationis occasione.

782. Dolor suam originem depromit non solum e diutius persistente causae violentae impressione, e vasorum capillarium distensione, quam vehementer urgens a tergo sanguis producit, e compressis per turgida vasa surculis nervosis; sed etiam ex specifico quodam sensilitatis, et in specie sensus communis incitamento, quod quidem pro varia organi inflammati, ipsiusque inflammationis indole diversum cernimus, adamussim tamen non semper explicare valemus.

783. Cur phlogoses organorum, in quibus irritabilitatis character per eminentiam evolutus, uti sunt fibrae musculares, cor, pulmones, levi plerumque dolore stipentur; et cur organa systematis sensibilis, aut copiosis nervis instructa, uti membranae, corium, ventriculus, intestina, etc. immaniter doleant, dum inflammantur; ratio sufficiens patet.

784. Aciem tamen cognitionis medicae hucdum effugit dirissimorum dolorum in iis organis evolutio, in quibus anatome nullos adhuc detegere potuit nervos, et qui salutis in statu omni fere sensibilitate carere videntur, uti cap-

sulae et aponevroses. — Si dolor nil aliud est, quam expressio sublatae harmoniae inter singulas partes et organismum, cujus compos redditur mens, sensus communis ope (1); — majoris quoque doloris in partibus mox recensitis ortus fors inde aliquomodo concipi posset, quod morbosa inflammationem constituens conditio multo magis heterogenea, et aliena sit pro organis pauca vasorum sanguiferorum copia instructis, quam pro partibus copiosum sanguinem jam in salutis statu vehentibus.

(1) Kieser System der Medicin. 1. Bd. p. 466.

785. Caloris augmentum dependet ab incitata vasorum capillarium, quae ad potentiam vitae arteriosae evehuntur, activitate, ab intrinseco sanguinis motu accelerato, haematopoësi perfectiori, a partis inflammatae siccitate (§. 724) ipsiusque efficientiae nervosae energia majori. — Tanto facilius autem altior in parte inflammata caloris gradus concipitur, si perpendimus vasa capillaria ad temperieri animalis productionem, aequabilemque distributionem etiam in sano statu plurimum conferre; ibi enim humorum capacitas mutatur, ibi metamorphosis vaporum in fluida (secretio), fluidorum in solida (nutritio) obtinet, quem processum organico-chemicum, seu biochemicum, caloris sensibilis evolutio constanter comitatur.

786. Intuendo oxygenis efficaciam in sanguine perficiendo ejusque plasticitate extollenda, nec non caloris evolutionem justo magis incitatam in parte inflammata, proxima inter processum inflammationis et combustionis analogia elucet. Unde etiam nominis ab antiquissimis temporibus usus, aptusque selectus vindicatur.

787. Tumorem partis inflammatae e vasculis capillaribus pansis, cruoris aliarumque ab eo secedentium particularum majori copia refertis, eorumdem humorum in cellulas parenchymatis effusorum impedita, vel retardata resorptione, et quod maximum est, ex incitato nisu expansivo et formativo repetimus. — Expansio praedominans, sive nisus centrifugus per majorem vasorum arteriosorum energiam concitatus, nonnisi volumen majus stante eadem mole; alacrior autem nisus formativus simul massae orga-

nicae augmentum efficit, recentibus vasculis instruendae; quemadmodum id microscopica docet observatio.

788. Quo magis cellulosum, spongiosum, vasisque capillaribus rubris dives fuerit organon, et quo altius in illo vis plastica viget; eo manifestior elevatur tumor, quem e contrario vix notabilem videmus in membranis simplicibus inflammatis, sive hyalinis, sive compactis.

789. Febrem, inflammationis gravioris, aut nobile organon plectentis fidelem comitem, inde concipimus, quod systema vasorum capillarium (arteriis et venis interpositum, hasque cum illis uniens), quamprimum justo magis incitatur, praedominium adquirat prae cordis et arteriarum activitate. — Abnorme hocce incitationis augmentum, quod simul accelerata inter contractionem et expansionem vasorum oscillatione distinguitur, ad contiguos tum arteriosos, tum venosos propagatur canales, horumque insolitam pulsationem producit; ulterius tandem propagata angiostheniam universalem creat, cujus centrum, et fons in parte inflammata habetur.

790. Praeter adlata phaenomena vero, quae etiam congestioni propria sunt, inflammationem adhuc distinguit vegetationis munus alteratum (§. 755), quod e solo irritabilitatis augmento explicari nequaquam potest.

791. Si perpendimus systema vasorum capillarium, praeter quod arterias cum venis jungat, principalem simul sistere reproductionis organicae officinam (§. 741), e qua omnis secretionum et nutritionis fomes scaturit; nil mirum sane, si utriusque hujus functionis laesio evolutum processum inflammatorium sequitur. — Irritabilitate vasorum capillarium videlicet ultra normam incitata, legum antitheseos ad nutum supprimitur, aut supprimi tentatur efficientia plastica, sive indita systematis capillaris, organicam productionem expedientis, facultas.

792. Ad sublatam hancce, inter arteriosam seu irritabilem, et reproductivam sphaeram vasorum capillarium indifferentiam restituendam, major necessario insurgere debet reproductionis suppressae activitas, quae non aliter, quam recentis producti organici formatione in conspectum venit.

793. Tale productum secretionis vel nutritionis abnormis pro diversa redivivae vegetationis energia mox ad fluidam, mox ad solidam magis inclinat formam; a consueto tamen et normali materiei organicae typo non abludit, ubi de sola reproductionis quantitate aucta agitur (Parectama, Induratio, Hypoclepsis). — Si vero simul qualitas productionis alteratur; etiam productum abnorme qualitatem offert a norma diversam, quae, cum per specificum processum organi producentis determinetur, specifica evadit (Pus, Ichor, Pseudoplasmata varii generis.)

794. Ea ratione, qua productio organica reviviscit, mox adlatis productis sese manifestans, vincitur irritabilitatis excessivae praedominium, atque primitivus processus inflammatorius sedatur. — Si eodem tempore, quo reproductio, novae materiae genesi intenta, pristinam functionum integritatem restituere nititur, vasorum capillarium irritabilitatem, abundantis principii plastici eductione, compescendo; — si eodem inquam tempore absorbentis simul ac venosi systematis energia excitatur, recens productum in massam circuli reducitur, atque mox e corpore eliminatur, mox in alios usus impenditur. — Forma, et textura partis inflammatae tunc ne hilum alteratur (resolutio), atque humores secreti tales esse solent, quibus secernendis organon ex sua natura destinatum est, uti mucus, bilis, urina.

795. Si vero vegetationis processus eum in finem incitatus, ut irritabilitatis excessivae periculosum dominium compescere valeat, materiae plasticae, plus minusve elaboratae, talem copiam e vasis capillaribus separat, ut haec absorbentibus educi nequeat; — mox sola secretio incitatur, atque abnormis plerumque effusio in cava vicina, vel in cellulas parenchymatis contingit, mox eadem secretio qualitative, et quidem specifico modo vitiatur, mox nutritio et processus plasticus citra normam intenditur. Quoniam vero vita arteriosa, ad altiorem gradum evecta, simul plasticae lymphae majorem copiam, ejusque majorem coagulabilitatem efficit, etiam incitatae nutritionis producta in coagulum et crystallisationem libenter tendunt, atque in varias coëunt massas, organo adfecto plus mi-

nusve homologas; nisi contrariae intercurrant circumstantiae, quae liquationis nisum promovent.

796. Irritabilitate tandem, et arteriosae reactionis enormitate ad eum gradum excedente, ut suppressum reproductionis munus indifferentiam non solum restituere nequeat, sed plane ex integro deleatur, pars inflammata vivere cessat (Sphakelus).

797. Hactenus de constructione inflammationis, de nexu inter morbi substratum, causas excitantes et effectum, atque de conceptu originis symptomatum eminentium, ac successionum potiorum, e principiis rationi et observationi analogis derivata, quae praemitti omnino debuerant, ut morbi natura et causa proxima, etsi non cum certitudine, saltem cum majori verisimilitudine adumbrari possit.

CAUSA PROXIMA.

798. Explicandae causae proximae inflammationis plurimi medici, antiquioris aeque ac moderni aevi, insudarunt; successu quidem ambiguo, laudabili tamen semper intentione.

Clauss (Praes. Schreger) Diss. continens disquisitionem potiorum inflammationis theoriarum. Viteberg. 1811.

Nagy (Lud.) Diss. de Nosogenia et differentiis inflammationum Vien. 1817.

Langenbeck Oper. cit. I. B. S. 1 — 189.

799. Ne infinitarum hypothesium ac theorematum farragine, eorumque confutatione pagellas, ad practicum scopum potius directas, inutiliter repleamus, potiores solum ideas breviter exposuisse juvabit. — Notabilis, quae invenietur, diversitas plurimum dependet a principiorum pathologicorum varietate, quorum quaevis Schola et Secta medicorum alia sibi formavit. Vix ulla tamen theoria adeo vana dici potest, ut saltem qualemqualem veritatis particulam non contineat.

800. Humorum in morbis producendis dignitas tanta per complura saecula habebatur, ut etiam inflammationum genesin unice ex hocce fonte explicare studuerint medici, varias crases, acrimonias, lentorem, effervescentiam, pro palmaria inflammationis causa adcusando.

801. Hippocrates sanguinis glutinosi uberiorem adfluxum; Erasistratus errorem loci (παρεμπτόσιν); Oribasius sanguinis putrescentiam; Willisius, Sylvius de la Boë et Charleton effervescentiam inter particulas acidas et salinas; Chr. Lud. Hoffmann, et Wedekind particulas sanguinis acres et putrescentes; Baumes oxydationis excessum; Hofrichter varia oxygenii connubia cum carbonico, hydrogenio, azoto, pro causa inflammationis proxima habuerunt.

802. Ast omnia, quae theoriae humorali, et chemicae in genere objici merito possunt (Pyret. gen. §. 382) etiam inflammationis explicationem ex solis hisce principiis mancam omnino esse, facile demonstrant. — Aliquam tamen culpam in sustentando processu phlogistico humoribus et maxime sanguini inesse, negari nequit.

803. Solidarem theoriam amplectentes nunc omnem, nunc praevalentem solummodo, humorum in phlogosi creanda dignitatem spernebant, atque inflammationis proximum fontem plurimum e legibus mechanicis et hydraulicis, tum puris, tum principio vitali modificatis repetere studebant.

804. Eminent inter Solidistas antiquiores Borellus, et Bellinius, qui praeter calorem sanguinis auctum, ejus moram in plicis et flexuris vasorum capillarium assumpserunt; atque Boerhaavius, cui inflammatio dicebatur obstructio, seu stagnatio ssnguinis in minimis canalibus, fervorem adtritu gignens. Hujus opinionis, principiis Praeceptoris Pitcarnii, et Frid. Hoffmanni superstructae, maxima per plures annos viguit auctoritas. — Frid. Hoffmannus vero non solum in arteriis, sed etiam in vasis serosis et lymphaticis obstructionem statuit, concurrente simul lentore et crassitie sanguinis, aut spastica contractione.

805. Quis autem medicorum organismum humanum solis legibus mechanicis regi credet? Quis organa vasculosa tamquam canales vita destitutos contemplabitur? Quis calorem ex solo adtritu inter vasorum parietes et sanguinem fluidum concipere valebit?

806. Frid. Hoffmannus quidem suo jam tempore

principia pathologiae humoralis cum solidari non solum combinare studuit, statuendo praeter obstructionem in vasis serosis et lymphaticis, simul lentorem et crassitiem sanguinis; sed etiam primum pro Nevropathologia fundamentum posuit, cum spasticam simul vasculorum contractionem supponeret.

807. Nihilominus tamen nonnisi serioris aevi medici majorem ad principium dynamicum adtentionem dirigebant, unde etiam inflammationis theoria diversam obtinuit formam.

808. Gorterus primus theoriae Boerhaavianae aliam substituere ausus est, motum vitalem in quodam arteriae ramo auctum, quo sanguis ruber in arteriolas lymphaticas urgetur, ceu proximam inflammationis causam pronunciando. Eximium huncce observatorem, cujus opinio cum illa Stahlii plurimum collimat, a modernis theoriis parum discrepasse, facile patet.

809. Hallerus sedem phlogoseos in tela cellulosa supponens, ejus genesin e stimulante sanguinis virtute secundum leges irritabilitatis explicavit, cujus primam ideam dedit. — Atque simili principio ductus Burserius, adauctam arteriarum per insolitum stimulum irritabilitatem supposuit, unde validius velociusque contrahuntur, et frequentius dato tempore deplentur, venis vero ad motum tardioribus proportionata sanguinis copia non evehitur, atque sanguinis coacervatio et inflammatio nascitur. — Non stabiliuntur in hac theoria limites inter simplicem irritationem et inflammationem; quidquod de pluribus aliis valet.

810. Cullenius, Nevropathologiae fundator, uti omnium morborum fontem a perturbatione systematis nervosi petiit; ita quoque inflammationem spasmo tonico tribuit, in finibus vasorum enato. Consimilem opinionem tuebatur Richterus. — Incitatam vim muscularem vasorum capillarium van den Bosch pronunciavit.

811. Winterl, Callisen, et Schumlanski in eo discreparunt a prioribus sententiis, quod non solum non admitterent auctam vitalitatem, sed imo contrariam statuerent virium vitalium conditionem: — diminutam videlicet vasorum actionem, sanguinisque majorem

ex orta dilatatione coacervationem. Vaccà primus fuisse videtur, qui hancce theoriam phlogoseos, ex atonia vasorum capillarium, excoluit. In Anglia eam amplexi sunt Lubbok, Allen (lentiorem plane motum sanguinis in vasis capillaribus defendentes), Wilson, Hastings, et Black; in Italia praeprimis Pistelli. — Cel. Thomson solidis sese opposuit argumentis.

812. Fortuna non majori Bruno, ejusque adseclae duplicem, ac e diametro oppositam incitabilitatis conditionem, proximum phlogoseos fontem constituere posse profitebantur. Tantum vero abest, ut haecce Incitabilistarum theoria nobis veram inflammationis naturam revelaverit, ut potius omnem implicuerit, quum materiae et formae mutationes, quas omnis phlogosis patefacit, prorsus negligat, atque eidem, in origine et natura semper identico morbi generi, duplicem et oppositam tribuat indolem. Ubi de divisione inflammationis in sthenicam et asthenicam sermo erit, erroneum hujus theoriae principium adhuc clarius patebit.

813. Si perscrutamur multiplices hasce medicorum, circa proximam inflammationis causam, ideas ac theorias, earum insufficientia plurimum inde elucescit, quod vel solos humores, vel solida tantum, vel unice vim vitalem abnormem criminari voluerint. Nil mirum itaque, si feliciora fuerint illorum virorum conamina, qui et massae organicae, et virium vitalium insolubilem nexum, ac reciprocum concentum majori adtentione dignabantur.

814. Insigne hoc intuitu meritum sibi compararunt medici, qui cum principiis physiologiae et pathologiae indies magis repurgatis, illa quoque philosophiae naturae univerunt. Etenim non solum viribus vitalibus, et chemismo animali suum in quovis processu morboso generando valorem tribuunt; verum etiam cuncta vitae phaenomena e legibus processus dynamici universalis, qui per totam naturam viget, atque universum aeque, ac singula corpora organica regit: proinde ex mutua inter macrocosmum et animalem microcosmum harmonia, aptissime explicare student.

815. Quemadmodum autem mens humana facili ne-

gotio in extrema abripitur; ita etiam nonnulli philosophi naturae justum callem perdidisse videntur, transcendentalibus ac metaphysicis ideis nimis obsequendo; unde abstractae hypotheses, et parabolicae phrases originem duxerunt, quae interdum admirationem ingenii humani excitant, reali tamen utilitate plerumque carent.

816. Non arridet eapropter theoria Troxleri, cui inflammatio est appropinquatio ad organicae individualitatis solutionem. — Similiter obscura est idea, quam Gutfeldius, et Marcus propalarunt. — Primus fundamentalium functionum disproportionem, alter mutatam secundae dimensionis cohaesionem statuit. — Roeschlaubii de ignea vita hypothesin aliis verbis ruminare, Petöczio nuper placuit.

817. Majorem veritatis et claritatis gradum adeptae sunt opiniones Burdachii, Waltheri, Seileri, Sprengelii, Dzondii, Kreysigii, Raimanni et Langenbeckii. In singulis harum theoriarum momentis quidem aliqua diversitas cernitur; omnes tamen in eo conveniunt, quod in illis, praeter abnorme incitationis organicae in vasis capillaribus augmentum, princeps alterati processus plastici respectus habitus sit, et quod phaenomenorum explicatio principiis pathologiae rationalis repurgatae, innitatur, spretis phantasiae figmentis.

818. Eximius Harless inflammationis essentiam sequenti illustrat modo: singularis ac propria systematis sanguiferi ejusque ramorum parietumque, et in specie retis vasorum arterioso- et venoso-serosorum, seu capillarium et exhalantium affectio, quae proximam causam cujuscunque inflammationis continet, natura sua duplici parte sive elemento (factores dicunt nuperioris scholae pathologi) constituitur, nimirum dynamico, sive in virium systematis illius arterioso-seroso-capillaris vitalium peculiari alteratione posito, et materiali s. chemico, i. e. in fluidorum animalium, sanguinisque in specie specifica alteratione collocato. Olim oxygenio, serius hydrogenio principatum inter inflammationis elementa chemica esse tribuendum opinabatur (1). — Nosogeniam in posteriori suo opere uberius explanavit (2).

(1) Harless de hydrope inflammatorio, subjunctis animadversionibus de inflammationis natura et differentiis. In ejus Oper. min. academ. Tom. I. Lips. 1815. p. 365.

(2) Neues praktisches System der speciellen Nosologie. 1. Hälfte. Coblenz. 1824. S. 228 — 304.

819. Inter propugnatores doctrinae medicae italicae, de contrastimulo dictae, ejusque adversarios acres ortae sunt controversiae, diversis circa phlogoseos essentiam opinionibus promotae, quas aliquod saltem in argumento adeo intricato lumen extricasse, negari nequit. — Cel. Rasori vitalitatem in processu phlogistico fere passivam esse supposuit, quatenus ejus sumptibus per introductum stimulum peculiaris excitatur conditio, quam capacitatem morbosam, seu diathesin ex stimulo adpelavit. — Major numerus adseclarum essentiam phlogoseos in sola exaltatione principii vitalis reposuit, prorsus negligendo organicas metamorphoses, quas pars inflammata subit. — Praeter alterationem dynamicam hydraulicis quoque mutationibus in organo inflammato contingentibus debitum valorem concessit clariss. Goldoni. — Clarius autem processum inflammatorium illustrarunt Cel. Tommasini et Buffalini, alienis quidem principiis imbuti, in eo tamen conniventes, quod mutationes peculiares miscelae organicae et organisationis tamquam essentiale statuerent adtributum phlogoseos, quo a simplici differt irritatione. Inde Buffalinius phlogosin e tribus momentis, irritatione scilicet, fluxione et hypersarcogenesi compositam pronunciavit (1). Nec multum discrepant opiniones, quas Emiliani (2), Geromini (3), Schina (4), aliique palam fecerunt. — Ita quoque Clariss. Gendrin a principiis pathologicis Germanorum et Italorum, quoad inflammationis essentiam, vix deflectit, statuens irritationem, seu excessivam incitationem vasorum cum adcumulatione sanguinis, et effusione materiae fibrosae in parenchyma organi adfecti (5).

1) Buffalini Fondamenti di Patologia analitica. Pavia 1819. Tom. II. p. 204.

(2) Emiliani Commentario della inflammazione. Modena. 1824.

(3) Geromini Saggio d'una Analisi de' fondamenti dell'odierna dottrina medica italiana. Milano. 1824.

(4) Schina Cenni sulla irritazione e sulla flogosi. Milano. 1827.
(5) Gendrin Anatom. Beschreibung der Entzündung und ihrer Folgen. Uebers. von Radius. Leipz. 1829. 2 Th. S. 532.

820. De Filippi essentialem et constantem phlogoseos characterem reponit in ejus genio destructivo et harmoniae vitali inimico, duplicem in organo inflammato sibi fingens motum; conservatorem nimirum, a centro vitae versus peripheriam, atque destructorem a peripheria versus centrum. — Opinionem e diametro oppositam protulerunt cel. Kreysig (1), cui inflammatio processum sistit medicatorem, avertendae destructioni intentum, atque Gruithuisen, qui phlogosin ne quidem morbum esse, sed unice medium, cujus ope natura morbo sese opponit, argumentis nullatenus plausibilibus defendit. — Medium fere inter discordes hasce sententias tenuit clar. Kaltenbrunner (2), duplicem distinguens inflammationem, morbosam et sanantem, quam ultimam effici credit, dum sanguis e canalibus formatis in canales vicinos irruens columellas, et in parenchyma prosiliens insulas sanguinis stagnantis parat, unde materia plastica et vasa nova procreantur.

(1) Kreysig Handbuch der prakt. Krankheitslehre. Leipz. 1819. 2 Th. S. 244.
(2) Kaltenbrunner Experimenta circa statum sanguinis et vasorum in inflammatione. Monachii. 1825. p. 108.

821. Microscopicae investigationes, quas, praeeunte laudabili exemplo illustrium Virorum, Gruithuisen, Döllinger, Philips Wilson, Allen, Thomson, Hastings, paucos ante annos Kaltenbrunner summa cum ἀκριβεια instituit, sequentia docuerunt notatu digniora. Motus sanguinis in principio acceleratur, postea retardatur, perturbatur ac tandem in capillaribus et venis penitus intercipitur. Sanguinis unda primum plena est; affectione vero aucta, minor minorque fit, dum usque expiret. Parietes vasorum primum tenduntur, tum relaxantur et flaccidi fiunt. Sanguinis indoles ab initio parum mutatur; in ulteriori autem decursu diversimode pessumdari potest, donec dissolvatur. Parenchyma organi inflammati turget. Globuli sanguinis, in statu normali variis intervallis sejuncti, aequabiliter per canales sunt distributi, ma-

gisque sibi appropinquantur; in primis phlogoseos stadiis, in quibus adhuc motus sanguinis acceleratus est, etiam in venis characterem arteriosum adipiscuntur, colorem contrahunt laetiorem, licet pallidum, turgent, minori seri copia cincti sunt, marginibus maxime circumscriptis gaudent, sed tamen facillime inter se conglutinantur, ac alveos vasorum egrediendo rivulos formant, in vasa nova coalescentes. Proh dolor! autem haec omnia pro condenda inflammationis theoria nonnisi insufficientia largiuntur elementa. Longe plura magisque essentialia geneseos momenta in ipsa efficientia vitali et stoechiometricis sanguinis permutationibus delitescunt, quae armati etiam oculi aciem effugiunt. Neque semper justae forent conclusiones a phaenomenis, quae in animalibus frigido sanguine praeditis (ordinariis experimentorum victimis) deprehenduntur, ad mutationes conformes in homine contingentes.

822. Nostrum de inflammationis causa proxima judicium ejusdem nosogeniae, atque theoriae rationali superstruitur, complectens summe essentiales characteres, quibus absentibus etiam inflammationis existentia excluditur.

823. Principalia vero momenta, quae ad essentiam inflammationis pertinent, sunt: 1) Sensibilitas organica et irritabilitas vasorum capillarium citra normam exaltata; ita ut, quae in statu salutis occulte tantum delitescit, sentiendi et reagendi facultas, modo manifesta evadat, e dolore et pulsatione facile dignoscenda. (Momentum biodynamicum). — 2) Uberior adfluxus sanguinis in retia vasorum minimorum, ejusque ingressus in canales capillares hyalinos, qui tali pacto, parietibus ultra modum extensis, in vasa haematophora convertuntur; motus vero sanguinis primum acceleratus, ac postea retardatus, ea quidem ratione, qua vasorum oppletio crescit. (Momentum bio-hydraulicum). — 3) Vita plastica sanguinis ad altiorem evecta gradum, unde haematopoësis vividior, perfectiorque crasis sanguinis ipsius, videlicet: intestinus globulorum motus alacrior, eorumque in mutuam unionem propensio, color laetior et numerus major; principii fibrosi exuberantia et insuetus in coagulum nisus; stoe-

chiometrica itaque elementorum sanguinem componentium proportio alterata. (Momentum bio-chemicum.)

824. E concursu horum momentorum (quorum uno tantum absente corruit idea verae phlogoseos) efformatur processus morbosus sui generis, autonomus, propriis veluti legibus auscultans, quoad generalia adtributa semper identicus, licet infinitis modis variandus, qui e centro primae irritationis radiatim diffunditur (unde forma phlogoseos in spatio consideratae semper circularis et sphaeroides), determinatum excurrit temporis intervallum, calorem animalem auget, secretiones pro diverso gradu vel promovet, vel minuit, ac simul qualitative pervertit, nisum formativum intendit, lympham plasticam redundantem in vasorum interstitia effundit, et parenchyma organi spongiae instar inflat, e rivulis sanguinis effusi areolas perreptantibus nova vasa generat (angiogenesis morbosa), atque specificas organi adfecti metamorphoses machinatur.

825. Liquet inde processum inflammatorium valde compositum esse, cujus essentia sive causa proxima sequenti ratione exprimi poterit: vasorum capillarium irritabilitas ad arteriosum culmen evecta, ac sublata tali pacto inter incitationem et vegetationem indifferentia, quam nisus plasticus exaltatus restituere conatur; seu brevius: vita arteriosa et plastica cujusdam partis citra modum incitata, cum nisu in abnormes productiones.

TERMINATIONES INFLAMMATIONUM.

Huckof, Diss. de inflammationis exitu vario. Regiom. 1797.
Würzer, Diss. de multifariis inflammationum terminationibus. Tubing. 1802.

IN SALUTEM.

826. Unicus, ac summe optabilis, quo inflammatio in sanitatem directe abit, modus, est benigna resolutio; dissipatio utpote nunc prompta, nunc lenta illorum phaenomenorum, et mutationum organico-dynamicarum, quae inflammationis essentiam constituunt, ita sane; ut ni-

hil mali remaneat, functiones partis adfectae ad pristinam integritatem, sine ullo alio morbo pedissequo, restituantur, atque textura organica nullam alterationem patiatur.

827. Quousque simplex fuerit congestio sanguinis, resolutio omni momento contingere potest, irritante causa, et conditione morbosae irritationi favente ablatis.

828. Ubi vero turgor cruentus ad potentiam inflammationis evehitur (§. 755) ita; ut praeter incitationis arteriosae augmentum; plasticus simul alteretur processus; semper definitum pro morbi maturatione, et solutione requiritur tempus, quod quidem variat pro individui, substrati, indolis specificae, causae et circumstantiarum diversitate; attamen vix non in easdem incidit periodos, quas adeo salutares in criticis febribus invenimus. — Notus inde concipitur inflammationum die quinta, septima, nona, undecima, vel decima quarta in resolutionem nisus.

829. Conditiones, quae ad beneficum huncce requiruntur exitum, sunt eaedem, quas aliorum morborum sanationi favere videmus, aliis jam locis expositas. — Illis rite perpensis futura resolutio praenosci, et saltem cum aliquo probabilitatis gradu praesagiri potest.

830. Quemadmodum solutio febris a critico molimine omnium virium vitalium pendet; ita crisis topica, inflammationum benignam efficiens resolutionem, derivanda est ab incitatione vasorum capillarium ad eum gradum adaucta; ut processus morbosus enervari, atque pristina functionum integritas restitui possit, quin recentis ac morbosae materiae productio intercedat.

831. Ejusmodi resolutio mox nullis prorsus se manifestat signis; nisi excipiamus illa, quae symptomatum declinationem, ac synchronam functionis laesae restitutionem indicant (lysis perfecta, et simplex); mox vero levantibus distinguitur evacuationibus, quae, cum definitis incidere soleant diebus, ac interdum solis naturae medicatricis viribus perficiantur, merito criticae dicuntur (crisis evacuatoria).

832. Prouti morbidus fomes vel ex ipso organo inflammato, in quo subactus et maturatus erat, eliminatur; vel vero per dissita colatoria educitur; crises evacuatoriae

nunc idiostaticae, nunc apostaticae vocantur. Exemplum criseos idiostaticae praesentat blennorrhoea post inflammationem membranae mucosae; urorrhoea post nephritidem. Apostaticam crisin sistunt qualescunque excretiones, dum inflammatio in alio residet organo, quam quod excernendam largitur materiem.

833. Ut tamen crisis idiostatica simul legitima et perfecta dici possit; sequentes requiruntur conditiones: 1) Levamen luculentum, non alii circumstantiae, quam conatui virium vitalium, et subsequae evacuationi adtribuendum. 2) Evacuatio per solitas, ac a natura pro excretionibus destinatas vias succedens: per superficiem cutis, membranarum mucosarum; per vias urinarias. 3) Materies educta sit humor excrementitius normalis, aut ab illo parum nonnisi discrepans, ita; ut essentialis non deleatur character; ergo sudor, urina, mucus, bilis.

834. In casu contrario separatus per organon inflammatum fomes peccans, nunc forma ab excrementitiis humoribus aliena (serum, lympha plastica), nunc plane indolis specificae (pus, ichor), et prae aliis insolita quadam via aut e corpore, aut e parte inflammata eductus, crisin, cum licentia, erroneam dictam praesentat.

835. Quatenus et haec topicae inflammationis symptomata instantanee levat, suffragantibus naturae viribus, illisque non raro solis, criseos nomine omnino digna est. — Erronea vero merito nuncupatur, quum aut qualitas materiae separatae et eductae (quae humoribus circulantibus perfectius adsimilari nequivit), aut locus, per quem egreditur, a norma aberret.

836. Relate ad topicam inflammationem perfecta quidem esse poterit; hanc enim non raro radicitus solvit. — Relate ad reliquum organismum vero semper imperfecta manet; nam inflammationis resolutionem cum damno sanitatis universalis, aut alius cujusdam organi adducit. Secundarium itaque creando malum, vix non aptius successionum seriei adnumeratur.

837. Crises erroneae duplici intuitu peccare solent: 1) vel peccant qualitate materiae e corpore per viam naturalem eductae, e. g. exsudatio lymphae plasticae, in

pseudomembranas cito concrescentis, per superficiem mucosam tracheae, vel bronchiorum; 2) vel simul loco peccant, quo materies aut morbifica, aut morbose producta ex inflammata educitur parte; e. g. transudatio seri vel lymphae per superficiem pulmonum internam.

838. Resolutionem perfectam indicant: absentia constans doloris, ruboris, caloris, tumoris, febris, atque functionum partis adfectae restituta harmonia. Utrum vero pars quondam inflammata pristinam integritatem (stricto in sensu) plene recuperare possit, omnino dubitandum; quae enim jam in solidam et organicam, vasis novis instructam massam concrevit, lympha plastica, perfectam resolutionem certo non admittit. Haecce organici textus permutatio proximam praebet rationem recidivae, in quam veras phlogoses aeque ac simplices congestiones, residuae vasorum dilatationis, vel saltem atoniae gratia, admodum propensas esse abunde constat.

839. Praeter directum inflammationis in resolutionem et sanitatem transitum, habetur et indirectus per crises metastaticas, vel mediantibus variis posthumis, successu temporis feliciter devictis.

IN ALIOS MORBOS.

840. Inflammatio, quae benignam respuit resolutionem, seu, quod idem est, processus phlogisticus ejus indolis et gradus, qui non permittit; ut conflictus inter incitationem et vegetationem organi statum normalem restituat, tum ob unius nimiam energiam, tum ob alterius languorem improportionatum, aut qualitatem perversam, in varias nititur successiones, quae tot recentes processus morbosos, cum inflammatorio non homologos, sistunt.

841. Quapropter e caterva successionum stricto in sensu excludi omnino deberent inflammationum metaschematismi sive metachoreses; etenim nil aliud, nisi mutatam morbi, non mutati, sedem et formam, homonymum proinde in alio loco processum phlogisticum sistunt, indole morbi non alterata. — Spectant potius ad nosographiam.

842. Prouti successiones, vel incitationis, vel reproductionis processum abnormem offerunt, — ita tamen; ut semper ab inflammatione, ceu fonte causali immediate pendeant, bifariam dividi poterunt: in dynamicas nempe, et organicas.

843. Successiones dynamicae sistunt vitia incitationis laesae, quae dissipata phlogosi remanent, quin processus reproductivus partis adfectae notabiliter a norma deflectat. — Successiones organicae vero diversas vegetationis, a normali tramite aberrantis, laesiones constituunt. — Sequenti schemate facile comprehenduntur:



NB. Quae a dextra copulis juncta cernuntur vitia organica, aliquam inter se analogiam habent; dualistica tamen processus reproductivi discrepantia distinguuntur.

a) POSTHUMA DYNAMICA.

844. Inflammatio, quae sub decursu sensibilitatem notabiliter exaltavit, vel organa systematis sensitivi seu nervosi prehendit, atque conditionibus pro restituenda salute perfecta necessariis destituitur, in haecce posthuma transire solet.

845. Quandoque erethismus nervosus exaltatus (Hyperaesthesia) ultra inflammationis durationem persistit; unde non solum convalescentia redditur imperfecta, sed etiam peculiaris relinquitur in stimulos etiam leviores receptivitas, ac eminens in recidivam pronitas.

846. Hicce casus obtinet, si substratum inflammationis ex sua indole sensibilitate majori pollet, e. g. nervorum velamenta, cutis superficies, stomachus, organa sensifera; vel si morbosa quaedam diathesis: hysterica, spasmodica, similem conditionem systematis nervosi fovet. Variae species erethismi, uti photophobia, oxycoia, delirium, determinantur substrati, ejusque functionis diversitate.

847. Quo major fuerit erethismi gradus, exaltata simul irritabilitate vasorum junctus; eo minus perfecta phaenomenorum inflammationis resolutio obtineri potest. — Remanet tunc, praeter sensilitatem nervosam, levis tumor aut turgor, vario doloris sensu, calore, rubore, functionis quadam laesione, ac interdum febricula symptomatica junctus; qualem statum nunc congestionem activam chronicam, nunc inflammationem chronicam adpellamus, si abnormis simul sociatur reproductionis organicae conditio.

848. Quatenus autem inflammatio, febris criticae adinstar, semper certam quandam excurrere solet periodum, qua durante incipit, crescit, consistit, frangitur, et decrescit (§. 732); eatenus etiam inflammatio chronica aliter concipi nequit, nisi tamquam series continua, seu catena non interrupta phlogoseos rebellis, eumque in modum recrudescentis, ut phlogosi prima, ejusque successione nondum finita, jam alia subintret.

849. Huic exitui favent: certa organorum structura, cellulosa vel glandulosa, diathesis morbosa resolutioni adversa, e. g. scrofulosa, catarrhalis, syphilitica; vitia organica visceris inflammati; causa procatarctica agere continuans; heterogenea in corpore latentia: calculi, vermes; methodus medendi prava.

850. Contrarium incitationis laesae vitium sistit dysaesthesia, quam, relate ad languentem sensum, tor-

porem, relate ad motus energiam infractam, paralysin nominamus.

851. Utriusque generis languor inflammationem excipere solet, si vires arteriosae, vel et nervosae nimis exorbitantes dedolantur, aut per phlogoseos ferociam diutius suppressae exhauriuntur. — Nunc per se solus remanet, praesertim si organon adfectum partem systematis nervosi, aut muscularis constituit, atque pro varietate substrati plurimum variat, ita ophthalmitis amblyopiam, otitis surditatem, myïtis paresin, enkephalitis amentiam, parit. — Nunc vero passivas congestiones, et chronicas stases sustinere juvat; sanguis enim, aliive humores vasis inertibus, ac elatere orbis lentius moventur, hinc inde stagnant, aut plane proprios alveos relinquunt physicis potius legibus obediendo: uti resistentiae minori, impulsui a tergo.

852. Hae congestiones passivae mox sunt sanguinolentae, mox serosae. — Utriusque generis origo tanto magis promovetur; quanto plus de propria vitalitate, et crasi normali amisit sanguis, ex causa languoris universalis, vel topici.

b) POSTHUMA ORGANICA.

853. Etiamsi inflammatio pro varia sua indole specifica, ipsiusque substrati textura, vix non omnia vegetationis a norma deflectentis vitia inducere possit; sequentia tamen potiora esse solent: 1) Parectama. 2) Scleroma. 3) Exallaxis. 4) Hypoclepsis. 5) Symphysis. 6) Suppuratio. 7) Exulceratio. 8) Atrophia. 9) Gangraena et Sphakelus. — Interdum plures horum exituum species eodem tempore obtinent.

a) PARECTAMA.

854. Parectama, sive hyperepidosis illud sistit organicae reproductionis quantitative incitatae vitium, quod volumen organi cujusdam, una cum massa, morbose auctum refert, quin tamen consistentia, partiumque similarium proportio alterata sit.

855. Successionis hujus non infrequentis origo in vasorum oppletione, uberiori humorum affluxu, principii nutritivi abundantia, expansionis praedominio, nisu formativo vividiori, uno verbo in evolutione organica perfectiori fundatur.

856. Parectamata gradus levioris, ac lente oborta interdum absque ullo salutis detrimento persistere videmus, praesertim in organis ignobilioribus. — Si vero ad majorem gradum crescere continuant, expansio organica excessiva contractionis renitentiam adeo infringit, ut laxitas compagis, congestiones passivae, effusiones, aliaeque functionum laesiones secundariae facile succedant.

857. Conditiones, sub quibus inflammatio in parectama nititur, sunt: 1) Organi adfecti compages e sua natura laxior, textura parenchymatosa aut glandulosa, vividior ejusdem etiam in statu salutis reproductio, ac in turgorem proclivitas. Hujus generis sunt pulmones, hepar, lien, glandulae conglomeratae, membranae mucosae. 2) Diatheses quaedam morbosae, uti illa febrium intermittentium, scrofulosa, polypiotica (in obesitatem nitens). 3) Decursus phlogoseos magis lentus. 4) Abusus venaesectionum, et depletionum localium.

858. Polypi specificum sistunt membranarum mucosarum parectama, quarum chronica et recidiva inflammatione haud infrequenter producuntur, maxime in cavo narium.

β) SCLEROMA.

Wenzel über die Induration und das Geschwür in indurirten Theilen. Mainz. 1815.

859. Induratio, Scleroma (a σκληρόω, induro), Germ. Verhärtung, consistentiam partis prius inflammatae justo duriorem indicat, nullo prorsus voluminis aucti, vel imminuti respectu habito.

860. Originem suam repetit a coagulo humorum secretorum, nunc in vasis capillaribus stagnantium, nunc in telam cellulosam effusorum, atque ex totali compagis et structurae alteratione, cujus proximam causam sistit repro-

ductionis munus eum in modum alteratum, ut qualitate lymphae nimis plastica potius, quam ejusdem abundantia peccet. — Haec lympha albumine dives una cum fibrosa sanguinis parte, sive vasculis capillaribus impacta, sive in eorum interstitia effusa, coit, crystallisatur, cum solidis contiguis unitur, saepe ad potentiam materiae organicae pedetentim elevatur, vasis ac nervis instruitur, atque una cum adtiguis partibus in massam solidam, a normalis structurae et formae typo plus minusve alienam, duram, non raro deformem coalescit, quae mox ne hilum excedit volumen naturale, mox vero majus, interdum plane minus acquirit a contractionis praedominio.

861. Ejusmodi deuteropathica organi inflammati metamorphosis varios offere solet gradus, pro quorum diversitate functionum exercitium plus minusve praepeditur, aut plane exstinguitur. In levissimo gradu infarctus (Anschoppung, Auflockerung) dicitur, exiguam duritiem cum aliquali voluminis augmento uniens; in altiori obstructio, induratio per eminentiam, callositas, callus, struma, vel hepatisatio, si molle, ac spongiosum ex sua natura organon jecinoris substantiae simile redditur. — Ad maximum demum duritiei fere lapideae, ac irresolubilis gradum elata, sub auspiciis specificae diatheseos decurrens ac indies crescens induratio skirrhus vocari consuevit, in quo materia plastica extra vasorum alveos egrediens vere organica evadit, texturam valde stipatam et fibrosam efformat, ac peculiarem in phlogosin, et liquationem sui generis (canceraticam) nisum fovet.

862. Exitus inflammationis in scleroma cognoscitur ex duritie morbosa, id est, relate ad normalem organi consistentiam majori, cum tumore partis; vel si sensibus externis non pateret organon internum, e circumstantiis ejus origini faventibus, e superstite functionis laesione, phlogosi jam dissipata, atque ex defectu signorum, quae aliud indicare possent posthumum.

863. Conditiones, quae phlogoseos in scleroma transitui favent, sunt: altus inflammationis gradus; subjecti constitutio robusta; organorum quorumdam specifi-

ca textura, qualis est glandularum omnium, in specie tonsillarum, mammarum, prostatae, testiculorum, uteri, folliculorum cutaneorum; inflammationis specialior indoles, e. g. phlegmonosa, aut erysipelacea, ac ejusdem crebrior in eodem loco recidiva; lymphatici et fibrosi principii in sanguine notabilis abundantia; therapia prava, prae caeteris abusus remediorum adstringentium, et frigoris topice adhibiti.

γ) EXALLAXIS.

Beers Diss. de texturae organorum per inflammationem mutatione. Bonnae. 1826.

864. Exallaxis, seu Diaphthora (a διαφθείρω corrumpo), Germ. Entartung, sistit degenerationem organi cujusdam in massam a typo normali adeo distantem et heterogeneam, ut individualis ejus natura prorsus deleatur.

865. Etiamsi similes reproductionis qualitative vitiatae effectus cunctas, sine differentia, inflammationes excipere non soleant, quarumdam tamen specierum, faventibus praesertim circumstantiis, constans posthumum praebent. Huc prae aliis spectant: tumores kystici, pseudoplasmata, ossificationes, malakia, et caries partium mollium.

866. Tumorum kysticorum substantia varias offere solet qualitates, nunc adipi, nunc sebo, nunc caseo, aut melli inspissato analoga, unde variae denominationes, atheromatis, lipomatis; steatomatis, melikeridis desumuntur.

867. Ad eorum genesin variae reproductionis ac nisus formativi abnormitates concurrere videntur, tum specificae, uti e. g. diathesis scrofulosa, tum prorsus ignotae, tum et illae, quae hypoclepsin et pyogeniam regunt. Plura saltem argumenta habentur, quae organorum steatosin nil aliud, quam specificam suppurationis modificationem, suppurationem spuriam, pseudopyosin (After-Eiterung) esse indicant, suffragante simul organi textura. Glandulae conglobatae, lymphaticae, mesentericae, ovaria, hepar, et renes, in has exallaxes per eminen-

tiam nituntur, dum chronicis ac saepius recurrentibus exagitantur inflammationibus.

Val. ab Hildenbrand, Ratio medendi Tom. II. p. 145.

868. Nomine pseudoplasmatis (Germ. Verbildung, Aftergebilde) intelligimus diversas metamorphoses pathologicas, quas textura organica unius pluriumve partium patitur, primitivam prorsus exuendo naturam, deficiente vero kystitide, unde a tumoribus saccatis discrepant. Sub ejusmodi plastikes vitio qualitativo plerumque etiam volumen organi augetur, tumorque variae magnitudinis ac formae excrescit. Huc referri possunt: tubercula, enkephaloides et melanoses, fungus medullaris et sanguineus, cancer mollis, etc. quae omnia vitia productionis organicae, non quidem semper, multis tamen in casibus ceu productum phlogoseos lentae, anomalae, et sub funestis auspiciis dyscrasiae cujusdam decurrentis considerari possunt.

Ritgen über Afterbildungen. In Graefe u. Walther's Journal der Chirurgie. 11. B. 1828.

869. Ossificationes, non infrequens inflammationis, praesertim lentae, posthumum, illud supponunt reproductionis a norma deflectentis vitium, quo justo major principii terrestris (phosphatis calcis) copia e sanguine separatur, aut ad insolita deponitur loca. — Sponte autem liquet, osteogenesin nonnisi relate ad organa solido-mollia morbosam sistere metamorphosin; in organis enim, quibus reproductio materiae terrestris ex sua indole competit, uti sunt ossa, potius redivivae vegetationis productum offert, quod ad solutas partes uniendas absolute requitur (callus).

870. Organa, quorum inflammatio in similem degenerationem κατ' ἐξοχήν nituntur, sunt membranae serosae et fibrosae, pleura, meninges, lienis involucrum, capsulae articulationum, interna cordis et vasorum membrana, favente praesertim senectute, aut diathesi podagrica, et rheumatica.

Gerard in Essai sur les phlogoses sarcopée et osteocopée, ou l'inflammation considerée dans ses deux seules terminaisons, la sarcose et l'osteose. Paris. 1823.

Rayer von den krankhaften Verknöcherungen als Ausgang der Entzündung. (In Archives générales de Médecine. Paris 1823. Mars.)

871. Vitium priori contrarium praebet malakia, seu emollitio morbosa, quae maxime in ossibus et cartilaginibus conspicua evadit; verum tamen quandoque etiam in textu molli cerebri, cordis, ventriculi, et s. p. occurrit. Rariori huicce inflammationum quarumdam specificarum, et lentarum exitui obsecundant cachexia rachitica, scrofulosa, syphilitica, atque aetas infantilis.

Hesse über die Erweichung der Gewebe und Organe des menschlichen Körpers. Leipz. 1827.

872. Peculiarem tandem degenerationem ceu inflammationis effectum, patefaciunt quaedam organa mollia et spongiosa, praesertim pulmones, dum elasticitatem et tenacitatem normalem amittunt, ac marcida, quasi friabilia redduntur; unde quaedam analogia cum ligno carioso, quod vetustas aut teredo exedit. Idcirco hancce exallaxeos speciem, quae haud infrequenter in connubio cum steatosi, vel cum incipiente suppuratione aut gangraena incedit, nomine cariei aut marcoris (Germ. Mürbheit) insignimus. In ossibus ei adprime correspondet fragilitas morbosa.

873. Lithogenesis, seu productio calculorum, quae prae aliis hepatitidem ac nephritidem interdum sequitur, morbosam potius secretionem, quam exallaxeos speciem constituit.

δ) HYPOCLEPSIS.

874. Hypoclepsis (ab ὑπό sub, et κλέπτω, furor), transsudatio morbosa, Germ. Ausschwitzung, vocatur abnormis lymphae, aliusve humoris non excretorii per organi inflammati superficiem secretioni aut exhalationi dicatam separatio, ita tamen contingens, ut ejus textura et integritas non laedatur. — Dico humoris non excretorii, nam uberior cujusdem liquoris pro excretione destinati secessus, muci v. g. vel urinae, criseos evacuatoriae vel profluvii posthumi nomine insignitur. — Plurimum tamen

combinat hypoclepseos origo, cum illa criseos erroneae, cujus funestum effectum haud raro sistit.

875. Specialis indoles successionum a transsudatione pendentium insigniter variat, pro diversa humoris organorum inflammatorum superficiem permanantis qualitate. — Juxta praevalentem materiae organicae secedentis in crystallisationem et coagulum, vel in resolutionem nisum, duae sunt potiores hypoclepseos species: lymphatico-plastica, et serosa.

876. Lympha coagulabilis majori copia transsudans interdum illico in solidam coit formam, atque mox specie amiculi membranacei superficiem organi inflammati obtegit, ac vere investit (pseudomembrana), mox filamentorum forma adhaeret, mox coagula deformia praesentat, quae liquidiori humoris eodem tempore permanantis parti innatant.

877. Pseudomembranae, rectius pseudymenes, Germ. Afterhäute, quae firmiter adhaerent organi adfecti superficiei, non raro ad altiorem organicae dignitatis potentiam elevantur, vasis et nervis instruuntur, ac novum quasi amiculum succenturiatum formant, quod tamen specialem organi, e quo formatur, naturam et texturam nunquam adtingit, sed nonnisi generales organisationis notas offert, illas utpote textus cellularis imperfecti, aut membranae simplicis.

878. Priori analogam hypoclepseos lymphaticae speciem, quae utplurimum in partibus externis, epidermide orbis, aut substantiae defectu junctis occurrit, — praesentat transsudatio lymphae per oxygenis atmosphaerici influxum brevi coagulatae, ac vigentis nisus productivi ope in organicam massam coactae, (pseudorganisatio, Germ. Wuchergebilde) a cujus forma denominationes desumuntur. Hujus ordinis sunt caruncula e, carnes luxuriantes, ecphymata, fungositates, verrucae; quae totidem aberrantis, ac simul immodice excitatae, et ultra consuetos limites actuosae vegetationis effectus constituunt.

879. Eadem tamen hypoclepsis lymphatico-plastica, quatenus moderato reproductionis ac nisus formativi vi-

gore sustinetur, unicum sistit medium, quo deperditae partes restituuntur, atque granulationis et cicatrisationis opus perficitur; unde hicce inflammationis, vulnus quoddam, vel ulcus comitantis exitus, tanquam beneficus medicatricis naturae processus omnino considerari debet.

880. Hypoclepseos lymphaticae, dermatitidi solummodo propria, varietas recentis cuticulae productione distinguitur, cui epidermidis per inflammationis vigorem mortificatae secessus succedit, desquamationis nomine notus.

881. Circumstantiae, quae hypoclepsi lymphaticae, ejusque effectibus favent, sunt: vitae vegetativae altior gradus, qualem in quibusdam hominibus, infantibus et athletis majorem, eminentem vero in certis animalibus, v. g. in amphibiis cernimus; specifica inflammationis indoles, qualem e. g. phlegmone offert, ejusque vehementia major; abusus relaxantium et emollientium; influxus caloris protractus; propria substrati natura, membranis serosis praecipue communis, quum etiam in statu normali pro transsudatione, etsi vaporosa tantum, sint destinatae.

882. Posito adfluxu et copia sanguinis, aliorumque ab eo secretorum humorum tali, ut vasis venosis et absorbentibus reduci et assimilari nequeant; atque posita simul eorumdem minori in coagulum pronitate, abnormis per superficiem organi inflammati mediantibus vasis capillaribus separatio, quin tamen ii, qui mox adlatam hypoclepsin plastico-lymphaticam distinguunt, effectus suboriantur; hypoclepsis serosa.

883. Liquidum utpote transsudans et non absorptum, ob plasticae materiae minorem copiam minusque perfectam oxydationem non coit, sed primitivam retinet formam liquidam, atque vel cellulas, vel cava corporis implet; quem exitum inflammationis hydropem nuncupamus, et quidem activum, quatenus originem exaltatae vasorum capillarium, seroso latice scatentium, energiae debet. Quousque qualitas secretionis non vitiatur, etiam simplex congestionis seu irritationis status huicce posthumo generando sufficit.

884. Pro diversitate liquidi serosi, nunc meraci, nunc

alienis principiis commixti, hydropis forma variat; unde mox simplex, sive serosus, mox cruentus, mox lymphaticus aut puriformis dicitur.

885. Conditiones, sub quibus inflammatio in hypoclepsin serosam nititur, sunt: vehemens, ac praeceps phlogoseos decursus; organi structura talis, quae in salutis quoque statu serosos humores forma vaporosa, vel liquida separare consuevit, qualis textui cellulari, membranis serosis, pleurae, peritonaeo, pericardio, atque visceribus serosa superficie obductis competit; abusus methodi antiphlogisticae, maxime venaesectionis, purgantium, et nitri; dispositio prava, praecipue haematopoëseos languor; diathesis febrium intermittentium; crisis idiostatica impedita, cujus vices erronea excretio agere conatur; specifica inflammationis indoles, scarlatinosa, rheumatica; repentina diatheseos phlogisticae in hydropicam mutatio; cui non raro genius epidemicus, humiditas atmospdaerae, inhalationis munus vividius favet; vitia organica, quibus absorbentia vasa, secretioni serosae abundantiori aequiparem energiam opponere impediuntur, uti concretiones, indurationes, pseudomembranae.

886. Conditiones denium speciales, quae nunc hypoclepsin seroso-cruentam, nunc seroso-puriformem adducunt, multiplices esse possunt, suo loco indicandae.

887. Eadem ratione, qua inflammationes membranarum serosarum, et textus cellularis hydropem cavorum vel oedema gignunt; ita phlogoses superficiei externae: corii utpote, ac membranarum mucosarum, haud raro in effusiones subcutaneas transeunt. — Serum videlicet, uberius quam par est, secretum et non absorptum epidermidem vel epithelium pluribus in locis elevat, atque eam producit hydropis superficialis speciem, quam in dermate phlyctaenas, vesiculas, vel bullas, in membranis mucosis aphthas nominare solemus.

888. Hicce dermatitidi ac blennymenitidi proprius exitus mox topicum sistit vitium, uti post erysipelas; mox universale, uti post scarlatinam. Non raro specificae quarumdam causarum actioni originem suam debet, quas

inter ambustio, et Cantharidum stimulus principem locum tenent.

889. Effusum sub epidermide serum nunc limpidum, nunc sanguine tinctum, nunc albidum et puriforme quandoque resorbetur. Quantitate vero ita crescens, ut in circulum reduci nequeat, cuticulam disrumpit relicto corio nudo. Hicce dermatis, vel mucosi indumenti inflammati, ac epidermide privati status Latinis Excoriatio, Graecis Darsis vocatur, qui sub adversis circumstantiis vel ulteriorem hypoclepsin sustinet, vel suppurationem invitat, variisque crustarum formis generandis favet.

ε) SYMPHYSIS.

Heller. Diss. de concretionibus organorum morbosis. Hal. 1795.

890. Concretio, Symphysis (a συνφύω, concresco), Germ. Verwachsung, est morbosa partium organicarum unio, coagulabilis lymphae transsudatione, ejusque in nectentem membranam coalitu producta.

891. Principes conditiones, quae requiruntur, ut inflammatio huncce petere possit exitum, sunt: 1) Eminens lymphae plasticae in coagulum pronitas, atque nisus formativi energia. 2) Immediatus organi inflammati cum vicino contactus. 3) Absentia interstrati anorganici, e. g. epidermidis, humoris excrementitii. 4) Utriusque superficiei invicem concrescentis phlogisticus status.

892. Inter organa, quae dum inflammantur, singularem in concretionem nisum ostendunt, primum locum tenent membranae serosae, cum organis contiguis tanto libentius coalescentes, quod etiam horum involucra ejusdem naturae sint, et quod immediatus locum habeat contactus. — Ipsa filamenta, et pseudomembranae morbosam efficientes unionem, quoad structuram choro membranarum serosarum accenseri debent.

893. Superficies mucosae, etsi notabiliter, inflammatae essent, sibique invicem continuo admotae, tamen non concrescunt, nisi epithelio priventur, concurrentibus simul supra memoratis conditionibus (§. 891); epithelium enim aeque ac mucus, organicam naturam assumere nequeuntia,

organicae unioni obstant. Exemplum concretionis superficierum mucosarum praebet synblepharon, et coalitio parietum canalis lacrymalis.

894. Hocce nisu inflammationis in concretionem non raro utimur ceu medio ad unionem partium separatarum perficiendam, cujus ope modo pristinam solutae unitatis integritatem restituere (in vulneribus), modo morbosae collectionis in quodam cavo recidivam avertere conamur (in hydrokele). Inflammationem hoc scopo frequenter ex industria excitatam — ad haesivam vocamus.

Haartmann Diss. de inflammatione conglutinante. Aboae 1791.

895. Celebris quondam Chirurgia curtorum olim a Taliacotio fusius exposita, ac ab expertissimo Graefe oblivioni erepta, rhinoplastica, nonnisi huicce beneficio, dum medentis adminiculo apte dirigitur, inflammationum nisui suam utilitatem debet.

896. Quatenus ergo superficies concrescunt, quas normalis organisationis status separatas habere vult, concretio sistit morbum multiplici functionum laesione comitatum; quatenus vero partes morbose disjunctas invicem jungit, salutarem omnino processum constituit.

897. Symphyseos genesis cum illa hypoclepseos lymphaticae identica dici potest, plerumque hujus effectum praebet, atque iisdem invitatur circumstantiis; inflammationis videlicet genuinae gradu altiori, decursu rapido, vegeta productione, substrati natura, influxu oxygenii.

2) SUPPURATIO.

Nicolai Theoret. und praktische Abhandlung über die Entzündung und Eiterung, etc. Jena 1786.

Laurent Essai sur la suppuration. Paris 1803.

898. Suppuratio, Pyosis, Pyogenia, Germ. Eiterung, dicitur illud inflammationi unice proprium consectarium, quod genesi humoris specifici, puris nomine noti, se distinguit.

899. Est autem pus humor blandus, adinstar cremoris lactei crassiusculus, coloris albo-flavescentis aut virides-centis, opacus, odoris proprii, non ingrati, dum refrigeratur inodorus, saporis dulcis, aqua specifice gravior,

quacum mechanice commixtus lacti simile format liquidum, quiete iterum separandus, ac ad fundum praecipitandus.

900. Pro diversitate organi, e quo formatur, maturationis, quam adtingit, causae inflammationem producentis, circumstantiarum lateralium, specifici phlogoseos ingenii, etiam materia purulenta varias offert miscelae, et elementorum constituentium proportiones, varias proinde consistentiae et coloris modificationes.

901. Duplex in praxi distinguitur processus suppuratorius; unus cum abscessu, alter sine abscessu; prior clausus, alter apertus.

902. Suppuratione clausa intelligitur adcumulatio puris in cellulis, ac vasorum interstitiis alicujus organi inflammati, unde proprium formatur cavum, parietibus vicinis a se invicem abscedentibus, sub forma sacci purulenti, in tumorem elevati, quem in partibus externis abscessum seu apostema, in internis vomicam seu pyokystidem (Germ. Eitersack) nuncupamus.

Poncet Diss. sur les abscès en général. Paris 1803.

Dupuy sur les abscès ou les tumeurs purulentes en général. Paris 1805.

903. Tempus, quo primum efformatur suppurationis germen, varium esse potest; incidit tamen plerumque in illos dies, quibus natura solemnius ad inflammationem resolvendam conamen exerere solet, die utpote tertio, quinto, septimo, rarius decimo quarto, aut ultra.

904. Phaenomena, e quibus cognitio pyogeniae et abscessus oriundi desumitur, sunt: augmentum tumoris, ruboris, doloris, omnium itaque inflammationis symptomatum, cui sensus pulsationis internae, caloris topici altior gradus, atque recens invasio febrilis cum horrore, plerumque vehementi sequitur; quae febris, a puris genesi dependens, suppuratoria nominatur.

905. Increscente puris copia phlogoseos pedetentim minuitur gradus, tumor antea durus evadit mollior, in centro tantillum elevatur (apex mucronatus dictus), omnem ibi duritiem amittit, pallescit aut flavescit, ac prementi digito plus minusve manifestam fluctuationem offert. — Mollities fluctuans, una cum ruboris et doloris decre-

mento, ab apice mucronato, ceu inflammationis et suppurationis centro, versus peripheriam et basin protenditur, superstite solum aliquo pulsationis, caloris et ponderis sensu.

906. Sponte liquet, internorum et absconditorum organorum suppurationes ex adlatis signis externis dignosci non posse. — Ad alia igitur refugere oportet signa diagnostica, quae inter spectant: remissio symptomatum inflammationem constituentium, quin criseos factae indicia adpareant; continuans tamen in parte inflammata functionum laesio; dolor imminutus, ast subortus illius loco sensus ponderis, oppressionis, obscurae pulsationis, caloris aut frigoris; oedematosa cutis vicinae inflatio; febris recrudescens, horrore valido orsa, urente aestu juncta, vespertinis horis constanter exacerbata, cum ingrato in vola manus et planta pedum calore, genarum circumscripto rubore, sudoribus nocturnis largis et non levantibus; urinae profunde tinctae cum sedimento; carnium colliquescentia; pustulae, aut furunculi in cutis superficie.

907. Plura tamen ex hisce signis satis firmam suppurationis diagnosin non constituunt, unde toties occulta, viscus depascens, vomica praetervidetur.

908. Rupto eum in modum abscessu interno, ut pus extrorsum eliminetur, sive per tussim, sive per vomitum, sive alvi secessum, clara omnino redditur diagnosis, essentialibus purulentae materiae characteribus inventis. Si vero pus in quoddam cavum corporis eructatur (empyema, empyesis), supra recensitis phaenomenis simul et illa accedunt, quae humorum extravasata in genere comitari solent, pro loci tamen, organique oppressi diversitate plurimum variantia.

909. Abscessus, sive extrorsum, sive introrsum ruptus, purulentum liquorem eousque manare continuat, donec reproductionis munus ad eam exaltetur potentiam, quae granulationem et consolidationem efficere valet. Est enim ipse processus suppuratorius, aperto continuans abscessu, aptissimum medium, quo benefica sanatio adtingitur. Unde sponte patet essentialis inter suppurationem abscessu clauso, et illam abscessu aperto differentia. — Prior in organi destructionem tendit, texturam annihilando, mas-

sam organicam consumendo, liquando, ac in humorem proprii generis convertendo; rarissimi enim sunt casus puris morbose collecti denuo absorpti, et sacci purulenti adhaesiva phlogosi obliterati. — Posterior e contrario semper conditionem necessariam sistit pro futura consolidatione.

910. Quod de suppuratione aperto abscessu continuante valet, alteram quoque suppurationis speciem distinguit, quam sine abscessu oboriri videmus in partibus vulneratis, aut excoriatis. Haec etsi summe abundans fuerit, nullam partium organicarum destructionem parit. — Dum agere cessant momenta, quae morbosam secretionem puris effecerunt, illud pedetentim minuitur copia, et qualitate adeo mutatur, ut in lymphaticum coëat fomitem, e quo pellicula organica, et nova epidermis formatur.

911. Inflammationis transitui in suppurationem patrocinantur sequentia: phlogoseos altior gradus, illiusque crebrior in eodem organo recidiva; causae traumaticae, quae simul solidi vivi laceratione, contusionem, aut substantiae defectum gignunt; corporis heterogenei praesentia; substrati indoles propria, textura nimirum cellulosa, ac vasorum capillarium rubrorum copia, unde tela cellularis et adiposa, glandulae secernentes et membranae mucosae, tonsillae, mammae, organa parenchymatosa, in quibus sphaera arteriosa prae venosa praevalet, v. g. pulmones, in suppurationem magis prona; (lien contra, et testiculi nullum prorsus in purulentam liquationem nisum ostendunt); porro specificus inflammationis character, qualem phlegmone, furunculus, variola, adenitis syphilitica et scrofulosa offert; diatheses et cacochymiae diversae; metastases; requisitae medelae neglectus.

912. Ubi de aperto agitur processu suppuratorio, plurimum sane interest, ut pus ab aliis analogis distinguatur humoribus, quos non raro per inflammatorum organorum superficies morbose secerni videmus. — Prae aliis autem ejusmodi distinctio necessaria erit in dijudicandis suppurationibus internis, adeo dolose interdum serpentibus, ut ex aliis signis tuto desumi nequeant. Easdem interdum adesse opinamur, ubi nil nisi pathologica secretio puri analoga obtinet.

913. Liquores ejusmodi secreti, qui cum pure manifestam similitudinem habent, materiae puriformis nomine veniunt; et prouti vel mucosae, vel lymphatico-serosae secretionis abnorme productum sistunt, nunc mucus, nunc lympha puriformis audiunt. Haec in omnibus corporis cavitatibus mox sola, mox sero aut lymphae albuminosae innatans observatur, ceu abnorme membranarum serosarum inflammationis, et vitiatae secretionis productum, hydropem seroso-puriformem creans. — Ille, blennymenitidis constans effectus, per varia secedit emunctoria, per nares, oculos, pulmones, urethram, etc. forma blennorrhoeae puriformis.

914. Utriusque humoris puri analogi genesis et secretio cum illibata incedit superficiei secernentis (saltem quoad sensum) textura, atque hocce intuitu a purulento profluvio differt, quod absque unitatis partium inflammatarum solutione, vel saltem absque epithelii praevia separatione succedere nequit. — Quum autem hicce character, dum de absconditis agitur organis, sensuum aciem effugiat, ad alia omnino signa transire oportebit, quibus materies puriformis a pure genuino discerni possit.

915. Ad eruendam purulenti liquoris indolem varii Medici varia proposuerunt media, plerumque chemica, quibus dum tractatur pus, singularia et constantia praesentare dicitur phaenomena. — Ita Hippocrates empyreumaticum puris carbonibus inspersi odorem; Darwin (1) insolubilitatem in aqua; Brugmans (2) transitum in fermentationem prius acidam, ac dein putridam; Grasmeyer (3) mutationem in gelatinae speciem ab alcalino lixivio adfuso; Home (4), Gruithuisen (5), et Kaltenbrunner (6), praesentiam globulorum microscopii ope detegendorum pro pathognomico charactere puris declarare voluerunt.

(1) Darwin (Charl.) Experiments establishing a criterion between mucilaginous and purulent matter. Lond. 1780.

(2) Brugmans Diss. de pyogenia. Groning. 1785.

(3) Grasmeyer Abhandlung von dem Eiter, und von den Mitteln, es von allen ihm ähnlichen Feuchtigkeiten zu unterscheiden. Götting. 1790.

(4) Home (Ev.) A dissertation on the properties of pus. Lond. 1788.

(5) Gruithuisen Naturhistorische Untersuchungen über den Unterschied zwischen Eiter und Schleim durch das Mikroskop. München 1809.

(6) Oper. cit.

916. Nondum tamen licuit, haud contempta summa laudatorum Virorum assiduitate, certum quoddam ac infallibile criterion invenire, quum aliorum diligentia experimenta docuerint, eosdem characteres etiam puriformi interdum competere materiae. — Insuper infidelem semper sistere debebunt indicem, ubi pus multo muco involutum, et cum illo intime commixtum est, vel vero synchrona et purulenti, et puriformis laticis secretio obtinet.

917. Porro sub judice adhuc lis est, num revera inter pus et materiam puriformem essentialis illa locum habeat (saltem respectu principiorum constituentium) differentia, quam nonnulli chemicis reagentibus invenire adnituntur, celeberrimus Reil vero, fors non immerito, in dubium vocavit.

918. Nostra saltem opinione omnes humores, processus inflammatorii ope secreti, eorumque infinitae modificationes, nil nisi varietates laticis serosi et lymphaticoplastici sanguine extricati esse videntur, quarum differentia in varia albuminis et fibrinae copia et qualitate, oxydationis gradu, ac elementorum remotiorum miscela fundatur.

919. Hancce opinionem confirmare juvant: seri, lymphae, et puriformis materiae simultanea secretio; transitus secretionis ichorosae in purulentam, purulentae in puriformem, puriformis in lymphaticam, etc. atque chemica analysis, quae ubique albuminis saltem aliquam portiunculam detegit. Quanta sit humoris in suppurationis cavea generati quoad naturam et formam varietas, abscessus, quos practici lymphaticos, frigidos, metastaticos, lacteos appellant, abunde testificantur.

920. Plurimum tamen ad hasce diversas secretionis vitiatae abnormitates contribuit organi textura, ejus nunc illibata, nunc soluta unitas, atque specificus reviviscentis productionis character, qui modo in coagulum, modo in liquationem

nititur; unde est, quod quaedam secreta organicum typum adsumere possint, uti lympha plastica; alia crystallisationem animalem nonnisi adjuvent, uti pus; alia organico-solidam formam induere nunquam valeant, uti materia puriformis; denuo alia nisum plasticum plane destruant, uti sanies. — Etsi difficulter justa quaedam scala diversorum inflammationis productorum formari possit, indubitatum saltem est, principem inter illa locum tenere lympham plasticam, ultimum vero tabum ichorosum.

921. His perspectis vix non securior puris cognitio desumetur: ex proprio hujus humoris habitu (§. 899), practico exercitio facilius, quam verbali descriptione addiscendo; ex phaenomenis morbosis processum suppuratorium constanter comitantibus (§. 904 etc.); ex circumstantiis eidem exitui faventibus (§. 911); atque ex consideratione conditionum, quae ad ejus genesin absolute requiruntur.

922. Cum prima tria momenta jamjam exposuerimus, nonnisi conditiones discutiendae veniunt, quibus praesentibus suppuratio nascitur, et quibus absentibus processus purulenti possibilitas excluditur. — Has inter numerari merentur sequentia: 1) Inflammatio praegressa, ejusque altior gradus, aut specifica indoles. Sine inflammatione non datur suppuratio. — 2) Propria substrati natura, quae in vasorum capillarium rubrorum ubertate consistit. Quo major horum in quodam organo fuerit copia, eo major ejus in suppurationem cernitur pronitas. Unde membranae serosae et fibrosae, cartilagines, pulpa nervorum, etc. in suppurationem rarissime vergunt, et nonnisi tunc, ubi diuturnioris vel gravioris processus phlogistici ope vasa capillaria serosa in rubra; exhalantia in secernentia transformantur. — 3) Sanguinis arteriosi praesentia, quae conditio e priori fluit. Organa universim, in quibus vita arteriosa magis viget, majorem quoque in suppurationem nisum praebent, v. g. pulmones, glandulae; minorem e contrario organa venosa, hepar, lien, membrana choroidea oculi. Verum non desunt exceptiones. — 4) Sanguinis qualitas justo magis oxydata et plastica; sub contraria enim cruoris conditione, scorbutica, nunquam pyosis genuina, sed solum ichorosa colliquatio locum habere pot-

est. — 5) Aequabilis ac moderatus caloris gradus, quem saltem aptissimum pro suppuratione promovenda auxilium esse, experientia compertum habemus. — 6) Specifica productionis organicae qualitas, solo phlogistico processu inducenda; quo igitur metamorphosis vasorum capillarium hyalinorum in haematophora, eorum dilatatio abnormis, atque sanguinis arteriosi in illis praesentia conspirant.

923. Ad concipiendam puris nosogeniam diversae a medicis excogitatae fuere opiniones, quarum tamen nulla hucusque sufficiens existimatur. — Nonnulli purulentum liquorem pro principio sanguinis gelatinoso corrupto; quod intra alveos circulationis generatur (1); alii pro fomite quodam vitiato, extra vasa adcumulato et stagnante; pro adipe dissoluto denuo alii (2) habuerunt. Neque veritati magis congrua nobis videtur sententia a Quesnayo (3), Haenio, et Platnero prolata, pus nimirum in sanguine praeexistere, ab illo despumari, ac in suppurantem locum deponi; etenim intra vasorum canales nunquam pus invenitur, atque febres inflammatoriae absque topica adfectione pus non generant.

(1) Brugmans Oper. cit.
(2) Grashuis Diss. de generatione puris. Amstel. 1746.
(3) Quesnay Traité de la suppuration. Paris 1750.

924. Quatenus purulentus latex organismi aegrotantis, et in specie organi inflammati productum abnorme sistit; eatenus etiam ejus genesis clarius patere non poterit, nisi ex adtenta processus producentis et conditionum hunc regentium consideratione.

925. Perpendendo, quod sine sanguinis interventu nec suppuratio obtinere queat, necessario fluit materiam purulentam productum sanguinis esse debere. Et revera in pure duo animadvertere licet principia sanguini propria, lympham utpote plasticam, et corpora quaedam sphaerica, globulis chyli et sanguinis similia. — Lymphae plasticae praesentiam evincit albuminis copia notabilis, quam et color, et consistentia, et nisus in fermentationem putridam cum ammonii evolutione indicat, atque idoneitas puris blandi granulationem organicam expediendi. Etiam

in abscessibus praemature apertis species albuminosi liquidi invenitur. Eupepta alimenta, quae multum albuminis et collae continent, suppurationes malignas emendare solent. — Globulorum vero praesentiam, qui sanguinis globulis magnitudine inferiores, halone pellucido cincti, nec aestu, nec alio influxu oxydationem alterante destruendi, aquae fundum petunt, microscopica Pearsonii, Gruithuisenii et Kaltenbrunneri experimenta evicerunt.

926. Considerando demum alteram, quae pro phlogistico aeque, ac suppuratorio processu absolute requiritur, conditionem, vasorum quippe capillarium rubrorum ubertatem, atque perpendendo principalem eorum finem consistere in secretionis munere, congrua videtur conclusio, pus esse productum sanguinis, vasorum capillarium justo magis activorum ope secretum. Processus itaque suppuratiorius nihil aliud esset, quam secretio abnormis quorumdam sanguinis principiorum, in specie lymphae plasticae et globulorum, in humorem proprii generis conflatorum, quem puris nomine insignimus, effecta per autonomam vasorum capillarium metamorphosin organico-dynamicam (§. 779), ac sublatum inter incitationem nimis exaltatam et reproductionem suppressam aequilibrium restituere nitens.

927. Secretum hocce per capillarium ostiola liquidum in cellulis et parenchymate organi inflammati, vel sub epidermide pedetentim adcumulatur. In tumoris inflammatorii centro formatur cavea parietibus inflammatis cincta, e quorum poris puris stillicidium eousque continuat, donec sublatus indifferentiae status productione ex integro repristinata restituatur.

928. Quousque exitus non conciliatur puri, quod ceu humor morbose secretus, proinde non inquillinus, heterogeneum sistit corpus, etiam phlogisticus aeque ac suppuratorius plerumque continuat processus; ipsum vero pus extra circulationem diutius positum finitimam telam cellulosam dissolvit in membranulas minimas, cum purulento liquore intime commiscendas, vel aliquam ejus portio-

nem quasi emortuam, separat, quam thrombi aut emboli durioris forma in abscessibus nidulari videmus, praesertim in furunculis.

929. Quamprimum autem pus collectum eliminatur, ulterior ejus successivo passu minuitur secretio (dummodo faventes ulteriori processui conditiones cessaverint), ac in parietibus abscessus, e quorum ostiolis antea pus etiam nudo oculo propullulare videbatur, carunculae efflorescunt carnosae; hisque continuo succrescentibus, ac undique sibi contiguis cavea purulenta impletur. Coalescunt demum carunculae, atque cuticula obducuntur a primitivo formationis typo plerumque diversa, cicatricem constituente.

930. Etiamsi pus semper morbosum sistit productum, quod, quousque secernitur, consolidationem impedit (in massam enim organicam coire nequit, ob exstinctam albuminis, quod continet, coagulabilitatem); nihilominus tamen processus suppuratorius tamquam salubre naturae conamen considerari debet, quo pristina adducitur partis inflammatae, resolutionem respuentis, integritas.

931. Si debitis experimentis evictum esset, etiam animalia sanguine frigido processum genuine inflammatorium et suppuratorium subire posse, vel vero eorum organismum pro simili processu pathologico subeundo prorsus incapacem esse, suppurationis theoria multum lucraretur. — Nostram saltem operam in dilucidando hocce gravi objecto, favente occasione, non negligemus.

η) EXULCERATIO.

Bell Abhandl. von den Geschwüren und deren Behandlung. Leipzig 1779.

Rust Helkologie. 2 B. Wien 1811.

Bluff Lehre von Erkenntniss und Behandlung der Geschwüre. Berlin. 1832.

932. Tamquam proprius, ac a suppuratione diversus inflammationis exitus merito consideratur exulceratio, sive colliquatio saniosa, helcosis, Germ. Verschwärung, Verjauchung.

933. Exulcerari dicimus partem, quae inflammatione praegressa, sanie quadam acri, quam ipsa producit,

exeditur, ut destructio potius, quam redintegratio partium deperditarum hujus processus finis esse videatur.

934. Characteres igitur essentiales, qui ulcerationi competunt, ac illam a suppuratione distinguunt, sunt: 1) Productio liquoris specifici, a pure longe diversi, acris, tenuis, aut spissioris et viscidi, decoloris, cinerei, cruenti, nigricantis, foetidi, qui Latinis sanies, seu tabum, Graecis Ichor (ἰχώρ), Germanis Jauche dicitur. — 2) Nisus in destructionem, et colliquationem massae organicae.

935. Liquatio saniosa suppurationis adinstar vel cum abscessu incipere solet, qui mox lente, mox contra praecipiti passu maturescit, superficiem plerumque lividam aut atro-purpuream, mollitiem et fluctuationem magis manifestam offert; vel vero sine abscessu, praeeunte partis inflammatae vulnere aut excoriatione suboritur.

936. Ruptus abscessus contentum liquorem saniosum effundit, ac ulcus (helcos, helcoma, Germ. Geschwür) efformat, cujus facies et ambitus singularem exhibent adspectum. — Deficiunt papillae et carunculae laete rubentes, benignae suppurationis, et subsequae granulationis constans effectus; sordida potius, lardacea, aut livida adparet superficies, quae sanguinem facile fundit; margines sunt inaequales, arrosi, fimbriati, callosi, varicosi, nunc dolentes et tensi, nunc indolentes et torpidi, peripheria ulceris oedematose turget; substantia organi celeri consumitur passu, unde ulceris magnitudo semper crescit, atque haecce consumptio mox superficialis manet, mox interiora versus serpit, sinus et fistulas creans. — Interdum fungosae excrescunt carnes, quae tamen consolidationem potius impediunt, quam ut eam expediant. — Humoris saniosi magna in copia secreti tanta esse solet acredo, ut vicinas vel corrodat, vel saltem inflammet et excoriet partes. — Ratione ad reagentia chemica sanies differt a pure, quod argentum nigro colore, ferrum rubigine obducat. Microscopio subjecta, nulla offert globulorum vestigia.

937. Quae hisce malignis notis per eminentiam gaudent ulcera, vocantur cacoëthica, phagedaenica, chironia, vel telephia (a Telepho, quem mali moris

ulcere adflictum fuisse historia refert), ut distinguantur ab ulceribus benignis, quo nomine nonnullis medicis et chirurgis suppurationem apertam insignire placet. — Analoga exulceratio ossium, quorum inflammationes in genuinam suppurationem vix unquam transire solent, dicitur caries, teredo, evros, spina ventosa, in articulationibus arthrocake.

938. Liquatio ichorosa mox immediatus, mox mediatus inflammationis effectus esse potest indurationi, vel suppurationi superveniens; unde etiam suppurationis malignae vel ichorosae nomine interdum occurrit.

939. Circumstantiae fatali huic exitui faventes sunt: inflammationis, aut benignae suppurationis prava medela, praesertim abusus remediorum topice irritantium, qualia sunt: balsama et unguenta nimis acria, corrosiva; compressio per fascias; introductio turundarum; peregrina corpora abscessum infestantia: glandes plumbeae, fragmenta ferrea, insecta nidulantia, calculi; incitabilitas per methodum nimis debilitantem exhausta; interventus potentiarum, quae reproductionem organicam vitiant, reductionis seu metamorphoseos regredientis potentiam augendo, uti: aër corruptus, nosocomialis, carceralis, inedia, victus pravus, pathemata deprimentia, mundities neglecta; dyscrasiae humorum variae, in specie scorbutica, syphilitica, cancrosa; organi adfecti textura per exantlatas inflammationes, ac relictam indurationem, vel exallaxin alterata; substratum ex sua natura genuinam, dum inflammatur, suppurationem renuens, v. g. cartilagines, ossa.

940. Cunctae hae circumstantiae eo concurrunt, ut organi inflammati irritabilitatem, et plasticum reviviscentis productionis organicae nisum exstinguant, ejusque qualitatem pervertant, unde fit, ut polis inversis regrediens metamorphosis praedominium adquirat, quae liquationem substantiae organicae efficit. — Id aperte indicat massae consumptio, deletus ex integro in sanie secreta nisus in coagulum, atque dissidium elementorum componentium, ex ipso foetore jam arguendum.

941. Negari tamen nequit, exulcerationis et liquationis ichorosae genesin potius ab accidentalibus potentiis phlo-

gisticum processum alterantibus, quam ex primitiva et autonoma inflammationis natura pendere; ipsamque suppurationem genuinam sub adversis circumstantiis in ulcerationem ichorosam mutari.

942. Character specificus, quem ulcus in gratiam causae producentis, vel delitescentis diatheseos cacochymicae contrahit, varietas formae et anomaliarum intercurrentium, ratio geneseos, aliaeque circumstantiae accessoriae diversis ansam dederunt distinctionibus ulcerum in simplicia et complicata; topica et diathesica; fistulosa, callosa, fungosa; atonica, scorbutica, arthritica, herpetica, scrofulosa, canceratica, syphilitica, et s. p.

3. ATROPHIA.

Nürnberger (Resp. Rothe) Diss. de Atrophia partiali, seu de Ariduris. Vit. 1792.

943. Accidit interdum sub decursu inflammationis, omnes conditiones, quae processum plasticum ad altiorem intendebant gradum, pedetentim extingui, atque penitus oppositum rerum statum induci, sub cujus auspiciis funestis pars inflammata collabitur atque marcescit. Haecce partialis extenuatio, mejosis (Verkleinerung) duplicem agnoscit originem. Vel enim textus organi inflammati obdurescit, ac in minus volumen corrugatur (Germ. Einschrumpfen, Ital. Raggrinzamento); — vel vero incitatus per phlogosin processus plasticus in contrarium conjicitur, materies altilis colliquescit, aliave ratione destruitur, atque organon prius turgidum collabitur marcore extenuatum (Atrophia partialis, Melatrophia, Aridura, Germ. Schwinden der Theile, Ital. Avizzimento). — Prior casus in organis parenchymatosis skirrhosam degenerationem subeuntibus; alter in oculo, mamma, ovario, testiculo post lentas inflammationes obvenire visus est.

944. Conditiones, quae atrophiam partialem invitare consuescunt, sunt: ortus phlogoseos ex causa violenta, vel continuata pressio mechanica, influxum nervorum coërcens; specifica actio certorum venenorum nutritioni inimi-

corum, plumbi, arsenici, Jodi; dyscrasia scrofulosa, syphilitica, arthritica; prava constitutio individui vel jam emaciati, vel in marcorem proni; concursus potentiarum deprimentium, moeroris, inediae, veneris abusus.

1) GANGRAENA ET SPHAKELUS.

Kemme, Diss. de notione gangraenae et sphaceli. Hal. 1781.
White, Bemerkungen über den kalten Brand. A. d. Engl. Hannov. 1793.
Himly K. Abhandlung über den Brand der weichen und harten Theile. Gött. 1800.
Neumann, Abhandl. vom Brande. Wien. 1801.

945. Inflammatio ad summum gradum evecta topicam partis inflammatae mortem inducit, quae sphakelus, σφακελὸς, σφακελισμὸς, seu Necrosis (a νεκρὸω, morte afficio,) pathologis dicitur (kalter Brand).

946. Hicce autem transitus ab uno extremo ad alterum vix unquam repentinus observatur; sed intercedit status quidam intermedius, sub quo vitae adhuc superstitis, et mortis subintrantis phaenomena confluunt, gangraenae nomine jam veteribus notus (heisser Brand).

947. Differt itaque gangraena, ceu mors incipiens, a sphakelo, ceu morte perfecta, quod in priori quidam adhuc vitalitatis gradus: sensus utpote, calor, quandoque dolor, ac languidus circulus, proinde etiam possibilitas pristinae vitae denuo recuperandae, vicinaeque mortis avertendae supersit. — Nonnisi aliqua inchoantis dissolutionis et liquationis indicia observantur; rubor enim laetus in lividum aut fuscum convertitur colorem, atque tumor antea durissimus hinc inde mollescit. — Sphakelum e contrario extincta prorsus vitalitas, calor animalis imminutus, ac sensus abolitus distinguit. Tumor inflammatorius collabitur, cinereo, fusco aut atro tingitur colore, amissa omni elasticitate vitali flaccidus evadit, ac pastaceus; dehiscens pluribus in locis cuticula elevatur in vesiculas liquore sanioso, acri, cruento, fusco aut coenoso repletas, quibus ruptis foetidissimum promanat tabum, vicinas corrodens partes (Sphakelus humidus). — Vel vero pars organica vivere cessans in aridam escharam exsiccatur,

mumiae adinstar corrugata, quin tabi gangraenosi secessus contingat (Sphakelus siccus).

948. Hae sphakeli modificationes pendent a subjecti constitutione, ab inflammationis praegressae indole, maxime a substrati structura, ac ab illis circumstantiis, quae unacum sublata efficientia nervosa, simul et humorum adfluxum praepediunt. Inflammationes organorum exsuccorum, e. g. ossium, membranarum simplicium, in subjectis senilibus vel tabidis, sicca necrosi terminantur. Succulenta organa, dum inflammantur, praesertim in infantibus, subjectis scrofulosis aut hydropicis, humido sphakelo destrui solent.

949. Imminentem gangraenam indicant: inflammatio gravissima, et contra exquisitam medelam rebellis; repentina doloris cessatio; adparens, ast dolosa, euphoria, quin ei symptomatum decrementum respondeat; sensus torporis et stuporis in membro adfecto; coloris laeti in purpureum aut lividum mutatio; superficies organi inflammati nitida, aridissima, urens.

950. Evolutam gangraenam et sphakelum in externis partibus patefaciunt characteres superius indicati (§. 947). — Quodsi vero internum quoddam viscus gangraena corripiatur, diagnosis depromitur ex subitanea summi doloris, inquietudinis, ac validissimae febris remissione, cui tamen brevi longe funestiora succedunt symptomata; sitis ardens, oculorum caligatio, faciei pallidus et cadaverosus adspectus, delirium sopori interjectum, debilitas summa, leipothymiae, tendinum subsultus, convulsiones, urinae crassae et foetidae, sudores viscidi ac frigidi, sphincterum resolutio, diarrhoea colliquativa, pulsus inaequales, debiles, parvi, vermiculares (σκωληκίζων), extremorum algor, maculae in superficie cutis lividae, gangraenosae dictae.

951. Tempus, quo gangraena suboriri solet, non facile determinatur. Graves inflammationes vix non omni die exitialem huncce exitum petere possunt, quem tamen illis diebus crebrius nasci videmus, ubi natura magis intento versus morbosum processum insurgere consuescit conatu.

952. Gangraena et sphakelus organi nobilis mortem,

vix unquam avertendam, parit. — In parte ignobiliori emortua massa, escharae nomine nota, vigentis in peripheria inflammationis ope separatur, nisi continuent conditiones, quae ulterius proserpenti favere possint gangraenescentiae. — Hicce separationis, dum in ossibus obtinet, processus nuperis exfoliatio vocatur; os emortuum Hippocrati dicebatur ἀποσφακὸς.

953. Causam proximam sphakeli sistit incitationis ac vegetationis invicem colluctantis exhaustio talis, ut processus vitalis magno naturae universae processui chemico-dynamico cedat. — Materies organica omnem organisationis typum et characterem amittit, atque in statum fluidum, vaporosum, vel aëreum resolvitur, juxta leges fermentationem putridam regentes, principio naturae phlogistico varia sub forma extricato. Hicce processus dicitur liquatio sphakelosa, et a liquatione ichorosa nonnisi gradu et forma differt. — Prior nonnullis mors animalis, posterior mors vegetativa compellatur.

954. Etiamsi sphakelus citra inflammationem praegressam oriri possit, e. g. in senibus marasmo confectis, in parte congelata caloris majori gradui derepente exposita; gangraena tamen semper ex inflammatione proficiscitur, ac proinde essentialem phlogoseos effectum, suppurationis adinstar, sistit.

955. Ad funestam hancce successionem contribuunt: 1) Subjecti prava dispositio, cacochymia, incitationis et reproductionis universalis languor, senectus. 2) Organi inflammati structura membranacea, nervis dives, ac talis, quae stasibus favet ob languidiorem circulum, qualis in digitorum phalangibus, in gingivis cernitur. 3) Causae vehementissimae, organisationem mechanice vel chemice destruentes, traumata contundentia, corrosiva, continuata partis inflammatae compressio, v. g. decubitus. 4) Inflammationis praeceps origo, altissimus gradus, tantusque turgor, ut oppleta vasa depleri amplius nequeant. 5) Virium tali modo diutius suppressarum repentinus lapsus. 6) Potentiarum, quae vegetationis processum deprimunt et depravant, durante inflammatione influxus, praesertim aëris inclusi et corrupti, unde gangraena nosocomialis

originem trahit. 7) Prava medendi methodus, potenter stimulantium et acrium abusus.

IN MORTEM.

956. Transitus inflammationum in mortem duplici contingit modo, directo et indirecto.

957. Indirecte, seu mediate in mortem terminantur intercedentibus variis successionibus: induratione, suppuratione, exulceratione, etc. quibus secundaria inducuntur mala, vitam passu mox praecipiti, mox lentiori suffocantia.

958. Mors autem, quae directe seu immediate ex praegressa fluit inflammatione, denuo duplici ratione sequi solet: 1) Suffocatione circuli, aliusve functionis ad vitam absolute necessariae in parte inflammata. 2) Gangraena et sphakelo.

959. Inflammatio, quae in organo ad nobiliorem scopum destinato, et pro vita absolute necessario sedem figit, ac ad eam congestionis et oppletionis magnitudinem exaltatur, ut vasis undiquaque oppletis, circulus sanguinis, aliave organi functio supprimatur et exstinguatur, repentinam inducit mortem, uti v. g. inflammatio cerebri, cordis, pulmonum.

960. Differt hicce exitus a gangraena et sphakelo, quod nulla massae organicae destructio, nulla liquatio obtineat. Antequam evolvi possit gangraena, praecox functionis nobilioris suffocatio, seu abolitio, vitam instantanee opprimit. Unde evenit, quod inflammationes organorum ad vitalem processum immediate contribuentium fere nunquam in sphakelum abeunt, aut nonnisi tunc, ubi pars exigua processum phlogisticum altiorem subit.

961. Si vero phlogosis tale infestaverit organon, cujus functio, etsi ad vitam continuandam requiratur, per plures tamen dies, aut saltem horas suspensa manere potest, quin processus vitalis ex integro supprimatur; materiale, ac pro efformatione gangraenae et sphakeli necessarium conceditur tempus. — Mors topica in hocce casu, ceu immediatus inflammationis effectus, proximae mortis universalis absolu-

tam consequentiam in se includit. Exemplo sit inflammatio ventriculi, et intestinorum.

962. Gangraena partium ignobilium, glandulae cujusdam externae, dermatis, ossis, mortem nonnisi indirecte adducit, absorptione tabi gangraenosi, febre ardente suborta, debilitate et liquatione universali.

PROGNOSIS.

963. Ut futurus inflammationis eventus cum quadam probabilitate praedici possit, omnium primo ad illa momenta respicere oportet, quae nunc resolutioni, nunc alii exitui favent. Haec inter spectant: inflammationis gradus et specialis character, substrati natura, decursus, complicatio, conditio subjecti, causarum excitantium et circumstantiarum lateralium ratio, virium naturae, artisque adminiculorum efficacia.

964. Quo nobilius fuerit organon adfectum, quo gravior inflammatio, febrisque eam comitans, quo magis praeceps incrementum, quo irregularior decursus, quo contumacior erga adhibita auxilia morbus, quo magis textura organica per inflammationes praegressas aliasve labes alienata et in suis muniis laesa; eo minor quoque arridet felicis exitus spes. Quae in organo integro evolvitur phlogosis, longe minori terret periculo, quam quae in parte indurata, skirrhosa, aliove modo jam vitiata occurit, majori ordinario in destructionem purulentam, saniosam vel gangraenosam proclivitate incedens.

965. Quum tamen inflammationis periculum pro organi adfecti varietate, ipsiusque processus phlogistici indole specifica plurimum variat; etiam prognosticas regulas potius ad specialem inflammationum doctrinam relegare convenit.

THERAPIA INFLAMMATIONUM IN GENERE.

966. Consideranti inflammationis naturam, et phaenomena eminentia, facile patet, ejus therapiam ab illa febris inflammatoriae nonnisi adplicationis modo differre; inflammatio enim topica vix non eundem offert processum

pathologicum in parte, quem febris angiosthenica in toto systemate sanguineo manifestat.

967. Quousque inimica irritare continuat potentia, directa indicatio in ejus amotione consistit. — Si vero extra limites artis positum esset, irritantem amovere causam; funestus illius in organismum influxus quodammodo saltem coërceri ac obtundi poterit remediis sic dictis involventibus, qualia sunt omnia oleosa, mucilaginosa, et diluentia.

968. Indirecta therapia inflammationis topicae complectitur: 1) cuncta, quae adparatum antiphlogisticum componunt, adminicula, jam in capite de febri inflammatoria fusius exposita; 2) remedia topica, quae cum prioribus in eundem collimant scopum.

969. Utraque methodus semper eo nititur, ut optatus resolutionis exitus obtineri possit.

970. Remediorum internorum, ac venaesectionum necessitas praeprimis urget in phlogosi vehementi, interna, valida febre comitata, aut ex illa secundario evoluta. — Gradus morbi gradum therapiae dirigat, oportet.

971. Topicis adminiculis antiphlogisticis adnumerantur: depletiones locales per hirudines vel scarificationes; medicamenta emollientia, relaxantia, aperientia, parti inflammatae titulo ac forma cataplasmatis, fomenti, vaporis, unguenti, immediate adplicita.

972. Ubi levandae altioris congestionis sanguinolentae gratia hirudines adplicare convenit, illae nunquam parti inflammatae immediate admovendae erunt; mechanica enim irritatione plus detrimenti, quam depletione emolumenti praestant. — Idem de scarificationibus valet nisi maximum ex nimio sanguinis turgore periculum, vel gangraenae metus instantaneam depletionem exigat, e. g. in tonsillarum, aut linguae inflammatione, suffocationem minitante.

973. Cataplasmata, et fomenta emollientia nec frigida, nec nimis calida sint oportet, et quamprimum refrigescere incipiunt, cum aliis commutentur, evitata, per quantum fieri potest, temperiei vicissitudine. Optime conducit mador tepidus, nisi specifica inflammationis na-

tura, v. g. rheumatica, vel erysipelacea, omnem humiditatem respuat. — Pinguia, quatenus poros cutaneos occludunt, et calore partis inflammatae rancescunt, indeque irritantem nanciscuntur vim, non placent.

974. Tractamen frigidum in inflammationibus jamjam evolutis semper nocet; etenim coagulum fomitis plastici promovet, spasmum in vasis capillaribus auget, stasibus resolvendis obstat, recentibus favet. — Solummodo in principio, ubi inflammatio adhuc intra limites congestionis simplicis consistit, frigida prodesse non solum, verum etiam futuram phlogosin non raro penitus avertere possunt. — In specie autem conveniunt, ubi simul scopus humores repercutiendi, effusionem, vel suppurationem impediendi, v. g. in inflammationibus cerebri, oculorum, in vulneribus contusis, in herniae incarceratae exordio. Inserviunt huic fini adspersiones, embrocationes, vel fomenta cum aqua frigida vel glaciali.

975. Ubi vis localis nimis diu suppressa antiphlogistico adparatu liberari nequit, ad antagonistica recurrere oportebit, quae inter vesicantia principem locum tenent.

976. Nocent omnia stimulantia, acria, et roborantia, sive interne, sive externe adplicita; itidem anodyna, exceptis illis, quae doloris causas (§. 782) tollunt, id est, quae processum inflammatorium refraenant.

977. Plurimum interest, ut omnes vitentur influxus externi, qui irritationem topicam sustinere valent, uti sunt: temperiei vicissitudo, frigus, calor nimius, cibi excitantes, potus spirituosi, partis inflammatae motus, compressio, et similia.

978. Complicationum denique, ac specificae indolis phlogoseos princeps ratio habenda. — Inflammationes febre comitatae, ac ex parte hujus in septicum, et malignum characterem nitentes antisepticis et cardiacis oppugnandae. — Imminens character nervosus, et virium languor realis stimulantibus, nervinis et vesicantibus avertendus, aut si jam evolutus fuerit, corrigendus. — Complicata cum sordibus gastricis inflammatio evacuantibus levibus, alvumque sine stimulo moventibus dispellitur. — Specificae dyscrasiae, et productionis organicae laesiones, uti syphilis,

scrofula, etc., e quibus inflammationes, ceu effectus, non raro pullulant, specificis quoque egent remediis, morbosam totius organismi, aut singulorum ejus systematum conditionem pathologicam emendare nitentibus.

979. De cura inflammationum, quas nonnulli asthenicas vocant, nihil dicendum restat, quum earum existentiam merito in dubium vocari posse nobis videatur. — Negari quidem nequit, sub decursu inflammationis qualiscunque virium energiam adeo infringi posse, ut vera debilitas oriatur. Similiter nemo inficias ibit, vix non omne inflammationis genus etiam in summe debilibus subjectis, in ipsis moribundis, in membris paralyticis oboriri posse, dummodo adhuc quaedam vitae scintilla, proinde etiam aliqua reagendi facultas supersit; quin imo posita debilitate directa, quae semper erethismo jungi consuescit, inflammationem faciliori negotio nasci, compertum habemus. Nulla tamen existit inflammatio, cujus nosogenia et causa proxima, ceu morbi essentia, in debilitatis charactere fundetur. Proinde inflammatio, qua talis, nunquam stimulantibus eget, et quae illis sanatae referuntur organorum adfectiones, nonnisi passivas sistunt congestiones, inflammationis nomine perperam insignitas.

980. Ubi debilitas tamquam momentum disponens ad inflammationis genesin concurrit, corrigenda omnino erit. Imminuetur tali pacto saltem una conditio, quae morbosum conflictum sustinere juvat.

981. Si vero lapsus virium modo secundario, vel plane accidentali succedit, omnis alius complicationis adinstar respectum meretur; etenim funestam tunc inducit phlogoseos anomaliam, qua posita nec resolutio benigna, nec suppuratio genuina permittitur, sed nisus in colliquationem, exulcerationem, gangraenam promovetur et acceleratur. Eadem enim quoad originem et indolem inflammatio aliter decurrit in subjecto robusto, aliter in corpore fesso et exhausto.

982. Stimulantium in his casibus efficacia nequaquam fundatur in inflammationis correctione, sed in illa virium vitalium permutatione benefica, sub qua processus inflam-

matorius salutari crisi resolvi, vel vero inchoata liquatio saniosa in benignam suppurationem transformari potest.

983. Post dissipatam protinus inflammationem, roborantium non raro usus externus, vel internus indicatur, suamque laudem meretur, ut vasorum capillarium diutius oppletorum, ac elatere vitali quasi defectorum, pristinus redonetur tonus.

MEDELA SUCCESSIONUM.

984. Residuus post inflammationem partis inflammatae erethismus, quem activa frequenter comitatur congestio, tractamine frigido, ac remediis leniter adstringentibus curandus erit, si protractus regiminis antiphlogistici lenioris usus incassum adhibitus fuerit. Saturnina, aluminosa et martialia externe, interne acida mineralia, decoctum Chinae simplex, aut parca Laudani dosi nuptum optime convenit.

985. Inflammationes chronicae eandem curam deposcunt, habito tamen ad laterales circumstantias aeque, ac ad morbosam organismi conditionem, quae illas sustinere juvat, diligenti respectu. Unde mox antiphlogistica prudenter continuata, mox tonico-resolventia, mox leniter excitantia, mox etiam specifica remedia indicantur. Quae a continuato quodam processu suppuratorio aut exulcerativo pendet, chronica visceris phlogosis, vicariis interdum levatur secretionibus purulentis arte excitatis, sive per fonticulos, sive per corticem Mezerei, aut alia.

Nasse von der Behandlung der chronischen Entzündungen. (In Horn's Archiv für med. Erfahrung. Berlin 1830. 1 St.)

986. Torpor nervosus, et congestiones passivae excitantibus egent, gradui debilitatis proportionatis. — Primo in casu nervina, aromatica, stimulantia expansiva, interne et externe adhibita; in altero eadem remedia cum tonicis, et resolventibus acribus, praecipue antimonio et mercurio juncta, atque stimulantia contractiva. Plurimum quoque conducunt frictiones siccae, vel aromaticae, fomentationes similes, moderatus partis languentis motus, ac diaeta correspondens.

987. Posthuma inflammationum, quae medelam vix unquam admittunt, sunt: viscerum parectamata, exallaxes, pseudoplasmata, atrophiae partiales, et concretiones morbosae. Omnis medici intentio in his casibus nonnisi palliativa esse poterit. — In partibus externis chirurgica manus interdum proficua evadit, abnorme volumen cultro minuendo, degeneratam massam destruendo vel amovendo, concretas superficies separando. — Parectamatis glandulae thyroideae imminutionem ligatura arteriae illud viscus nutrientis obtineri posse, audacia dexterrimi Waltheri experimenta confirmarunt.

988. Etiam relicta post inflammationes, praesertim iteratas, induratio difficulter discutitur, maxime dum interna prehendit organa, et localium proinde auxiliorum adplicationem excludit. — Quousque pars indurata reactionis inflammatoriae signa praebet, medela consistet in diligenti continuatione remediorum antiphlogisticorum gradus levioris. Notabilem efficaciam manifestat tepor aequabilis, quo materies plastica, in cellulis et parenchymate stagnans et coagulata, solvitur, talique pacto pro resorptione idonea redditur, docente id emollitione crustae phlogisticae sanguinis, manibus diutius tractatae. Hinc balnea, vapores, fomentationes assiduae partibus obdurescentibus adplicitae, vix non tutissima suppeditant pro resolutione adminicula, quorum actio multum adjuvatur interno resolventium et eccoproticorum usu, uti sunt sapones medicati, vegetabilia saponacea, serum lactis, sales medii, mercurialia.

989. Si vero simplex induratio fuerit, genitrice inflammatione prorsus dissipata, illius resolutio tentari nullo modo poterit, nisi inducta recenti quadam organi irritatione, processui phlogistico analoga, qua major suscitatur languentium vasorum capillarium activitas, stagnantis materiae divisio, vel fusio purulenta sensim impetratur, ejusdemque in circulum obtinetur reductio. — Id efficiunt remedia resolventia, quae cum stimulo agunt, ac ideo mox stimulantia, mox acria dicuntur. Hujus generis sunt: antimonialia, mercurialibus praesertim nupta, variae plantae venenatae, Cicuta, Aconitum, Lactuca virosa, Squilla, Arnica, gummiferulacea, murias Barytae, sal ammoniacus, etc.;

frictiones siccae; vel aromaticae, balnea sulfurea, embrocatio, electricitas. Cautus tamen usus fiat oportet, ne nimis vehemens excitetur inflammatio, quae indurationem facile auget, atque in organo notabiliter obliterato facile specificam indolem contrahit, cum nisu in colliquationem saniosam pessimi moris, cancer aticam dictam.

990. In partibus induratis resolvendis suam quoque laudem merentur emetica, debitis cautelis in usum tracta, et repetita; eorum enim in absorptionis negotio promovendo notabilis esse consuevit efficacia. — Scleromata externa pertinacia manu chirurgica indigent, ut ulteriores evitentur sequelae, atque non raro suppuratorium artificiali modo excitare convenit processum.

991. Medela successionum, quae variis hypocl epseos speciebus suam originem debent, in eo consistit, ut effusi in cellulas, vel corporis cava majora humores ad absorptionem perducantur. Quousque hydropis secundarii origo ex majori vasculorum secernentium et exhalantium activitate dependet; eousque etiam methodus antiphlogistica apte directa suum locum defendit. — Digitalis opes beneficas in similibus casibus frequenter implorare oportet. — Si vero dissipata omni irritatione phlogistica, nonnisi absorbentium languor et inertia superest, talis quidem, ut neque secretionis ad normam procedentis aequilibrium sustentari valeat, omnia illa convenient pharmaca, quae systematis lymphatici energiam excitant, atque fomitis effusi eductionem praestant. — Specialiores regulae therapeuticae in hydropis cura exponendae erunt.

992. Suppurationis debitum tractamen maximi sane momenti est. — Etiamsi huncce inflammationis exitum omni conamine avertere oporteat, praesertim in organis internis et nobilibus; nihilominus tamen ubi jamjam primum suppurationis germen factum est, eam potius caute promovere, vel saltem moderari necesse est; specificus enim hicce processus unicum sistit medium, quo persaepe instans periculum procrastinatur, et vix non quaevis guttula puris secreti, particulam inflammationis tollit.

993. Tanto magis vero suppurationem promovere conveniet, si experientia confirmatus fuerit inflammationis

etiam sub aptissima medendi methodo, in suppurationem nisus, qualis v. g. in bubonibus et furunculis cernitur; vel si mediante suppuratione simul alicujus fomitis morbiferi eductio speranda, uti in bubonibus pestilentialibus, in phlogosi metastatica.

994. Remedia, quae processum suppuratorium expedire, et sollicitare solent, non sunt alia, quam quae processum phlogisticum moderari juvant. — Maturantia specifica non habentur. — Hinc omnia emollientia, adtenuantia, interne et externe adhibita; cataplasmata e speciebus emollientibus, e seminibus Lini, e mica panis cum lacte, admiscendo etiam substantiam narcoticam, si dolores feroces fuerint, e. g. Crocum, folia Hyoscyami, capita Papaveris; illinitiones cum oleo blando, vel butyro insulso; emplastra et unguenta mollitiva, vel etiam leniter irritantia; vapores pro usu interno. — Princeps autem, quod suppurationem blande promovet, ac in abscessum cogit, remedium, est calor humidus, et aequabilis.

995. Ubi suppuratio tarde procedit, prae aliis adtendendum, utrum nimius inflammationis vigor, vel vero infracta partis inflammatae energia causam sistat. In primo casu methodus antiphlogistica generosior, in altero leniter irritantium topice adhibitorum, uti cepae assatae, gummiresinae, saponis, fermenti panis usus, una cum diaeta lautiori, suppurationem accelerare, et si depravari, ac in saniosam liquationem niti inciperet, eam simul emendare valet.

996. Abscessu ad debitum maturationis gradum perducto, ejus apertura quantocyus sollicitanda, et quidem eo promptius, quo nobilius fuerit organon adfectum; clausa enim suppuratio in destructionem massae organicae tendit. — Unde evenit, ut abscessus interdum ante diem aperiri debeant, ubi metus nascitur latice purulento substantiam nobilem depasci, vel vero sinus et fistulas formari posse.

997. Qui sponte rumpi nolit abscessus, nunc ferro, nunc caustico aperiatur. Promotio rupturae vomicarum internarum nonnisi indirecto modo tentatur, successu plurimum ambiguo.

998. Ulterior abscessus aperti tractatio consistit in iis-

dem, quae regularem inflammationis, etiam in decremento constitutae decursum dirigere juvant, auxiliis, evitando praesertim omnes injurias, quae benignam suppurationem depravare, talique ratione desideratum granulationis et consolidationis negotium, solius naturae medicatricis opus, impedire possent.

999. Cura exulcerationis respicit maxime amotionem illorum momentorum, quae fatali huicce exitui favent (§. 939). His feliciter remotis, quod quidem diversissimis pro varietate circumstantiarum adversarum remediis adtingi potest, regularis repristinatur processus phlogistici decursus, cujus ope sanatio perficitur. — Nisi de interna agatur exulceratione, vel de externa, ex interno fomite nata, cujus therapia ad doctrinam phthisium releganda, vix non semper Chirurgi experti subsidium requiritur. Princeps tamen indicationis momentum in eo consistit, ut languens, ac in colliquationem propendens productio organica erigatur et emendetur. Nonnisi hoc facto sublata per phlogosin indifferentia (§. 791) restitui, atque consumpta massa organica resarciri poterit.

1000. Dum inflammatio in gangraenam tendit, omnibus modis et auxiliis funestae huic terminationi resistendum est, praesertim ubi de internis agitur organis. — Haec auxilia consistunt in therapia antiphlogistica generosissima, debito semper ad causas, et specialem indolem phlogoseos respectu habito.

1001. Si vero inevitabilis gangraena jamjam inchoaverit; ad arma omnino clamandum, ut vita, quae in parte gangraenescente adhuc latet, resuscitetur, ac funestus sphakelus arceatur.

1002. Principem causam gangraenae sistit vis vitalis cujusdam partis ita suppressa, ut exhaustioni proxima sit. Illam liberare praecipuus ideo medentis scopus erit; quod nunc scarificationibus partis adfectae, nunc amotione obstaculi circulo positi, compressionis, corporis peregrini; nunc sedato erethismo obtinetur. — Eodem tamen tempore simul ad excitantia et antiseptica generosa transeundum, ut vis vitalis exhaustioni proxima erigatur, quo instans avertitur putredo.

1003. Pro usu interno eminent: Moschus, Camphora, Arnica, Sal volatile Cornu cervi, Cortex peruvianus, et acida mineralia, non negligendo et alia tonica, atque stimulantia.

1004. Localia remedia consistunt in fomentationibus aromaticis, spirituosis: ex decocto Corticis, infuso Rutae, Scordii, Salviae, Spiritu camphorato, Aceto antiseptico, etc. parti gangraenescenti immediate, aut proxime adplicitis.

1005. Gangraena viscerum, praeter remediorum internorum usum, prompta simul indiget revulsione, quam, cauterio potentiali melius, nullum aliud praestare valet remedium.

1006. Quo magis gangraena ad sphakelum accedit in partibus externis, eo magis indicatae erunt scarificationes usque ad vivum (non in vivum) prudenter institutae, ut tabum gangraenosum educatur, funesta ejus resorptio impediatur, medicaminibus topicis facilior aditus paretur, ac recens in fundo provocetur phlogosis, quae ad excitandam suppurationem, et emortui separationem absolute requiritur.

1007. Sphakelus vero jam formatus, ceu pars organismi emortua, nullam prorsus medelam admittit. Unica medici intentio eo dirigi debet, ut particulae sphakelosae separatio promoveatur, atque ulterior processus gangraenosi progressus arceatur.

1008. Separatio partis emortuae est opus virium naturae, quas apte moderari oportet. Si basis et peripheria tumoris nimis irritata, rubra, calens, et dolens superstitem adhuc altioris gradus inflammationem indicat, emollientibus utendum. — Si vero ex complexu symptomatum ac lentae separationis escharae languor vis vitalis eruitur, hic omnino stimulantibus et eupeptis erit corrigendus.

1009. Ulteriorem gangraenae et sphakeli progressum impedire valent omnia illa, quae praesentem infringunt (§. 1002), causas ejus genesi faventes tollunt, et quae requisitam productionis organicae in liquationem nitentis integritatem restituunt, antiseptica nimirum, excitantia, et nutrientia.

DIVISIONES INFLAMMATIONUM.

1010. Inflammationes a medicis multiplici intuitu dividuntur, habito videlicet nunc originis, nunc decursus et durationis, nunc causarum, nunc substrati, aliusve momenti respectu.

1011. Ita ratione originis: in primarias et secundarias; in idiopathicas, symptomaticas, sympathicas, metastaticas; — ratione decursus et typi in acutas et chronicas; in continuas et intermittentes, seu periodice recurrentes; in regulares et anomalas; simplices, compositas et complicatas; — ratione causarum in sporadicas, epidemicas, endemicas, contagiosas; — ratione substrati et sedis in externas et internas; profundas et superficiales; fixas et vagas; kephalicas, thoracicas, abdominales; in membranosas, viscerales, nervosas, osseas; in arteriosas, venosas, lymphaticas; — ratione characteris et formae in febriles et afebriles; in phlegmonosas, rheumaticas, erysipelaceas, scrofulosas, syphiliticas, nervosas, putridas; — ratione exitus in benignas et malignas; ab Huntero in adhaesivas, suppuratorias, et ulcerativas dispesci solent. Diverso unius alteriusve systematis organici eminenter adfecti praedominio innititur divisio phlogoseos in vegetativam, animalem et sensitivam, quam acutissimns Kieser proposuit.

1012. Celebrata quondam, ac hodiedum adhuc a quibusdam medicis praedilecta, licet jam ab Immanuele Meyer (1810) scite explosa, inflammationum in hypersthenicas et asthenicas divisio, non solum pro exstruendo systemate inutilis est, quemadmodum id de plurimis superius adlatis valet; sed etiam falso prorsus innititur principio, simulque experientiae repugnat.

1013. Si consideramus ad inflammationis genesin semper stimulos positivos, quibus etiam arte produci possunt, requiri, ejusque essentiam in vita arteriosa singulae partis

ad altiorem potentiam evecta consistere, quod ipsa symptomata constantia satis superque testantur; et si his addimus, deprimentes potentias, sive defectum stimuli nullo modo inflammationem creare posse; facile liquet, phlogoseos asthenicae existentiam merito in dubium vocari debere. — Insuper manifestam includit in praedicato contradictionem; inflammatio enim, juxta vim vocis, flammam vitalem justo magis incensam indicat; asthenia contra processum vitalem infractum designat; asthenica proinde phlogosis esset inflammatio sine inflammatione.

1014. Etiam illa, quae in subjectis debilibus occurrit, phlogosis, semper est activa, utut mere relativis, ac sensum saepe fugientibus stimulis excitetur. — Cui vero sub decursu topicus partis adfectae languor, cacochymia, vel totius organismi asthenia succedit, habitum quidem mutat, ac plus minusve notabiles subit mutationes, quin tamen ideo hypersthenicam deponat indolem; secus, inflammatio esse cessat, atque mox in passivam mutatur congestionem, mox in liquationem aut gangraenam abit. Monente acutissimo Harlessio, nomen inflammationis non meretur, sed fors aptius Phleboplerosis pseudophlogistica dicenda. Gravia profecto sunt, quae cel. Tommasini (1) ad evincendam phlogoseos indolem semper et ubique hypersthenicam sive activam protulit, argumenta.

(1) Dell' infiammazione e della febbre continua. Pisa 1820. pag. 44 — 272.

1015. Ut igitur rationalis, et practico medico simul utilis inflammationum divisio construi possit, quae eodem tempore pro ordinandis singulis speciebus in nosologicum quoddam Systema servire debet, princeps adtentio ad inflammationis substratum, atque ad illa momenta erit dirigenda, quae vel ex parte causarum, vel ex parte constitutionis subjecti essentialem differentiam ponunt.

1016. Etiamsi inflammatio, qua talis, — videlicet qua autonomum morbi genus considerata, — semper eandem (identicam) agnoscat naturam, haec tamen variis obnoxia esse poterit modificationibus, quibus efficitur, ut primitivus inflammationis typus a solito tramite deflectat, atque non solum formam, sed etiam, indolem alienam offerat, si con-

stantis differentiae ratio in ipsa nosogenia fundatur. — Haecce characteris specialioris differentia in eo consistit, quod vel genericus inflammationis character imperfecte evolutus adpareat, vel vero specifici quid accedat, quod inflammationi, ceu genus morbi spectatae, non competit. Quamobrem nil obstat, ut etiam inflammationes nervosas, typhosas, septicas, venosas, lymphaticas auctorum pro adfectibus hypersthenicis declaremus, licet oppositum efficientiae vitalis statum manifestet diathesis morbosa, sub cujus auspiciis nascuntur, et cujus influxu modificantur. Hancce identicam phlogoseos naturam nobiscum defendunt Meyer, Tommasini, Kreysig, Raimann, Nasse, Langenbeck, aliique plures, paucis tantum declinationibus exceptis.

1017. Princeps, ac summe cardinalis distinctio inflammationum innititur substrati generalis, et indolis specificae diversitati. — Substratum denique speciale, atque forma inflammationis ulteriorem subdivisionem dirigit.

1018. Inflammatio, quae partem organicam qualemcunque infestat, e causis generalibus sine distinctione, stimulis utpote positivis, et quidem plerumque absolutis proficiscitur, quae ideo particulari dispositione non eget, atque generales inflammationis notas per eminentiam agnoscit, Phlegmone vocatur; aliis Inflammatio vera, genuina, legitima, aptius perfecta, cum prototypum omnium reliquarum specierum sistat.

1019. Aliae inflammationes nonnisi ad certa organa, aut saltem systemata restringuntur; a determinatis potentiis nocivis, relativo plurimum modo agentibus producuntur, atque praeter genericas phlogoseos notas plus minusve modificatas et imperfecte evolutas, specificos quosdam et constantes patefaciunt characteres, pendentes vel a substrato, vel a causa producente, vel a subjecti dispositione, quibus omnibus primitiva et generica inflammationis natura plus minusve obscuratur, et alienatur. — Has vocare solent illegitimas, seu spurias; fors aptius imperfectae vel specificae dicendae.

1020. Quemadmodum hae inflammationes specificae suam a phlegmone (quae semper unica et eadem manet)

diversitatem vel substrato, vel causae producenti, vel morbosae cuidam diathesi, in aegro praeexistenti debent; ita subdividi poterunt: in specificas quoad substratum, quoad causas, et quoad diathesin subjecti.

1021. Inflammationes specificae quoad substratum in eo conveniunt, quod nonnisi membranarum systemata plectant, ac ab iisdem, vel saltem similibus potentiis cosmico-dynamicis, atmosphaericis, ac relative incitantibus proveniant. Trifariam vero subdividuntur juxta diversas systematis adfecti sphaeras: quatenus nimirum vel membranas mucosas, vel serosas, vel cutim externam seu corium adficiunt. — Inde tres fluunt inflammationum specificarum quoad substratum prosapiae, physiologico principio innixae, ac praxi constanter confirmatae: inflammationes utpote catarrhales, rheumaticae, et erysipelaceae seu lepidoideae, sequentibus nominibus a sede depromptis clarius exprimendae: 1) Blennymenitis. 2) Orrhymenitis. 3) Dermatitis. — Earum diversitas solum in laesa functione dictarum trium sphaerarum systematis membranacei consistit, ita; ut primam fluxus mucosus, alteram dolores vagi, tertiam cuticulae desquamatio distinguat.

1022. Inflammationes specificae quoad causas sunt illae, quarum diversitas unice in causae producentis specifica indole, atque in peculiari, quae inde proficiscitur characteris, et formae varietate latet. — Harum nonnullae determinatum prehendunt substratum, aliae in qualicunque parte organica, cui causa mediate vel immediate adplicatur, oriri possunt. — Complectuntur duas potiores familias: 1) Inflammationes contagiosas, quas inter spectat variola, morbillus, scarlatina, inflammatio syphilitica primaria. 2) Inflammationes toxicas, seu venenatas, quales sunt illae, quae ex morsu viperae, scorpionis, vespae, canis rabidi, etc. nascuntur. — Eorum differentiam constituit distinctio inter contagium, et venenum.

1023. Inflammationum tandem specificarum quoad diathesin, quae etiam omni jure com-

plicatae dici possunt, diversitas, neque in substrato solo, neque in unica causa producente, sed in praeexistente specifica quadam diathesi vel dyscrasia fundatur. — Interdum haec sola inflammationem provocare solet, uti exemplum in cachexia syphilitica, vel cancrosa habetur; interdum vero inflammatio e causis communibus pendet, peculiarem vero sub decursu indolem induit, latenti in organismo cacotrophiae tribuendam. — Hujus ordinis est inflammatio syphilitica secundaria, herpetica, septica, cancrosa, scrofulosa, etc., quae tamen cunctae species, cum ex prava productionis organicae qualitate fluant, ad doctrinam de cachexiis relegandae veniunt.

1024. Ex sequenti schemate partitio systematica inflammationum, proinde etiam febrium inflammatoriarum comitatarum clarius patebit:

- Inflammationes.
  - Phlegmonosae seu legitimae
    - Nevritis
    - Angioitis
    - Myïtis
    - Splanchnitis
    - Hymenitis
    - Adenitis
    - Arthritis
    - Osteitis
  - Specificae seu illegitimae
    - Quoad substratum
      - Catarrhales
      - Rheumaticae
      - Erysipelaceae
    - Quoad causas
      - Contagiosae
      - Toxicae
    - Quoad diathesin
      - Scrofulosa
      - Herpetica
      - Syphilitica
      - Cancrosa
      - Septica.

1025. In speciali inflammationum, febriumque illis comitatarum doctrina, omnium primo de phlegmone agemus, singulas ejus species juxta topicam sedem variantes, anatomico ordine, tamquam conceptui faciliori, exponendo.

1026. Transibimus demum ad specificas, ast nonnisi ad illas, quae classi febrium complecti possunt; excludendo phlogoses externas, ac mere topicas aeque, ac illas, quae e manifesta productionis organicae labe pullulant.

DE INFLAMMATIONIBUS TOPICIS SPECIATIM.

Jannau, Diss. de inflammationibus febre acuta stipatis. Jenae 1750.

Mantovani, Lezioni di Terapia speciale sulle inflammazioni. 3. Vol. Pavia 1820.

1027. Sequendo praemissam, ac proprio schemate expositam, inflammationum divisionem, tractatum nosologico-therapeuticum de Febribus inflammatoriis topica affectione comitatis a Phlegmone, ejusque diversis, in praxi obviis, speciebus ordiemur.

I. FEBRES INFLAMMATORIAE COMITE PHLEGMONE.

PHLEGMONE.

Brambilla, über die Phlegmone und ihre Ausgänge. Wien 1786.

1028. Phlegmone, aliis inflammatio legitima, vera, genuina, pura, omnium in praxi occurrentium inflammationis specierum exemplar et archetypum constituit, atque sequentibus distinguitur characteribus, 1) ex substrato, 2) ex causis producentibus, 3) e symptomatibus et decursu, et 4) terminationum ratione depromptis.

1029. Substratum phlegmones sistit omnis organismi pars vasis capillaribus ac nervis in-

structa, cujus quidem ratio jam vel inde patet, quod plerumque e causis violentioribus et stimulis positivis originem ducat. Quatenus autem tela cellularis prototypum texturae organicae ponit, in quo, praeter contractionis praedominium, vis plastica eminenter viget (1); eatenus etiam potius substratum illius reactionis morbosae dici potest, cujus essentialis character in abnormi incitationis et vegetationis augmento (§. 825) consistit. Inde evenit, quod corpus cibrosum superficiei corporis, textus utpote cellularis et adiposus, organa parenchymatosa et glandulosa, legitimae inflammationi per eminentiam obnoxia sint, et quidem eo magis, quo manifestius evolutum habent typum arteriosum. — Organa structurae simplicioris, magis compactae, vel quae ex parte minoris vasorum capillarium rubrorum copiae ad morbosas reactiones minus prompta cernuntur, phlegmoni rarius subjecta esse solent, uti v. g. membranae serosae et fibrosae, medulla nervea (2). Requiruntur in hocce casu incitamenta potentiora, ipsaque irritatio inde nata ad verae phlogoseos gradum nonnisi raro evehitur, inter simplicis congestionis limites potius consistens. — Id tandem adhuc subjungere oportet, phlegmonen in diversis, et disparibus, quoad fabricam et functionem, organis eodem tempore, et ex eadem causa oriri posse: in textu cellulari, musculis, vasis, nervis; ubi e contrario specificarum inflammationum forma ad definitum quoddam systema vel organon restringi consuevit.

(1) Hartmann, der Geist des Menschen. Wien 1820. S. 103.

(2) Bichat, Anatomie 1. Th. 1. Abth. S. 164.

1030. Causae, phlegmoni producendae pares, sunt omnes stimuli positivi maxime absoluti, ac prae caeteris mechanici. Potentiae relative incitantes nonnisi tunc phlegmonosam inflammationem pariunt, ubi ex parte praeexistentis dispositionis, aut concursus plurium majorem efficaciae gradum adquirunt. Quatenus autem haecce incitamenta ei loco, cui immediate adplicantur, prae aliis infensa fiunt; eatenus etiam phlegmone vix non constanter idiopathicum constituit malum. Causae immateriales, aut aliae per consensum dissita organa incitantes, irritationem quidem haud raro inducunt, haec vero ad

phlegmones potentiam non exaltatur, nisi novae concurrant circumstantiae, turgidam partem exstimulantes. — Specifica diathesis, quae phlegmones genesi faveret, non existit, nisi eam excipere velimus organismi conditionem, quam vulnerabilitatem nuncupare nonnullis placuit pathologis.

1031. Symptomata potiora inflammationis phlegmonosae sunt: rubor intensus (nisi capillaribus vasculis inops foret organon adfectum); tumor notabilis et durus; dolor vehemens, oscillatorius, fixus, assiduus, mox oppressivus, mox punctorius vel urens pro diversa partis adfectae sensilitate; calor aegro non solum molestus, verum etiam manui tangenti perceptibilis, ast non adeo ingrate mordax, ac in erysipelate; febris comes continua, inflammatoria, acuta, incipiens cum horrore solemni, decurrens cum aestu magno, reactione systematis arteriosi summe intensa, dyscrasia phlogistica, cutis functione tamen raro laesa, in solemnes crises propensa. — Ea vero esse solet phaenomenorum ad se invicem relatio; ut vix ullum prae alio praevaleat. Maxima e contrario symptomatum disparitas specificas distinguere solet phlogoses, acerrimus v. g. dolor absque tumore partis, intensus ruber sine dolore.

1032. Phlegmone fixam conservat sedem ac nullam prorsus in metaschematismos ostendit proclivitatem, quod jam ex idiopathica origine facile concipitur. — Decurrit semper acute, ita quidem ut nunc tertio, nunc quinto, vel septimo die summum adtingat fastigium, quo adepto vel resolvitur, vel in recentes productiones nititur. — Chronicum decursum tunc solum fingit, cum vel simplicis congestionis limites non excedit, vel ex parte permanentis causae, dispositionis pravae, vel recentis stimuli accedentis, catenam replicatae recidivae offert.

1033. Relate ad exitus sequentibus distinguitur inflammatio phlegmonosa: Dum resolvitur, longe minorem patefacit nisum in recidivam, quam inflammationes specificae, ob deficientem, quae ejus ortum determinat, eaque devicta remanet, diathesin sui generis. Benignam vero dum

respuit resolutionem, in omnia quidem transire potest inflammationum consectaria, per eminentiam tamen nititur in posthuma organica cum nisu in coagulum: in concretionem, hypoclepsin lymphatico-plasticam, in parectama, indurationem ac ante omnia in suppurationem. Exitus specificos non agnoscit, priorumque diversitas per substratum organi inflammati determinatur. — Ipsa demum febris, phlegmonosas comitans inflammationes, rarius in characterem nervosum nititur, ac in anomalias universim minus prona observatur; unde ab aliis febrium inflammatoriarum formis, uti a catarrhalibus, erysipelaceis et exanthematicis notabiliter differt.

1034. Therapia phlegmones nihil specifici includit. Si causa nota et amovenda, amoveatur, vel saltem obtundatur. In casu contrario sola methodus antiphlogistica omnem indicationis indirectae paginam absolvit, dummodo morbus non fuerit complicatus, aliove modo anomalus. Genesis inflammationis legitimae specificis non regitur circumstantiis, ac proinde etiam in cura peculiarem ad eas respectum non imponit.

1035. Phlegmone, ceu prototypus inflammationis semper aequalem et autonomam naturam manifestat, si excipiamus complicationes, et anomalias, quibus morbus quivis obnoxius esse potest. Ideo etiam nullas alias distinguere licet species, et varietates, quam eas, quae a diversitate organi adfecti dependent. Ulterior itaque phlegmonosarum inflammationum divisio earumque symptomatum expositio juxta substratum speciale erit suscipienda. — Rationi autem summe consentaneum videtur, ut omnium primo in communes et particulares dirimantur; quarum primae distinctorum organismi systematum, homogenea fabrica et functione convenientium phlogoses amplectuntur; secundae speciales diversorum organorum structura et officio variantium adfectiones includunt. Utraque familia praeter inflammationes veras simul congestiones simplices continet, quatenus harum in priores transitus frequentissimus est, origo eadem, ac differentia ultima nonnisi in modo, quo vasa capillaria a normae statu recedunt, (§. 755) consistit.

1036. Unanimi medicorum omnis aevi conventione phlegmasiarum denominationes ab organo adfecto, idiomate graeco expresso, desumuntur, ultimam vocis syllabam in itis mutando. Videtur enim usu apud Medicos veteres obtinuisse, ut partis adfectae nomini adderent hancce terminationem, quando inflammatorium imprimis ejusdem partis morbum designare volebant; unde ἀρθρῖτις dicitur quasi τῶν ἀρθρῶν νοσός et πλευρῖτις τῶν πλευρῶν (1). Itis, ἰτης, verisimiliter ab ἵεμαι, idque ab ἐω derivandum, impetuosam quasi, sive violentam actionem significat. Quatenus autem haecce phrasis, sive vocabulorum metamorphosis linguae graecae tantum propria est, sponte liquet, nomina radicalia ejusdem prosapiae esse debere, ut monstrosi hermaphroditi compositio vitetur.

(1) Svietenii Commentar. §. 771.

A. INFLAMMATIONES COMMUNES, SIVE INFLAMMATIONES SYSTEMATUM ORGANICORUM.

Perret, Aperçus sur les phénomènes généraux de l'inflammation, considerés dans les différentes systèmes. Paris. An XI.

Dzondi, über die Nothwendigkeit und Wichtigkeit der Unterscheidung der Entzündung nach den verschiedenen Systemen, oder Urgebilden. — In Graefe's und Walter's Journ. für Chirurgie. 1. B. 2. H. 1820.

Langenbeck Nosologie und Therapie der chirurgischen Krankheiten. 1. B. Götting. 1822. S. 322.

Gendrin Anatomische Beschreibung der Entzündung und ihrer Folgen in den verschiedenen Geweben des menschlichen Körpers. 2 Theile. Uebers. von Radius. Leipz. 1828.

Dzondi de Inflammatione Aphorismor. Liber secund. Halae. 1831.

1037. Quantae utilitas fuerit ingeniosa illa, quam immortalis Bichatus omnium primus excoluit, organismi in homogenea, e quibus componitur, systemata partitio, celerrima Physiologiae ultimis decenniis incrementa abunde testantur. Ast certe non minor ex eodem fonte redundat pro perficiendo Nosologiae studio thesaurus, quem proh dolor! magna medicorum, de reliquo meritissimorum turma nauci fecisse videtur.

1038. Cum itaque praeter Pinelium (1), Reilium (2), Thomsonium (3) et Brichetauum (4), quibus saltem fragmenta quaedam utilissima in acceptis referenda habemus, pauci solum huicce objecto adlaboraverint, tanto majores in eo perlustrando sese obtruserunt difficultates, quarum nonnullae in ipsa materie abstrusa latent. Ita plurimorum systematum recondita sedes; eorundem inter se communio et implicatio inseparabilis; quorumdam minor in processu vitali dignitas; functio inde obscura, sensibusque, dum a norma secedit, minus obvia; inflammationis ab uno systemate ad alterum transitus; analogia symptomatum; nexus cum macrocosmo multis adhuc dubiis obvelatus, haud indifferentia offerunt obstacula, quae indaganti Pathologo opponuntur. Recentiori aevo clariss. Gendrin hancce nosologiae spartam plurimum excoluit, laudabilia praecedentium et coaevorum naturae scrutatorum, quibus Gallia nitet, exempla sequutus.

(1) Pinel, Nosographie philosophique. Paris 1813.
(2) Reil, über die Erkenntniss und Cur der Fieber. Halle 1799.
(3) Thomson, Lectures on inflammation etc. Edinb. 1813.
(4) Dictionnaire des Sciences médicales. — Art. Inflammation.

1039. Systematis organici nomine intelligimus definitam seriem et complexum organorum, quae non solum quoad formam, miscelam ac texturam (intuitu somatico), sed etiam quoad efficientiam dynamicam specialius modificatam, et functionem, cui praesunt, inter se conveniunt. — Quatenus ejusmodi concatenatio organorum similarium eodem textu eademque fabrica gaudet, in unum eundemque scopum conspirat, vitam quasi propriam, individualem, autonomam, sive rectius, specifice modificatam ducit, eatenus etiam particulari adsociationis, et sympathiae lege unitur, aequali erga injurias externas receptivitate pollet, atque similium aegritudinum seriei obnoxia cernitur, etsi summe differentium instrumentorum partem constituat. Ita v. g. membrana arachnoidea, et peritonaeum, perfecte similares ac ad idem systema (membranarum serosarum) spectantes partes juxta easdem leges pathologicas infirmae redduntur, ac in eosdem prorsus nituntur exitus.

1040. Quemadmodum inter singulas ejusdem systematis sphaeras intima viget sympathia; ita inter systemata diversi generis manifesta observatur antithesis, structurae et functionis diversitati innixa. Inde nascitur, quandam organi sphaeram per menses inflammatam esse posse, quin phlogosis ad reliquas, etsi contiguas, diffundatur partes. Exemplo sit ophthalmia catarrhalis chronica, quae vix non semper immunem relinquit scleroticam.

1041. Singula organa ex totidem, ad generalia organismi systemata referendis, partibus integrantibus componuntur, talique ratione complexum sive coacervationem plurium systematum sibi invicem junctorum, et implicatorum constituunt, et partialem quasi imaginem vitae universae praesentant. Quo magis igitur composita sunt organa, eo majorem cum diversis reliqui organismi partibus relationem tum sympathicam, tum antagonisticam manifestent, est necesse. Inde prae simplicibus facilius laeduntur, et dum ad morbosum vergunt statum, multifaria systemata in mutuum commercium trahunt, numerosis stipantur phaenomenis, tum localibus, cum consensualibus, atque febriles turbas vix non constanter excitant.

1042. Ast nonnisi raro compositum quoddam organon per omnem ambitum, ac in omnibus, e quibus componitur, systematibus inflammari solet; phlogistica enim reactio plerumque ad unam alteramve sphaeram limitatur, talique pacto varias, etsi eandem originem agnoverit, formas exhibet, quarum differentia unice ex scrupuloso systematum cardinalium discrimine explicari poterit.

1043. Ipsa inflammationis symptomata generalia, uti rubor, tumor, dolor, calor, juxta supra dictam systematis eminenter adfecti diversitatem in eodem organo notabiliter variant. Singulorum porro organorum, praesertim compositorum, major minorve in inflammationes dispositio dependet a praedominio unius alteriusve systematis, ac a specifico, qui inde cuivis parti imprimitur, charactere. Cum autem inflammationis summatim consideratae substratum sistant vasa capillaria, liquet sponte, eo majorem esse organorum proclivitatem in phlogosin; hanc ipsam eo perfectius evolvi, ac phlegmones imaginem eo clarius

patefacere, quo magis in illis praevalet systema vasorum capillarium, aliis plasticum dictum. Exemplo sint glandulae, textus cellularis, organa parenchymatosa, quae eadem ex ratione quoque in productiones organicas facilius nituntur.

1044. Ex hisce praemissis abunde elucescit, rationalem illam ac physiologicae basi superstructam distinctionem inflammationis, secundum diversa organismi systemata, ad collustrandam symptomatologiam, nosographiam, diagnosin, exituumque doctrinam plurimum contribuere. Ast etiam therapia suum inde lucrum haurit; organa enim, quae in statu pathologico analogis reguntur legibus, nonnisi analogis ad normam, sive salutem reduci poterunt modis. Inde mirum non videbitur, cur ophthalmia catarrhalis et dysenteria inflammatoria iisdem prorsus sanentur remediis, etsi primo intuitu morbi toto coelo diversi adpareant; speciale enim unius cujusque substratum membrana mucosa largitur. Ipsa demum methodus antiphlogistica juxta systematis eminenter adfecti differentiam, plurimis succumbit modificationibus; quo magis enim vasculosa fuerit pars inflammata, eo majorem utilitatem et necessitatem sibi vindicat venaesectio, cujus e contrario infructuosus redditur usus, dum organon vasculis inops tenet phlogosis. Remediorum tandem, quorum electiva in certa systemata actio innotuit, aptus selectus fieri nequit, nisi debita systematis laesi ratio habeatur.

1045. Systemata organica, praeeunte Bichato, in duas dispesci possunt classes. Prima complectitur systemata per universum organismum distributa, ita, ut quodvis eorum ad efformanda reliqua concurrat, omnium adparatuum organicorum basin efficiat, atque prototypum omnis organisationis largiatur. Huc spectant systema cellulare, systema nervosum, et systema vasorum; quod ultimum in tres potiores subdividitur sphaeras, arteriosam, venosam, et lymphaticam, centrum in vasis capillaribus, ceu indifferentiae puncto agnoscentes. Haecce trina systematum organicorum partitio, triplici respondet functionum cardinalium, ac efficientiae

vitalis diversitati, reproductioni, utpote, sensilitati, ac irritabilitati.

1046. Altera classis continet systemata minus universalia, e prioribus conflata, illisque subalterna, quae saepe locales tantum adparatus constituunt. Huc referuntur: systema dermaticum, s. musculare, s. glandularum, s. viscerum, s. articulorum, s. ossium, et cartilaginum. Tali ordine argumentum, omni intuitu arduum, persequi conabimur, ut facilior pro tractatu inflammationum particularium aperiatur via.

INFLAMMATIO TEXTUS CELLULOSI.

1047. Phlegmone textus cellulosi, sive corporis cribrosi, ac tunicae adiposae, universam superficiem ambientis, omnes characteres, quos legitimae inflammationi proprios esse diximus (§. 1031) per eminentiam agnoscit; quare etiam ulteriori explanationi facile supersedere possumus. Sufficit summe generales, quibus distinguitur, proprietates adnotasse, quas inter referuntur: tumor sphaeroideus, in fastigium elevatus, quandoque late per totum membrum diffusus; calor, et rubor intensus; dolor pulsatorius, pungens, tensivus; febris vehemens; facilis ac promptus in suppurationem, indurationem, vel gangraenam transitus; decursus inde acutus; originis plerumque primariae et idiopathicae, rarius secundariae, et symptomaticae, atque tunc vix non constanter metastaticae, uti post febres graves.

1048. Ejus modificationem particularem sistit furunculus, Graecis Dothien, Germ. Blutschwär, tumor utpote tuberculosus, durus, rotundus, profunde rubens, circumscriptus, dolorificus, in fastigium altum elevatus, nucis avellanae magnitudine, lente, ac difficulter suppurans. Apostema pluribus foraminibus ruptum materiem purulentam, densam, plerumque sanguine mixtam fundit, nucleo, e fibris densis, et crassis, subalbidis compacto, in centro tumoris remanente, qui in pus verti recusat, et quamdiu ibi haeret, formationem cicatricis impedit. Quamprimum vero thrombus ille cellulosus separatur, vel arte educitur, locus exulceratus plerumque cito

sanatur, ast particularem semper retinet, spongiae analogam texturam, teste Bichato, a destructa tela cellulari pendentem.

Berlin de furunculo. Götting. 1797.

Heim Erfahrungen über die Furunkeln, nebst Beobachtungen über eine ansteckende Art derselben. (In Horn's Archiv. VII. I. S. 151.)

1049. Substratum speciale furunculorum glandulae sebaceae, et folliculi cutanei, una cum cellulosi textus (fors et panniculi adiposi) portione constituunt. Etiamsi per universam corporis superficiem nasci videantur; frequentissime tamen in iis occurrunt locis, in quibus major separatur adipis copia, uti in facie, in collo, sub axillis, ad dorsum nates, femora. Furunculus, qui ad marginem palpebrarum, in glandulis Meibomii exsurgit, hordeoli nomine insigniri solet.

1050. Furunculi mox phlogosin mere topicam sistunt, ortam e causis localibus, plerumque chemicis, uti a sudore acri non absterso, spurcitie; mox universalem magis labem praesentant, pluribus in partibus eodem tempore, aut successiva serie propullulant, speciem exanthematis tuberosi referentes, febriles motus haud raro excitant, atque specifica quasi diathesi furunculosa foventur, ad cujus genesin perspiratio cutis suppressa procul dubio suam quoque confert symbolam. (1) Quandoque post morbos graviores, et diuturnos cum emolumento nascuntur, atque subjectis obesis eminenter infensi observantur.

(1) Ritter Aetiologie und Therapie der Blutschwären. (In Graefe et Walther Journal der Chirurgie. 3 B. 1. H. 1822. S. 81.)

1051. Plurium furunculorum confluentium congeries dolentissimam ac summe ominosam efformat phlegmones favosae speciem, cui propter lividum, et nigrescentem colorem nomen carbunculi, sive anthracis imponitur. Hocce malum, quod sporadice occurrit, ac non raro homines obesos post usum thermarum sulfurearum invadere vidimus, rapido crescit passu, atque dum maximum adtigit culmen, in gangraenam, et saniosam textus cellulosi colliquationem abit, sub quo transitu febris in principio inflam-

matoria characterem nervoso-putridum summe malignum induit. Prae aliis partibus dorsum infestare consuevit.

1052. Dum anthracis origo in malefico quodam epidemiae genio, vel in specifico miasmate pestilentiali fundatur, forma quoque modificationem aliquam patitur; super phlegmonosam enim basin phlyctaenae, et bullae pemphigosae prorumpunt, quae brevi dissiliunt, plagam lividam, atram, ad margines dolentissimam, cito in latum vergentem, cum summo in gangraenam nisu relinquunt. Ejusmodi carbunculus praeter telam cellularem simul corpus papillare corii occupat, ideoque a nonnullis pathologis ad exanthemata relegatur, quoad formam ad vesiculosa, quoad naturam, et originem ad miasmatica; et, in quantum Pestis orientalis constitutivum ac essentialem comitem praebet, carbo pestilentialis adpellatur.

INFLAMMATIO NERVORUM.

NEVRITIS.

Ploucquet, Diss. de myositide et nevritide. Tub. 1790.
Nasse, Diss. de nevritide. Halae 1801.
Weinhold Etwas von der Nervenentzündung u. s. w. (In Med. chirurg. Zeitung. 1815. 3. B. S. 268 et 285.)
Duges Mémoire sur la Névrite. (In Revue méd. Tom. III. Août. 1824. p. 177.)

1053. Omnis, quae in nervorum pulpa, eorumque vagina sedem figit, phlogosis vel congestio activa, in sensu lato, Nevritidis nomine insignitur.

1054. Quamquam nervi, ceu sensilitatis conductores, impressionibus externis percipiendis summopere idonei sint, atque hoc intuitu eminenti in phlogoses dispositione praediti esse debere viderentur; nihilosecius tamen rariora sunt verae nervorum inflammationis exempla. Ast longe majorem, quam olim credebatur, congestionis activae frequentiam esse, sedulae rimatorum eximiorum observationes abunde confirmarunt; neque ullum amplius superest dubium plures nevrosium species, uti sunt prosopalgia, ischias, hydrophobia, convulsiones, tetanus, amaurosis, typhus etc. proximum fontem in symphoretico vel phlogistico nervorum statu, etsi non semper, tamen sat crebro

agnoscere. Cur autem congestiones activae in nevrolemmate saepius, quam in pulpa nervorum nascantur, et cur adeo raro ad potentiam inflammationis eleventur, concipi poterit tum ex natura substrati, vasorum capillarium inopis, tum ex summa dignitate systematis sensiferi, quod citius in processum vitalem influere cessat, quam inflammatio gravior evolvi possit.

1055. Constans signum, dum nevrolemma inflammatur (Nevrolemmitis, Nevrymenitis), esse solet acerbus dolor juxta nervi decursum et propaginem diffusus, spasmorum adinstar per vices recrudescens, a leviori tactu, partisque adfectae perfrictione insigniter auctus, a fortiori e contrario compressione, praesertim ad nervi truncum adplicita, pro momento saltem, complacandus. Jungitur simul calor tantillum incitatus, atque sensus flammae ingratus, quin tamen conspicuus sublevetur tumor. Accedit demum laesa functio illius organi, cui adfectus prospicit nervus. Frequentiores hujus Nevritidis species sunt, quae rheumatico e fonte prosiliunt.

1056. Longe obscurius incedit phlogosis pulpae nervosae (Nevromyelitis), vel gangliorum (Gangliïtis); confunduntur enim tunc phaenomena, quae inflammationem in genere denotare solent, plurimum imperfecte evoluta, cum symptomatibus nervosis, hyperaesthesiam, vel spasmum indicantibus. Toties inde nonnisi e juvantibus et nocentibus, vel ex oculari inspectione, aegro jamjam defuncto, occultae nevritidis existentia innotescit, quae durante aegri vita varias simulabat nevroses. — Quatenus membrana retina oculi nonnisi expansionem substantiae nervi optici sistit, etiam ejus inflammatio huc referenda foret (Amphiblestroditis.)

1057. Inter causas inflammationis nervorum recenseri merentur omnes stimuli mechanici aut chemici, uti vulnera, fracturae ossium, ustiones, corpora peregrina infixa; porro specificae quaedam potentiae systemati nervoso per excellentiam infensae, uti opium, contagium typhosum, venenum hydrophobicum, electricitas positiva, animi pathemata, quae eodem tempore, quo nervorum ramos offendunt, vix non semper sensorium commune ad vividiores

reactiones incitant. Lux, sonus, effluvia odorifera particulares pro nervo optico, acustico aut olfactorio injurias sistunt.

1058. Potiores nevritidis exitus sunt posthuma dynamica (§. 844), bypoclepsis serosa, et gangraena. Morbosam serosi laticis collectionem, quam in vagina nervi ischiatici post infauste terminatum ejusdem nominis morbum invenire licet, pro nevrolemmitidis chronicae effectu potius, quam pro mali causa, uti celeb. Cottunius voluit, declarari debet. Nevromata, sive tumores e luxuriante et qualitative alienata substantia medullari nervorum orti, quos recentiori aevo cel. Swan (1) et Descot (2) exactius illustrarunt, mox lentae nevritidis effectum sistunt, mox eam duntaxat sociam habent. — Mutationes, quas nervi diutius inflammati post mortem offerunt, sunt: consistentia massae pulposae aucta; friabilitas abnormis; vasculorum turgor sanguineus et vaginae spissamentum.

(1) Swan Preisschrift über die Localkrankheiten der Nerven. A. d. Engl. v. Franke. Leipz. 1824.

(2) Descot über die örtlichen Krankheiten der Nerven. Bearb. von Radius. (In Bibliothek der ausländ. Literatur für Medicin. 4. B. Leipz. 1826.

1059. Therapia inflammationis nervorum, aliorumque organorum, quae intensiorem sensilitatis gradum offerunt, solis antiphlogisticis nunquam absolvitur, eorum majorem cautelam injungit, atque aptam cum remediis narcoticis combinationem exposcit. Insignem vero in leniendis chronicae nevritidis effectibus laudem sibi promeruerunt oxyda, et sales quorumdam metallorum, praecipue praeparata Saturni, Zinci, Bismuthi, et Mercurii, quorum sedantes virtutes a quibusdam neotericis acriter propugnantur.

INFLAMMATIO VASORUM.

ANGIOITIS.

J. Schmuck, Diss. sist. observationes med. de vasorum sangui feror. inflammatione. Heidelb. 1795.

J. G. Sasse, Diss. de vasor. sanguiferorum inflammatione. Hal. 1797.

Spangenberg, über die Entzündung der Arterien und deren Ausgänge. In Horn's Archiv. Band V. 1804. S. 269.

Schwilgue Faits pour servir à l'histoire des inflammations veneuses et arteriellrs (In Biblioth. médicale. Tom. XVI. p. 190. — 1807.

Hodgson, Abhandlungen über die Krankheiten der Arterien und Venen. Aus dem Engl. von Kreysig. Hannover 1818.

Locatelli Diss. de Angioitide, sive de vascularis sanguiferae provinciae inflammationibus. Patavii. 1828.

1060. Inflammatio diversorum, qui corpus humanum perreptant, canalium, (Angioitis), non minus ac illa nervorum antiquitus plurimum praetervisa, recentiorum primo medicorum adcuratiori observatione, ac praesertim magni P. Frankii experientiis clarius innotuit.

1061. Juxta vasorum diversitatem tres distinguuntur inflammationis species, arteriarum utpote, Arteriïtis; venarum, Phlebitis; et vasorum absorbentium, Lymphangioitis.

1. ARTERIITIS.

1062. Inter phlogoses venarum salientium principalem attentionem meretur aortae inflammatio, Aortitis; cujus mentionem jam in Aretaei Cappadocis, observatoris illius graecae antiquitatis exactissimi, opere aureo invenire licet: »Quibusdam et arteria secundum dorsum inflammatur, quod pulsatio in alteris praecordiis manifestat.«

Araetaei Cappadocis, de Causis et signis acutor. morbor. Lib. II. C. 8. Edit. Boerh.

1063. Quae aortae in thorace decurrentis inflammationem comitantur symptomata, cum illis carditidis prorsus collimant, propter intimam cordis cum aorta thoracica connexionem functionisque identitatem; quare etiam ad lectum aegrorum cum certitudine vix unquam cognosci poterit. — A quibusdam practicis propria huic inflammationi dicuntur: tussis constans et valde tumultuaria, dysphagia, ructus non levantes, dolor et pulsatio versus claviculam sinistram (1). Si tamen verum fateri licet, parum interest, ut subtilis illa inter cordis, et ma-

gnae arteriae thoracis inflammationem distinctio fiat, cum inde neque prognosis, neque therapia modificationes patiatur.

(1) Kreysig, Krankheiten des Herzens. 2 Th. S. 124.

1064. Quo magis aortae phlogosis a circulationis centro distat, et quo magis versus imi ventris viscera extenditur, eo facilius dignosci poterit, praesertim si acutum tenet decursum. — Praeter universalem et insignem luctam in toto systemate circulatorio parietes arteriarum inter et liquorem contentum, quam calor, et sitis intensissima, pulsuum ratio, turgor vitalis, sanguinisque phlogistica crasis, uno verbo: febris angiosthenica vehementissima facile patefacit, insolita quoque aortae ventralis, ad scrobiculum cordis maxime conspicua, suboritur palpitatio, plerumque aequalis, cordisque motui, obscuriori reddito, synchrona. Haecce pulsatio, aegris summe molesta, continuam producit inquietudinem unde in nullo fere situ acquiescere possunt, minime vero in dorso, juxta cujus longitudinem saepe adeo vehementes esse solent ictus, ut omnem somnum arceant. Obtusa notalgia, sive dedolationis lumborum species, cum intestini ardoris, aut flammae descendentis sensu constanter observatur; aeger vero sese comburi existimat. Anxietas, spirandi summa difficultas, tussis pertinax, et inanis, aliaque peripneumoniae symptomata tanto evidentius evolvuntur, quanto vicinior thoraci fuerit aortae ventralis inflammatio. A suspiriis replicate tentatis aliquod levamen, etsi transitorium, percipitur. Summo autem systematis arteriosi incendio nullatenus respondet superficiei externae color, incitatus enim in principio morbi turgor vitalis, sub ejus fastigio non raro in squalidum pallorem vertitur, cujus phaenomeni ratio e sanguinis massa versus majores vasorum truncos repulsa concipi poterit.

1065. Angioitis in chronicum nitens decursum, multo magis arduum diagnoseos objectum sistit, atque plurimis in casibus nonnisi conjecturae occasionem praebet; etenim per se sola vix unquam existit, sed plerumque in connubio cum organicis vasorum vitiis, uti cum aneurysmate,

polypo, ossificatione decurrit, quorum malorum vel causam, vel effectum constituit.

Jemina sull' Aortitide toracica. (In Repertorio medico-chirurgico di Torino. 1825. Settembre.)

1066. Cognitio inflammationis arteriarum minoris diametri, praesertim in extremitatibus, desumitur ex dolore fixo, urente, ex pulsatione insolita ac vehementi, calore partis mirum in modum aucto, febre inflammatoria, nec non ex causa praegressa, plurimum mechanica, vel ex organico quodam vitio arteriarum ramificationibus infenso, atque propriis signis eruendo.

1067. Causis, arteriarum phlogoses producere solitis, adnumerari prae aliis debent violentiae traumaticae, quae distendendo, lacerando, pungendo, contundendo agunt. Ob magis profundam vero canalium arteriosorum situationem partium adjacentium, vel saltem superficialium laesio contemporanea vix non semper efficitur. Reliquae causae majoribus truncis, ac in specie aortae, inflammandis pares combinant exacte cum illis carditidi et febri angiosthenicae propriis, atque non raro in atmosphaerae, climatis, vel epidemiae constitutione sunt quaerendae, cujus malefico influxu alterata sanguinis crasis majoremque stimulandi vim adepta, principem angioitidis culpam gestare videtur. Oxygenium et calor specificos pro systemate vasorum stimulos sistunt. Inter potentias chemicas spirituosa primum sibi vindicant locum, praesertim liquores cremati, sive alcoholici, vinorum certae species, uti vina generosa, densa, vetusta, quae, dum majori sorbillantur copia, manifestissimam irritationem angioiticam incendunt. An non ebrietas specimen transitoriae angioitidis, vel saltem angiostheniae dici posset? Quidam auctores aortae inflammationem e catarrhis, e rheumatismis pertinacibus (1), e retropulsis exanthematibus, arthritide, syphilide, phthisi, ac e blennorrhoea genitalium diutina ortam referunt. Animi pathemata, quae systema vasorum vehementer concutiunt, atque sanguinis motum impetuosum reddunt, uti terror, ira, zelotypia, pariter inter momenta causalia referri merentur.

(1) Testa, sulle malatie del cuore.

1068. Inflammatio vasorum majorum plerumque infelici eventu terminatur; ea tamen cum differentia, quod angioitis acuta intra paucos dies e medio tollat aegrum, nobilissimo circulationis et respirationis munere sublato; chronica e contrario variis consectariis immedicabilibus infaustum finem imponere soleat.

1069. Potioribus angioitidis posthumis adnumerantur: tunicarum incrassationes, pseudomembranae, et concrementa polyposa, ceu effectus hypoclepseos lymphatico-plasticae; ossificationes membranae internae; aneurysmata (in stricto eximii Scarpae sensu) destructo per lentam phlogosin membranarum robore ac elatere, undae sanguinis resistendae necessario; exulcerationes, quae quidem lentissimo, et clandestino procedunt passu, ast eo magis irresolubiles partium adjacentium devastationes, viscerum consumptiones, vertebrarum cariem, kyphosin, ac tabem purulentam gignunt, quorum scaturiginem saepe saepius perquam difficulter, vel conjectura tantum adsequi licet. (1) Quae de formatione puris intra cancellos alveorum arteriosorum a nonnullis medicis notantur exempla, dubia nobis videntur, potius ad hypoclepsin puriformem releganda, cujus origo ex internae tunicae (serosae) phlogosi facilius concipitur; novimus enim neque pus, neque alium humorem secretorium a sanguinis massa immediate separari posse, idque unice vasorum capillarium munus esse. — Arteriae acuta angioitide peremptorum speciosum ac subtilissimum exhibent rete, vasculis capillaribus innumeris, sanguinem citra normam vehentibus, conflatum; superficies interna plus minusve obscuram rubedinem contrahit, nitorem naturalem amittit, ferme villosa adparet, et a reliquis stratis facile secedit. Pari tempore tunicae vasis inflammati inspissatae cernuntur, minoremque ac in statu integritatis offerunt elasticitatem. — Vehementer vero falluntur illi, qui ex solo rubore vasorum jam ad eorum inflammationem concludunt.

(1) Plancus Epistola de monstris. In Morgagni de sedibus et causis morborum. Epist. XXVII. Art. 30.

1070. Concretio arteriae dissectae aut ligatae, ceu

salubris efficientiae plasticae nisus, nihil aliud est, quam exitus arteriitidis adhaesivae, mechanico stimulo inductae, ac propter serosam internae tunicae naturam in hypoclepsin plasticam tendentis. Omni adtentione dignae, relate ad hocce objectum sunt Antonii Scarpae (1), indefessi scrutatoris, observationes et experientiae, quae multa et utilissima circa arteriarum ligaturas lumina spargunt.

(1) Memoria sulla legatura delle principali arterie. Pavia 1817.

1071. Medela inflammationis vasorum majorum iisdem dirigitur regulis, quas in capite de carditide, et pneumonitide fusius exponere oportebit. — Venaesectiones generosae, et repetitae, ast, ob animi deliquia facile secutura, prudenter dirigendae, sacram semper in lugubri hocce malo sistunt anchoram. Reliqua adminicula ex vasto adparatu antiphlogistico depromuntur, seligendo ea, quae per eminentiam in systema arteriosum agunt, ejusque justo magis exorbitantes reactiones non minus, ac sanguinis effervescentiam sedant. Praeter usum potuum temperantium, emulsionum nitratarum, acidorum vegetabilium, specificos quoque Digitalis purpureae et sacchari Saturni virtutes debita circumspectione tentare licet, postquam iteratae phlebotomiae desideratas praestare recusarunt opes. Frigida epithemata loco pulsanti adplicita semper notabilem euphoriam adducere vidimus, quare etiam internus glaciei conditae usus convenire potest.

PHLEBITIS.

Longuet, Inflammation des veines. Paris 1815.
Puchelt, das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen. Leipzig 1818.
Dance et Arnolt über Venenentzündung und deren Folgen. A. d. franz. und engl. übers. von Himly. Januar 1830.
Robert Lee Pathol. Untersuchungen über Entzündung der Venen. (Neue Samml. auserl. Abhandl. XV B. 1831. S. 357.)
Thymen Diss. de Phlebitide. Berol. 1831.
Eberstaller Diss. de Phlebitide. Vindob. 1832.

1072. Venarum inflammatio, illius arteriarum adinstar, vel e dynamicis tum externis, tum internis proficiscitur causis, vel vero mechanicis aut chemicis potentiis,

violento magis modo agentibus procreatur. — Primo in casu majores venosi systematis truncos infestat, uti venas cavas, pulmonales, venam sine pari, venamque portarum; ad lectum aegrorum tamen cognosci aut determinari vix poterit, cum ejus phaenomena illis inflammationis aortae (nam et venae majores pulsant) organorumque contiguorum summe analoga sint. — Dum ejusmodi anceps occurrit casus, sufficit determinasse, quod focus inflammationis in vasis sanguiferis majoribus, vel in eo organo lateat, cujus ramus venosus principalem phlogisticae irritationis partem alit.

1073. Altera phlebitidis species, quae nimirum ex violentis originem trahit potentiis, in qualicunque occurrere potest corporis regione. Praeter notionem causae procatarcticae, ejusque agendi rationis, venae inflammatae ideam concipimus ex tumore et rubore circumscripto, dolore ardente, qui, chordae tensae adinstar, juxta venae sauciatae decursum propagatur, atque ex turgore notabili, quasi farciminoso, venarum adjacentium, quibus omnibus febriles turbae constanter succedunt.

1074. Communissimam phlebitidis externae prophasin largitur venaesectio inepte facta, saepius in eodem loco repetita, vel alia qualiscumque pertusam venam irritans circumstantia, praesertim vituperandus quorumdam chirurgorum mos, inflictum ante horas vulnus, si recentis emissionis necessitas urget, rudi marginum, vix conglutinatorum diductione aperiendi (Adersprengen). Non infrequentes etiam esse solent inflammationes varicum, praesertim haemorrhoidalium. Meckel et Osiander inflammationem venae umbilicalis morte terminatae aliquoties observarunt (1), quae inflammatio cum erysipelate neonatorum in arcto nexu existere videtur. Abercrombie et Ribes (2) exempla chronicae inflammationis sinuum cerebralium retulerunt. Davis (3) venas iliacas et femorales in casibus phlegmatiae dolentis puerperarum inflammatas invenisse testatur.

(1) Sasse, Diss. de vasorum sanguiferorum inflammatione. pag. 32.

(2) F. Ribes Mém. sur la phlébite. (In Revue médicale. Juillet. 1825. p. 36.)

(3) Davis an Essay on the proximate cause of the disease called phlegmatia alba dolens. (In Medico-chirurg. Transactions. Tom. XII. p. 419.)

1075. Exitus phlogoseos venarum majorum iidem sunt, quos inflammatis arteriis proprios esse diximus (§. 1069). Sauciata vero ope lanceolae vena, non minus ac varix inflammatus plerumque in suppurationem abeunt.

1076. De cura phlebitidis nihil notandum venit, quod particularem, relate ad substratum venosum, adtentionem mereretur.

1077. Ab Aretaei temporibus, qui venae cavae inflammationem clarissima descriptione delineavit (1), usque ad saeculum mox praeteritum adtentionem medicorum effugisse videntur venarum phlogoses, quarum frequentiam prae caeteris comprobavit J. Hunter (2), plurimis ad objecti collustrationem usus experimentis. Serius eidem argumento dilucidando specialius insudarunt Abernetty, Sherwen, P. Frank, Meckel, et Sasse; quorum utiles observationes Reilius in sua Pyretologia (3) collegit. Recentiori aevo pathologiam systematis venosi, atque doctrinam de ejus inflammationibus excoluerunt Puchelt, Palletta, Hodgson, Gendrin, aliique plures.

(1) Aretaei Cappad. de Caus. et signis Acut. Lib. II. Cap. 8.
(2) Medic. Commentar. 3 T. pag. 465.
(3) Reil's, Fieberlehre. 2 B. 5. Cap.

LYMPHANGIOITIS.

Goodlad (Wil.) Practical Essay on the diseases of the vessels and glands of the absorbent System. London. 1814.
Alard de l'inflammation des vaisseaux absorbans lymphatiques dermoides et souscoutanés. Paris. 1824. 2. Edit.
Fedeli de Lymphangioitide ejusque formis diversis. Patav. 1825.
Benvisti Storia d'una malattia di quasi tutto il sistema linfatico, con cenni sull' infiammazione di questo sistema. Milano. 1823.

1078. Extra omnem dubitationis aleam positum est, vasa absorbentia, non minus ac alias organismi partes, inflammari posse, si positivorum stimulorum influxui exponuntur. Latet autem in ipsa alveorum lymphaticorum structura, et quidem maxime in irritabilitate et

sensibilitate organica languidiori, quod minorem in processum phlogisticum manifestent dispositionem, quod hic ipse congestionis simplicis limites raro excedat, lentum praediligat decurrendi modum, ac ideo saepe saepius oculatissimi observatoris adtentionem effugiat. In multis tamen morbis cachecticis et pseudoplasticis lymphangioitis certe multo magis essentialem, quam hactenus credebatur, partem agit.

1079. Praeter consuetas potentias irritantes, tum mechanicas, cum chemicas, vasorum lymphaticorum phlogosin producere solent certae quaedam dyscrasiae, quae mox a vitiato assimilationis munere, mox a specifico fomite miasmatico vel venenato nascuntur. Huc spectant: dyscrasia scrofulosa, et variolosa; resorptio ichoris, uti in ulceribus malignis, cancro, carie, miasmatum et venenorum, in specie viri blennorrhoici, venerei, veneni hydrophoborum; morsus et puncturae viperarum, vesparum; — hydrargyri, tanquam remedii systema lymphaticum eminenter excitantis, usus protractus, praesertim externus; dolorosae inflammationes extremitatum, uti panaritium, periostitis, gonarthrocake, per consensum propagatae. Recentiori aevo peculiarem medicorum praecipue Anglorum adtentionem excitarunt inflammationes vasorum lymphaticorum, quae ab inflictis occasione sectionum anatomicarum vulneribus, resorpti tabi cadaverosi gratia nascuntur (1). Ipsum denique puerperium et comes plethora lactea ortui inflammationis vasorum lymphaticorum patrocinatur, teste phlegmatia dolente, hujus probabiliter progeniei.

(1) Colle's Beobachtungen von den gefährlichen Folgen kleiner bey Zergliederung empfangener Wunden. (In der Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. 30 B. S. 557). — Aitkin Jonstone Essay on the effects of the Punctur received in Dissections. Edinb. 1826.

1080. Nisi summe scrupulosus habeatur causarum occasionalium, atque praexistentis labis morbosae in systemate lymphatico respectus, perquam difficilis esse solet lymphangioitidis diagnosis; lubenter enim circumfluus textus cellulosus una inflammatur, unde malum pro phlegmone diffusa haberi solet. Potioribus phaenomenis

accensentur: dolor tensivus, urens, plus minusve vehemens, superficialis, juxta vasorum decursum diffusus; striae sub cute rubicundae, radiatae, valde sensibiles, quandoque funis nodosi adinstar usque ad proximas glandulas lymphaticas protensae, quae pariter tument ac dolent; dysphoria membri adfecti; ejusque intumescentia mox erysipelacea, mox oedematosa; febris irritativa. — Obscurissima vero manet inflammationis in vasis resorbentibus profunde decurrentibus, ductuve thoracico latentis conjectura cujus ultimae exempla retulerunt Astley Cooper, Andral junior, et Gendrin.

1081. Quatenus lymphangioitis plerumque sympathicam vel symptomaticam constituit passionem; eatenus etiam in organicas metamorphoses raro abit, verum resolvi amat primitivo irritamento sublato. — Chronicae vasorum lymphaticorum phlogoses, diathesi scrofulosa, aliave cacotrophia fotae, quandoque tumoribus lymphaticis originem dant. — Inflammationes traumaticae consuetos exitus petunt; quae e resorpto viro cadaverum exenteratorum oriuntur, in vastas saepe abeunt suppurationes, atque periculi plenas concitant febres typhosas.

1082. Therapia plus minusve antiphlogistica debitam simul coëxistentis labis universalis rationem, nec non specificae causae, si fieri potest, amotionem injungit.

INFLAMMATIO MEMBRANARUM.

HYMENITIS.

Lejeune Inflammation du système muqueux. Paris. 1805.
Sauveur de la Villeroye Essay sur les inflammations du système séreux et synovial. Paris. 1812.

1083. Inflammationem diversarum membranarum, texturam organismi humani componentium, generali nomine hymenitidis insignimus, cujus tot species in praxi occurrunt, quot systema membranosum includit sphaeras sibi subjectas.

1084. Neglecta ab antiquis membranarum in processu vitali dignitas, earumque anatomica indago, prae aliis, Bichati incomparabilis adtentionem excitavit (1), quo

landabiliter praeeunte, complures recentioris aevi Medici sterilem huncce campum, physiologico aeque ac pathologico intuitu, excolere adnitebantur, ita quidem, ut hodie am utilissimos inde fructus colligere licuerit.

(1) Bichat, Abhandlung über die Häute. Aus dem Französischen v. Dörner. Tübingen 1802.

1085. Systema membranarum quatuor principales amplectitur sphaeras, quarum quaevis non solum textura et fabrica, verum etiam functione, modo, quo cum aliis symphatice vel antagonistice nectitur, vel separatur, pari in easdem injurias receptivitate, ac morborum ipsorum, quibus subjacet similitudine, abunde distinguitur; sunt nempe membranae mucosae, serosae, fibrosae, et corium. Hinc etiam quatuor, quoad speciale substratum differentes, inflammationes membranarum stabiliri debent: 1) Blennymenitis (a βλέννα mucus, et ὕμεν membrana); 2) Orrhymenitis (ab ὄρρος serum); 3) Inophlogisma (ἰς, ἰνὸς fibra); et 4) Dermatitis.

1086. Quae plures, magisque explicatas conditiones, pro subeundo processu phlogistico necessarias offerunt, sphaerae systematis membranarum, uti corium et velamenta mucosa, seu organa vasis capillaribus ditissima, multo facilius inflammantur, ipsaque earum irritatio morbosa ad verae inflammationis potentiam frequenter evolvitur; ubi e contrario in partibus serosis, et praesertim fibrosis simplicis symphoreseos cancellos rarius excedit.

1087. Diagnosis harum phlegmasiarum desumitur e generalibus inflammationis signis, cum specificae functionis, singulis membranarum sphaeris juxta normam competentis laesione computatis. Ita blennymenitis alterata muci secretione et excretione; orrhymenitis dolore acerbo, punctorio, tensivo, remittente, et vago, — serosi vaporis exhalatione vitiata, — productione concrementorum calcareorum, ac nisu in metaschematismum; dermatitis omnibus externis phlogoseos signis, et successivo epidermidis secessu distinguitur.

1088. Sunt autem nonnisi causae specificae et relativo modo agentes, quae singulas membranarum superficies

eum in modum irritare valent, ut subortae inflammationis symptomata illarum limites non excedant, atque hymenitis segregata et solitaria compareat. Has inflammationes membranarum illegitimas, sive specificas nuncupamus, suo loco fusius exponendas.

1089. Causae e contrario violentiores, tanquam stimuli positivi absoluti, et phlegmoni producendae unice idonei, quarum etiam altior gradus requiritur, ut in membranis simplicibus, serosis v. g. et praesertim fibrosis, vere phlogisticus status induci queat, — vix non semper actionem suam ad organa subjecta, et vicina extendunt; unde hymenitidis, hocce in casu phlegmonosae, signa cum phaenomenis organi subjacentis vel contigui, in suo munere laesi, junguntur. Ideo v. g. dermatitis traumatica textum cellulosum constanter in sphaeram reactionis morbosae trahit: erysipelas phlegmonodes; ideo pleuritis biastica (violenta) absque pulmonum synchrona phlogosi nunquam occurrit; nunquam peritonaeitis traumatica sine contemporali intestinorum incendio, et s. p.

1090. Ex hisce praemissis facile liquet superfluum fore, hic singulas hymenitidis species pensiculatim exponere, cum alioquin in tractatu de inflammationibus particularibus et specificis fusius explanari debeant.

INFLAMMATIO MUSCULORUM.

MYÏTIS.

Isenflamm, Diss. de musculorum pathologia. Erl. 1774.
Ploucquet, Diss. de myositide et nevritide. Tub. 1790.

1091. Omnis aevi medicorum experientiae docuerunt, fibram muscularem rarissime inflammari, atque illas, quae visae fuerunt, musculorum phlogoses et suppurationes, horum potius vaginas, textumque cellularem fibris interpositum adfecisse. Haec etiam est ratio, cur apud antiquos de inflammatione musculorum nulla occurrat mentio; quapropter neoterici in ipso nominis selectu vaccilabant, atque unus myositidem, alter myonitidem adpellabat, quae juxta linguae graecae genium, monente Krausio et Kühnio, potius Myïtis dici deberet.

1092. Si spectamus, irritabilitatem in partibus carnosis ad summum evolutam esse gradum, revera difficulter hujus phaenomeni rationem concipimus, nisi eam in nimis stricta et simplicissima musculorum structura, ac admodum lenta, cui subjiciuntur, elementorum permutatione quaerere vellemus.

1093. Ex hacce minori musculorum in phlogosin pronitate liquet etiam necessitas potentiarum magis violentarum, ut similis produci queat effectus. Causis procatarcticis myïtidis prae aliis accenseri merentur: traumata, distensiones, ac distorsiones fibrarum muscularium, lapsu, nixu, ponderum elevatione inductae, laesiones aponeurosium aut tendinum, rheumata pravo tractamine, aut alius irritamenti accessu exacerbata. Myïtis rheumatica vero non in fibris carneis, sed in vaginulis seroso-fibrosis substratum agnoscit, uti suo loco docebitur.

1094. Phaenomena, e quibus ad praesentiam inflammationis, vel, quod multo crebius accidit, symphoreseos activae in aliquo musculo obortae concludere licet, sunt: dolor vehemens, lacerans (reissend), fixus; motus difficultas, aut perfecta immobilitas artus, quin alia pateat causa; sensus formicationis, vel stuporis (myonarcosis) in membro adfecto; subsultus tendinum, vel tetanica vicinorum musculorum rigiditas (contractura, ankyle); febris inflammatoria comes.

1095. Excepta myïtide traumatica, quae omnibus locis oriri potest, frequentiores in praxi species sunt inflammatio linguae, musculorum intercostalium, et abdominalium, diaphragmatis, et psoae, quarum fusiorem descriptionem suis inseremus locis.

1096. Quemadmodum musculi automatici, qui ad organicam referuntur vitam, uti oesophagus, cor, ventriculus, intestina, vesica urinaria, a musculis voluntariis anatomico et physiologico intuitu discrepant, quatenus in se ipsos revoluti conceptacula sistunt variae figurae, ossibus nullibi adhaerent, veris tendinibus carent, cum stratis membranosis, quibus amiciuntur, intime cohaerent, atque a nervis gangliaribus potius quam a medulla spinali gubernantur; ita etiam eorum phlogoses a consueto myïtidis

typo deflectunt, ac ideo potius splanchnitidis speciebus inseruntur.

1097. Potiores, quos inflammatio musculi praediligere solet, exitus, sunt posthuma dynamica, irritabilitatis excessu, vel languore secundario inducta; unde tetani aut paralyseos origo. Atque hoc intuitu myïtis cum nevritide aliquam ostendit analogiam, quam similiter dualistica antithesi mox hypererethisiam, mox torporem relinquere diximus. — Inter consectaria organica transudatio lymphae a medicis, ceu communissima notatur; haec autem denuo confirmaret eminens myïtidis substratum serosas carnium vaginulas potius, quam fibras musculares esse, illis enim per excellentiam nisus in hypoclepsin competit. Suppuratio, quae traumaticas musculorum inflammationes, vel rheumata diuturna, aut male tractata excipere visa est, plerumque maligni moris esse consuevit, adeo, ut totam massam in saniosum liquorem dissolvat. — Denique obnoxii sunt musculi peculiari cacomorphosi organicae, cum per abnormem reproductionem, cumulatis phlogisticis principiis, in massam lardaceam, vel adiposocream vertantur (1), quo lentam phlogosin sub auspiciis certarum dyscrasiarum plurimum contribuere, summe verisimile est. Aliarum saltem inflammationum transitum in substantiae organicae specificas mutatiores (exallaxes) jam alibi (§. 868) indicavimus.

(1) Ueber die Verwandlung des Muskelfleisches in Fett-Substanz, von Martin dem Aeltern und Jüngern. (Reil's Archiv. IV. p. 189. etc.)

INFLAMMATIO GLANDULARUM.

ADENITIS.

1098. Considerata majori glandularum ad subeundam inflammationem pronitate, — cujus rationem non solum vasorum capillarium nimietas, ac textura cellulosa, sed etiam intima, quam cum systemate irritabili, et reproductivo conservant, relatio includit, — sine negotio Adenitidis frequentia concipitur. Ideo etiam saepius potentiae relativo modo incitantes ei producendae sufficiunt.

1099. Generalia, quae glandulam inflammatam comitantur, phaenomena sunt: tumor notabilis, durus, calens, circumscriptus, sphaeroideus; dolor obtusus, pulsatorius, minoris, quam in membranaceis organis observari solet, intensitatis; secretionis specificae munus, cui glandula praeest, nunc praeter normam incitatum, nunc plane interceptum, prouti gradus inflammationis minor vel major fuerit, saepenumero in qualitate vitiatum; febris comes glandulae dignitati, ac inflammationis vehementiae respondens; quandoque sympathicae in pluribus ejusdem ordinis organis irritationes.

1100. Inflammatio glandularum, tanquam simplex productum stimuli cujuscunque, sive absoluti, sive relativi considerata, absque ullo ad specificam causae producentis actionem, vel dyscrasiae particularis existentiam habito respectu, nullam omnino differentiam admittit, nisi quae e glandulae ipsius diversa structura et functione dependet.

1101. Primam prosapiam componunt inflammationes glandularum lymphaticarum (Lymphadenitis), quae, quoad originem, decursum, et symptomata, cum vasorum absorbentium phlogosi plurimum conveniunt. Parum dolent, nisi molestas excipiamus tensiones, quae per contiguorum vasorum ramificationes disperguntur, lente decurrunt ob minorem substrati in sphaera organica dignitatem; dum resolvi recusant, in suppurationem et sclerosin nituntur; quoad originem nunc sympathicos sistunt alius irritationis, vel vicinae, vel remotae, adfectus, (quo in casu, dum congestionis simplicis limites non excedunt, in organica quoque non abeunt vitia); vel vero specificae cujusdam dyscrasiae, scrofulosae, aut venereae sobolem. Admodum frequens glandularum inguinalium inflammatio bubonis nomine nota est. Quae glandulas mesaraicas prehendit, mesenteritis compellatur. Hujus aeque ac phlogoseos glandularum bronchialium diagnosis maximis premitur difficultatibus, praecipue dum chronicum tenent decursum; unde plerumque nonnisi conjectura adsequi potest, habito ad genitricem diathesin respectu.

1102. Altera familia includit phlogoses glandularum conglomeratarum, quas inter glandulae la-

crymales, salivales, mammae, pancreas, glandula prostata, et testes primum locum tenent. Inflammationis sedes, substrati ac secretionis in qualitate et quantitate alteratae diversitas diagnosin plerumque facilem reddere solent, ipsasque denominationes regunt. Ita dacryadenitis, sialadenitis, mastitis etc., de quibus in specialis pyretologiae decursu.

1103. Inflammationes viscerum glandulosorum, uti hepatis, renum, ovariorum, splanchnitidis speciebus inseruntur; glandularum e contrario mucipararum et sebacearum illae ad relativas systematis membranosi sphaeras pertinent.

1104. Praeter generales injurias, inflammationi creandae pares, adenitidis origini specialius favere novimus quasdam dyscrasias, et specificos fomites miasmaticos; uti est cachexia scrofulosa, particularis, quae skirrhosin et carkinoma invitat, reproductionis organicae labes, miasma venereum, pestilentiale. Existunt denique adhuc certa quaedam stimulorum genera, quibus singulae secretiones incitari, et in qualitate alterari solent, modo nondum sufficienter noto, ac a nonnullis secundum electivae adfinitatis leges concepto. Ita Mercurius pro glandulis salivalibus, Cantharides pro renibus specificum suppeditant irritamentum.

1105. Omnes glandulae, ipsaque organa illis analoga, dum inflammantur, eminentem patefaciunt nisum in suppurationem, in parectama, et indurationem; id autem particularis habent, quod si obduruerint, creberrimas patiantur recidivas, quibus non solum durities augetur (skirrhus), sed etiam specifica liquationis funestissimae species inducitur, canceraticae nomine nota.

1106. Phlogoses glandularum, quae ductibus excretoriis carent, atque secernere dicuntur, quin excernant, uti sunt glandula thyreoides, thymus, et capsulae suprarenales, ob substrati naturam et functionem densis adhuc tenebris obvolutam, ipsamque ideo diagnosin summe ambiguam, a plerisque auctoribus praeteritas cernimus. — Manifestae autem horum organorum mysteriosorum cacomorphoses, cadaverum autopsia detectae, quas in aliis partibus constantem inflammationis effectum esse novimus, praegressae et obscure delitescentis

phlogoseos existentiam abunde vindicant. Eruta fors quondam eorum dignitas et finis in organismo sano, majus quoque circa morbosas adfectiones lumen spargere poterit.

INFLAMMATIO VISCERUM.

SPLANCHNITIS.

Jolly Phlegmasies des organes parenchymateux. Paris. 1812.

1107. Nimia functionis et structurae viscerum diversitas generales, qui eorum inflammationem distinguere possent, characteres exponere vetat. Quare nonnisi pauca subjungenda restant, reliqua ad specialem tractatum de inflammationibus particularibus relegando.

1108. Principalis viscerum in parenchymatosa et utriformia (schlauchartig) discessus, notabilem quoque inflammationis differentiam ponit. Viscera parenchymatosa, quae in formationem solidorum, humorumque crasin plurimum influunt, uti pulmones, hepar, lien, facilius inflammantur, clariorem phlegmones imaginem praesentant, in organicas cacomorphoses libenter nituntur, cum systemate nervoso minus cohaerent, sub decursu inflammationis parum dolent, et peculiaribus dyscrasiis evolvendis favent; pulmones phlogisticae, hepar biliosae, scorbuticae lien. Quae vero utris formam habent, uti ventriculus, intestina, vesica urinaria, diversis substantiis animalibus colligendis et retinendis destinata, in statu phlogoseos cum variis speciebus hymenitidis conveniunt, acerbos dolores pariunt, symptomatibus nervosis frequenter stipantur, transitum in hypoclepsin et gangraenam praediligunt, et constanter contentorum vel retentione, vel uberiori secessu comitata cernuntur.

INFLAMMATIO JUNCTURARUM.

ARTHRITIS.

Moffait Phlegmasies des membranes synoviales des articulations. Paris. 1810.

Brodie Pathological and surgical observations on the diseases of the joints. London. 1819. — Aus dem Engl. von Holscher. Hannov. 1821.

1109. Quamquam membranae synoviales et ligamenta capsularia, quae proprie juncturas constituunt, jam prius (§. 1085) expositis membranarum speciebus includuntur, cum haec ad fibrosas, illae ad serosas membranas pertineant; nihilominus tamen inflammationes articulationum separare voluimus, quoniam hae proprium quasi systema formant, harmonicam componendo catenam, atque mirifica sympathia in statu tam sano, quam morboso junguntur.

1110. In ipsa partium juncturas componentium structura, vasis capillaribus ferme experte, sufficiens latet ratio minoris in phlogosin dispositionis; inde etiam est, quod stimulorum relative agentium influxus nonnisi congestionem simplicem inducere soleat. Ut igitur vera inflammatio evolvi possit, requiruntur vel incitamenta potentiora, ipsi articulationi immediate adplicita, uti sunt omnia traumata; vel concursus plurium causarum relative incitantium, quae simul sumptae stimuli absoluti vices agunt; vel demum eminens quaedam in organo diathesis, qua stimulorum actio sufflammatur.

1111. Arthritidem phlegmonosam, quam a rheumatica caute distinguere oportet, indicant: dolor acerrimus, fixus, rodens; intumescentia juncturae summopere calens, colore externo parum alterato; membrum flectendi impotentia, et maximi sub quovis tentamine cruciatus; febris comes inflammatoria; causa praegressa violenta, in adfectum locum directa; absentia phaenomenorum rheumaticae aliive diathesi propriorum.

1112. Frequentissima species arthritidis idiopathicae, nunc acutae, nunc lentae, est illa, quae in femoris acetabulo sedem figit, Cotylitis. Altera ad articulationem genu evolvitur, in hypoclepsin celeri plerumque passu abit, et prouti latex seroso-lymphaticus, qui transudat, vel in cavo articulationis, vel in bursis synovialibus juxta genu decurrentibus colligitur, nunc hydrarthrum, nunc spongosin, sive tumorem album producit.

1113. Praeterea arthritidi phlegmonosae sat familiaris esse consuevit transitus in suppurationem, et quidem tanto magis, si cacochymia quaedam una existit, scrofulosa, venerea, aliave. Evolutum in junctura suppurationis

germen, in liquationem saniosam cito vertitur, ossium apophyses arrodit, atque immedicabilem producit articulationis destructionem, Arthrocakes nomine notam. Inde praeter generalia exulcerationis symptomata, varia pro partis adfectae diversitate nascuntur mala, ankyloses, immobilitates, luxationes sic dictae spontaneae, claudicatio, quorum exactiores notiones cupiens, classicam consulat Rustii monographiam (1).

(1) Rust, Arthrokakologic. Wien 1817.

1114. Specificus tandem membranarum serosarum, ad quarum familiam etiam synoviales pertinent, in ossificationes nisus articulis pariter competit, atque coalitum juncturae irresolubilem, ankylosin, producit, effectum secedentis materiae plasticae, calcareo principio impraegnatae.

INFLAMMATIO TENDINUM, APONEUROSIUM ET LIGAMENTORUM.

DESMITIS.

Goelicke, Diss. de tendinum adfectibus. 1734.
Koch, Diss. de morbis bursarum tendinum mucosarum. Lips. 1790.
Goetz, Diss. de morbis ligamentorum etc. Hallae 1798.
Huhn Diss. de rite cognoscenda et curanda systematis fibrosi inflammatione. Halae. 1820.

1115. Inflammationem tendinum, aponeurosium, et ligamentorum, citra articulationum territorium (exceptis utpote capsulis), per varias corporis ditiones distributorum, generali Desmitidis, quod aptissimum nobis videbatur, nomine compellamus, derivato a δεσμος, ligamentum.

1116. Quod de raritate inflammationis legitimae in cunctis membranis fibrosis protulimus (§. 1086), id etiam de supradictis partibus, ad idem systema spectantibus, valet. Sensibilitatis organicae minimus gradus, vasorumque capillarium penuria, praesertim in tendinibus, nisi summe violentae accedant causae, phlogisticum processum quidem evolvi recusant; ast semel inducta phlogosis plerumque pertinax esse consuevit (1). Convenimus autem cum Boerhaavii immortalis adserto, quo, sive tendo, sive

nervus inflammetur, inflammationem potius in tunica vaginali obtinere adfirmatur.

(1) Cheston's Pathologische Untersuchungen und Beobachtungen. Gotha. 1780.

(2) Boerhaave, de morbis nervorum. Francof. 1762. Tom. I. pag. 223.

1117. Singulare, quod ligamentorum, et aponeurosium laesiones et inflammationes plerumque comitatur, phaenomenon est dolor acerrimus, quem nec recentiorum Physiologorum conamina hucdum explicare potuerant in organorum, nervis quasi carentium, serie. Praeterea partes aponeuroticae, et ligamentosae, dum inflammantur, id commune habent, quod neque tumorem, neque ruborem insignem producant; quod in consueta inflammationis posthuma, suppurationem utpote, indurationem et gangraenam, nullum nisum agnoscant, ipsumque in hypoclepsin transitum excludant, unde ab inflammationibus organorum serosorum essentialiter differunt (1); quod tandem sympathicae sub altiori morbi gradu evolutae passiones constanter ad systema musculare referantur, unde mox tetanus, mox convulsiones.

(1) Bichat, über die Häute. Tübingen 1802. S. 192.

1118. Communissima hujus generis inflammatio est illa, quae in partibus ligamentosis, et aponeuroticis phalangum, ipsis nervorum surculis ac periosteo non exclusis, suam sedem figit, atque Latinis Panaritium, Graecis Paronychia (παρα juxta, et ὀνυχος unguis) quibusdam recentioribus Dactylitis (δακτυλος, digitus), Germanis Nagelgeschwür, Wurm am Finger, Italis Patereccio nuncupatur.

Hegner, Diss. de Paronychia Basil. 1780.

Flajani über das Nagelgeschwür (In Kühn et Weigel Ital. med. chirurg. Bibliothek. 2. B. 2 St. S. 50).

Vogt Diss. de paronychia. Viteb. 1803.

Cyvoet Diss. sur le Panaris. Paris. 1807.

1119. Diversae a medicis et chirurgis hujus mali species referuntur (1), quarum nonnullae inflammationis gradum, aliae substratum eminenter adfectum, ac sedem plus minusve profundam pro differentia agnoscunt. Majori simplicitate a Sprengelio (2) bifariam dividitur.

(1) Boerhaave, de morbis nervorum. Francof. 1762. T. I. pag. 238.

(2) Sprengel, Institutiones Pathologiae specialis. Vol. I. §. 316.

1120. Paronychia externa, quae praeter tendines, et aponeuroses phalangum simul externas partes occupat, textum nempe cellulosum, ipsamque cutim, ad phlegmonen vel erysipelas quidem inclinat, ast propter partium fibrosarum passionem peculiari modo modificata decurrit. Nascitur dolor pungens, lancinans, acutissimus, ac pulsatorius, cum tumore ardente, rubro, renitente phalangis extremae; obrigescit digitus, inflammantur vasa absorbentia, glandulae axillares tumescunt, atque totum brachium dolet; noctu tormenta constanter augentur, ac febris incenditur vehemens cum insomniis tumultuosis. — Post aliquot dies vesiculae surgunt albidae, latice seroso farctae, atque manifesta suboriuntur initiantis abscessus signa, quo maturato ac rupto ulcus simplex, vel sinuosum remanet, unguem plerumque depascens.

1121. Altera paronychiae species, quae profundiorem in ipso periosteo, et papillis nerveis ungue tectis sedem agnoscit, priori adhuc majora producit tormenta, assiduo urgentia, eum peculiarem sensum, tamquam filo aeneo, cultello, aut serra digitus praecideretur, creantia. Tumor fere abest, ast plura per consensum sociantur symptomata, maxime nervosa, uti spasmi, spirandi difficultas, singultus, vomitus, subsultus tendinum, virium jactura, febris ardens, cum pulsibus contractis, exiguis, quibus praecedentibus vel gangraena evolvitur, vel chronica ulceratio cum destructione tendinum et carie ossium.

1122. Causae panaritii vulgatiores sunt violentiae externae, uti praecisio incauta unguium, reduviarum, et clavorum pedis; aciculae vel aristae sub unguem intrusae, insectorum puncturae, irritamenta chemica, ut calcis vivae tractatio, (unde obnoxii sunt ii morbo opifices, qui chartam scriptoriam fabricantur, qui saponem conficiunt, caementarii); tandem metastases sub acutis morbis ad phalanges factae.

1123. Therapia paronychiae iisdem prorsus, quae curam antiphlogisticam dirigunt, regulis subjacet. Habito

sedis magis superficialis respectu, a topicis auxiliis semper plus, quam ab internis medicamentis sperandum; unde etiam medela plerumque chirurgis committi solet.

INFLAMMATIO OSSIUM.

OSTEITIS.

Clossius, über die Krankheiten der Knochen. Tübingen 1798.
Schramm, Diss. de ossium inflammatione. Altdorf 1805.
Naumann Diss. de Ostitide. Lips. 1818.
Boyer Abhandlung über die Knochenkrankheiten, und über die dabey angezeigten Operationen. A. d. Franz. von Textor. Würzb. 1819.
Hake Commentatio de ossium inflammatione. Goett. 1821.

1124. Ossium substantia propter notabilem vasorum rubrorum copiam, texturamque cellulosam, illustris Antonii Scarpae experimentis praeclare evictam (1), majorem sane, quam olim credebatur, in phlogoses dispositionem fovet. Sicuti autem rete vasorum capillarium periosteo tam interno, quam externo per eminentiam competit, ipsaque osseae substantiae et medullae permutatio nonnisi mediantibus hisce membranis perficitur; ita quoque omnis inflammatio ossis (osteitis) a periosteo egreditur, ibidem principem focum figit, et ideo periosteitidis nomine indicatur.

(1) Scarpa, de penitiori ossium structura. Lips. 1799.

1125. Symptomata, quibus ad cognitionem inflammationis ossium pervenimus, sunt: dolor profundus, obtusus, rodens, urens, terebrans, tamquam os ab interioribus extrorsum diffinderetur; sensus pulsationis profundae, calor partis adauctus, tumor durus, quin color externus visibiliter alteretur; quandoque gelatinosi liquoris collectio in bursis synovialibus tendinum vicinorum speciem spongosis (tumoris albi) producit. Vesperi omnes cruciatus valde exacerbantur, itidem a calore lecti, musculorum partis adfectae exercitio; a spirituosis contra, ad minutam crapulam potis, levamen saltem transitorium percipiunt aegri, ipsum vero malum exasperant. — Defectus signorum, quae speciales partes inflammatas indi-

care solent, negativo modo ad confirmandam diagnosin concurrere potest. Si osteitis cuidam cacotrophiae universali jungitur, hujus quoque satellites patebunt.

1126. Ossa spongiosa in phlogosin multo proniora observantur, favente praeprimis aetate juniori, quae majori in cunctis partibus succulentia distinguitur, atque specificam in morbos systematis ossei diathesin fovet. Senibus e contrario rarissime inflammantur ossa, propter principii terrestris praedominium, irritabilitatis vero et metamorphoseos progressivae languorem.

1127. Periosteum externum interno frequentius inflammationi obnoxinm esse solet, qua semel inducta notabilem contrahit sensibilitatis organicae, in sano statu vix conspicuae, gradum (1), atque hoc intuitu cum reliquis membranis fibrosis, ad quarum familiam reapse spectat, adprime collimat. Si autem processus phlogisticus ab interna ossium membrana orditur, nullus quandoque excitari solet dolor, ipseque morbus lente ac dolose gliscens facile medici adtentionem effugit, donec posthumis suis malis, suppuratione nempe, aut necrosi, praetervisam, nimis sero, patefaciat existentiam.

(1) Brandel, de sensibilitate ossium morbosa Upsal. 1780.

1128. Osteitis, ceu legitima inflammatio considerata, omnibus, quae hujus genesi favent, potentiis induci poterit; dummodo earum actio versus ossa dirigatur; frequentissimae tamen esse solent violentiae traumaticae, premendo, contundendo, frangendo, vel comminuendo agentes. Sunt autem adhuc specifici quidam osteitidis fontes, qui mox disponunt solum, mox vero excitantes largiuntur causas, uti cachexia rachitica, scorbutica, scrofulosa, dyscrasia variolosa, et syphilitica.

1129. Qualiscunque originis fuerit ossium inflammatio, lente plerumque decurrit, cujus ratio in textura solidiori, minusque rapida elementorum permutatione quaerenda videtur. Febriles turbae sub decursu raro evolvuntur, urgente etiam saepe saepius altiori phlogoseos gradu; ossa enim, tamquam organa ignobiliora cum reliquis organismi systematibus exiguam conservant philadelphiam, minimam autem cum systemate nervorum, et vasorum.

1130. Exitus communiores osteitidis sunt: suppuratio, sphakelus, parectama, induratio, malakia, et pseudorganisatio.

1131. Suppuratio, vel potius colliquatio saniosa ossium, quum rarissima sit plastici puris formatio, sed ichoris acerrimi copiosa secretio, caries sive teredo nominatur. Haec in ossibus spongiosis vix limitari solet, nisi integra consumpta fuerit substantia. Ichor, ab exulceratis secedens ossibus, acerrimus ac foetidissimus esse consuevit, simulque exfoliatis osseae compagis particulis, quasi sabulosis aut nigris moleculis refertur, coloris brunescentis, argentum nigro colore inficiens.

1132. Sphakelus, sive Necrosis cylindricis praesertim ossibus familiaris observatur. Modo lamina externa, modo majora ossis inflammati fragmenta emoriuntur, periphericae suppurationis ope a sanis partibus separanda. Regeneratio substantiae deperditae, particulari perficitur modo, ita, ut partem necroticam proprio quasi alveo undique includat.

Weidmann, Tract. de Necrosi ossium. Francof. 1793.
Ringelmann, de necrosi ossium. Rudolst. 1804.

1133. Parectama, sive volumen ossis unacum ejus massa citra normam auctum, ita quidem, ut elementorum proportio, et intima miscela ne hilum alteretur, haud infrequens esse solet osteitidis effectus, quem praesertim morbus benignus, simplex, e mechanicis causis ortus, in subjectis cachectica aut virulenta dyscrasia defectis producit. Ejus genesis ex incitato per inflammationem nisu plastico, ex uberiori materiae osseae adpositione, illiusque regulari, quae plerumque per strata fieri solet, crystallisatione concipitur. Nomine calli simplicis, aut exostoseos benignae insignitur, atque in cylindricis et compactis ossibus praecipue observatur. Tumor ossis, cujus massa normalem duritie superat, exostosis eburnea dicitur, cujus contrarium vitium sistit osteomalakia, unice ossibus propria exallaxeos species, morbosa utpote substantiae per processum phlogisticum anomalum emollitio, in syphiliticis praesertim subjectis obvia.

1134. Diversa luxuriantis, simulque in qualitate

depravatae vegetationis producta, uti hyperostosis, hydrosteon, spina ventosa, osteosteatoma, illam prae aliis excipere solent osteitidem lentam et anomalam, quae in connubio cum dyscrasia scrofulosa, venerea, aliave decurrit, et prava medela exasperatur.

1135. Ipse demum ossium fractorum coalitus, et callus inde natus, inflammatorio processui, adhaesivae partium solido-mollium inflammationi analogo, tribuendus est, cujus ope plastica efficitur granulatio.

1136. Complurium itaque vitiorum, quae systemati osseo propria sunt, scaturiginem in periostei, ipsiusque substantiae osseae phlogosi, nunc acuta, nunc lenta, nunc simplici, nunc diversis dyscrasiis complicata quaerere oportet; argumentum, quod majorem sane, quam hucusque factum est, adtentionem medicorum meretur.

1137. Therapia inflammationis ossium particularibus non subjacet modificationibus, excipiendo illas, quas substrati differentia, et mali sedes dictant. Monendum solummodo restat, ab internis remediis antiphlogisticis parum levaminis induci, quum nimis remotus sit ossa inter et cardinalia organismi systemata nexus. Quare ad topica auxilia, uti ad cataplasmata emollientia, anodyna, resolventia, hirudinum repetitas adplicationes, ad vesicantia, vel etiam caustica, revellenti scopo in usum tracta, recurrere oportet.

1138. Specifica, quae in systema osseum agerent remedia, nondum innotuerunt, atque jam ex hac ratione adeo difficilis redditur osteopathiarum curatio. Summis tamen encomiis extolli debent virtutes frictionum mercurialium generose repetitarum, atque Sarsaparillae magnis dosibus exhibitae, quibus pertinacissimam periostitidem chronicam, obtusae contusionis effectum, post innumera remedia incassum tentata, feliciter victam mirati sumus. Sponte liquet non solum eorundem remediorum majorem esse efficaciam, sed etiam alius generis pharmaca suum sibi vindicare locum, si specifica quaedam osteitidem comitatur cacochymia.

1139. Dentes, ceu compactissimae totius organismi partes, inflammationem non patiuntur, nisi excipere velle-

mus vaginulam surculorum nerveorum, substantiam dentis ingredientium, cujus phlogistica irritatio acerrimos producere solet dolores; ast nevrolemmitis potius, quam odontitis dicenda.

Ploucquet, Thes. primas lineas Odontitidis sistens. Tubing 1794.

1140. Cartilagines infimum fere in sphaera vegetativa locum occupant, vasis rubris et nervis carent, nullum sensibilitatis organicae vestigium manifestant, et ideo principalibus, quae ad subeundam inflammationem requiruntur, conditionibus privatae, hanc tunc nonnisi subire possunt, dum vel e perichondrio (membrana fibrosa periosteo analoga), vel e membrana synoviali egreditur. Inflammatio cartilaginum itaque, Chondritis, rarissimum sistit adfectum, qui admodum lente decurrit, primam suae originis scaturiginem vel in osse, vel in membranis articulorum agnoscit, atque ex iisdem, quae osteitidi favent, injuriis proficiscitur; semel vero evoluta phlogosi cartilagines intumescunt, spongiosam magis texturam assumunt, vasis rubris instruuntur, nunquam tamen dolent. Processus plasticus, qui alioquin languidus est, per inflammationem plerumque penitus extinguitur, unde cartilagines inflammatae vel ossificantur, vel ichorosa colliquatione destruuntur, vel pedetentim marcescunt, emoriuntur ac evanescunt. Cartilago discisa non coalescit, neque suppurat, sed a pure partium contiguarum corroditur, quin imo nec inflammari dicitur, testantibus Doerneri experimentis (1), nisi prius saniosi liquoris influxu emolliatur.

(1) Doerner, Diss. de gravioribus quibusdam cartilaginum mutationibus. Tubing 1798.

B. INFLAMMATIONES PARTICULARES, SIVE INFLAMMATIONES SINGULORUM ORGANORUM.

1141. Quemadmodum inflammationes communes physiologico ordine prosecuti sumus, ita omnino etiam phlo-

goses, quae singulas et individuales partes, plus minusve compositas, ac particularibus finibus dicatas plectunt eodem ordine exponi possent. Praeplacuit tamen anatomicus intellectui tironum facilior, ac a plerisque Pathologis hodieque praelatus.

A. *INFLAMMATIONES KEPHALICAE.*

ENKEPHALITIS.

J. C. Brendelii, resp. Ellenberger, Diss. de phrenitide. Goett. 1756.

Schröder, resp. Fein, Diss. sist. de indole et sede phrenitidis et paraphrenitidis analecta. Goett. 1765.

Timmermann, Diss. de phrenitide idiopathica. Kil. 1778.

M. Stoll, de causa et sede phrenitidis. Rat. med. Part. III. Sect. III.

Fischer, Diss. de cerebri ejusque membranarum inflammatione et suppuratione occulta. Goett. 1787.

Herpin, Inflammation des membranes de l'éncéphale. Paris An. XII.

Stich (A. J.) Diss. de Encephalitide. Vien. 1822.

Parent-Duchatelet et Martinet Récherches sur l'inflammation de l'Arachnoïde cérébrale et spinale, ou Histoire théorique et pratique de l'Arachnitis. Paris 1821.

Bouillaud Traité clinique et physiologique de l'Encéphalite, ou l'inflammation du cerveau et de ses suites. Paris. 1825.

Banlieu Mémoire sur le traitement de l'inflammation du cerveau et de ses annexes chez les enfans Paris. 1825.

Abercrombie's Pathol. und prakt. Untersuchungen. 1. Th. Krankheiten des Gehirnes und Rückenmarkes. A. d. Engl. von Busch. Bremen. 1828.

1142. Inflammatio cerebri. Germ. Gehirnentzündung, Graecis Phrenitis, Phrenesis, Phrenitiasis, Phrenismus, Sphakelismus, Siriasis dicta, a plerisque hodierni aevi medicis aptissima Enkephalitidis compellatione insignitur, derivata, ab ἐγκεφάλος, quod cerebrum significat. Phrenitidis nomen (a graeco φρήν, mens) mentis exorbitantiam indicat, ac proinde ad illam nonnisi cerebralis inflammationis speciem adplicari posset, quae delirio furioso stipatur. Prorsus generica vero Sauvagesii expressio »kephalitis« merito excluditur.

1143. Communissimum phlogoseos substratum sistit pia meninx, omnium vasculosissima, et arachnoida,

quae serosum exhalans vaporem, irrorandis cerebri maeandris et involucris est destinata. Pulpa e contrario praesertim interior, non minus ac dura mater inflammari cunctatur, nisi violentiores concurrant potentiae. Quamvis in multis casibus, habito ad causas et symptomata respectu, phlogosin meningum (meningitidem) ab illa substantiae cerebralis (enkephalitidem proprie talem) satis tuto distinguere liceat; in longe pluribus exactum discrimen vetat signorum pathognomonicorum penuria. Tanto minus itaque singularum partium, cerebri massam componentium, phlogoses ad lectum aegrorum dignoscere licebit, tum ob eorundem distinctas functiones hucdum latentes, tum ob facillimam, imo inevitabilem phaenomenorum, in partibus adeo vicinis ac intime connexis, confusionem. Speciales, quas Boerhaavius stabilire voluit, differentias inflammationis meningum, substantiae corticalis et medullaris, priori dirissimum dolorem cum delirio, alteri soporem, ac tertiae convulsiones, ceu pathognomonicum tribuens symptoma, solidis experientiis confirmatas nondum habemus. Collimat quidem sententia clariss. Bellingerii quoad inflammationem meningum, quam adesse defendit, ubi gravis urget capitis dolor. In enkephalitide autem delirante cineream cerebi substantiam (quam Home pro sede facultatum intellectualium habuit), atque in enkephalitide soporosa intimam medullam, et quidem praecipue hemisphaeria cerebelli adfecta esse opinatur.

1144. Quemadmodum inflammationis qualiscunque notio ab efficientiae vitalis organi adfecti exorbitantia, vel actione suppressa desumitur, ita quoque phlogosis cerebri e viribus et facultatibus ejusdem vel citra normam incitatis, vel vero in actionum libertate oppressis haud difficulter determinabitur; unde enkephalitidis definitio sequenti symptomatum essentialium complexu comprehendi potest: delirium furiosum, aut sopor apoplecticus febre angiosthenica comitatus.

ANALOGIAE ET DIFFERENTIAE.

1145. Inter adfectus kephalicos, qui cum inflammatione cerebri confundi possent, propter aliquam formae

analogiam, notari prae aliis merentur: 1) Typhus; 2) Mania; 3) Rabies; 4) Apoplexia; 5) Crapula.

1146. Typhus, sive autonoma illa febris contagiosae species, quae stupore capitis ac particulari exanthemate distinguitur, non raro in primo stadio enkephalon adeo vehementer irritatum ac sanguine obrutum ostendit, ut vel furiosum evolvatur delirium, vel gravis sopor. Ast perspecta morbi e proprio miasmate origo, natura contagiosa, praesentia catarrhosae in membranis mucosis irritationis, exanthema, atque ipsius delirii stupore juncti forma (typhomania), essentialem ab enkephalitide differentiam abunde indicant.

1147. Mania furorem afebrilem praesentat, ac proinde essentiali enkephalitidis deficitur comite, febre utpote inflammatoria. Illis tamen in casibus, ubi sub continuato et feroci delirio sanguinis circulus incitatur, ac secundariae versus caput efficiuntur congestiones, enkephalitidi proxime accedit.

1148. Rabiei nomine innotuit transitoria furoris species, quae vel ex animi pathemate voluntatis nisum impetuose excitante, uti ex ira, vindictae cupidine, veneris desiderio non expleto; vel ex proprio veneno per morsum communicato originem trahit, inquietudine maxima, ac invincibili propensione, violentas aliis inferendi manus, jungitur. Caret febre, dyscrasia phlogistica, ac definito, qui criticas pyrexias distinguit, durationis cyclo.

1149. Apoplexia, enkephalitidi soporosae summe adfinis morbus, priorum adinstar, febrilibus destituitur turbis, nulla diathesi phlogistica, nulloque caloris augmento stipatur.

1150. Crapulae gradus altior insignem exhibet sanguinis in cerebro congestionem, cum orgasmo, totius systematis arteriosi incitatione, delirio feroci, vel sopore apoplectico, adeo ut primo intuitu pro phrenitide declarari posset. Verum originis modus, notio causae efficientis, halitus oris Bachum redolens, vomitus ingestorum, absentia febris, atque spontanea et cita functionum restitutio post captum somnum omne solvunt dubium.

HYPOTYPOSIS.

1151. Exordium inflammationis cerebri plerumque opportunitas quaedam praecedere solet, variae pro circumstantiarum diversitate, ast nunquam longae durationis. Hanc distinguunt sensus caloris et plenitudinis in capite, somnus inquietus, terrificis aut gravantibus insomniis turbatus, oblivio transitoria, idearum confusio, caligines, vertigo, turgor faciei et oculorum, ac insolita in iram proclivitas. Quae ex causis traumaticis dependet enkephalitis, opportunitatis signis destituitur.

1152. Invadit cum horrore vehementi, cui brevi succedunt calor urens, sitis intensa, quandoque adipsia, jactatio corporis, lucis intolerantia, dolor capitis fixus, pulsans, vel comprimens, interdum dirissimus, intercedente per vices stupore. Aestus febrilis citissimo crescit passu; prae caeteris autem caput turget et calet, facies plena rubet; oculi prominent suffusi, aut involuntarie lacrymantes, adeoque sensiles fiunt, ut omnem lucis aversentur impressionem; pupillae coarctantur; palpebrae libenter clauduntur; adspectus aegri evadit minax, truculentus, ferox; auditus adeo acutus redditur, ut a fortiori ingratissime adficiatur sono, suborto saepe saepius aurium syrigmo. Haemorrhagia narium spontanea interdum levamen, saltem transitorium, adfert.

1153. Maximam vero symptomatum seriem exhibet cerebrum in diversis suis functionibus aperte laesum; ab incitata utpote citra normam sensorii communis efficientia, perturbatur justa inter impressiones externas et operationes intellectuales catena, atque voluntatis nisus ad maximam incenditur potentiam sub diversi pathematis et gestus forma. Aegri summe inconcinnas exerunt actiones; diu noctuque, cum omni fere priventur somno, continuis ac multifariis agitantur phantasmatum ludibriis; mussitant, garriunt, vociferantur (voce plerumque mutata), temerariis adstantes increpant verbis, lectum deserere, fugam petere, et quaeque obvia obstacula vincere conantur; quidam jucundis occupantur et delectantur phantasiae ludis, cantant, jocantur, cachinnos commovent; alii e contrario ingratis

agitati impressionibus continuo stomachantur, morosi, vel taciturni; alii denuo, quod saepissime succedit, in furiosum ac maleficum degenerant delirium, sub gestibus indecoris et minis replicatis adstantes adgrediuntur; nunc illis, nunc sibi violentas inferre student manus, robur persaepe taurinum exerunt, atque continuato etiam per plures dies repagula vincendi conamine, vix delassantur; maniacorum adinstar dolosas quandoque celant intentiones, et concessa libertate denuo insaniunt, labiis indefesse motis ac in proboscidem prolongatis, salivam colligunt, in adstantes spuunt, dentibus strident, blasphemant, exasperando sub tanta agitatione ac musculorum contentione cunctorum malorum catervam. Caput subinde automatice tentant, illum per vices quaerunt situm, sub quo minores molestias persentiunt, et non raro transitorio obruuntur sopore. Continuam erectionem penis in casu arachnitidis cerebelli observasse Dunglison (1) testatur.

(1) London medical Repository. 1822. October.

1154. Ea ratione, qua systematis cerebralis maxima evolvitur hypersthenia, gangliaris sensibilitas ad notabilem deprimitur torporis gradum. Inde fit, ut phrenitici rigidae tempestatis injuriis non adficiantur, absque potus et cibi desiderio per plures dies persistant, excernendorum necessitate non moveantur, nullos prorsus dolores accusent, omnis caeterum periculi prorsus inscii.

1155. Oppositam huicce enkephalitidi phreniticae formam manifestant illi aegri, in quibus sensorii facultatum libertas omnis opprimitur, vasorum cerebralium turgore ad maximum gradum evecto; jacent tunc alto sopore, apoplecticorum more obruti, vel saltem comate vigili adfecti obscuros tantum motus exerunt, cum tendinum subsultibus, respirio stertoroso, excretionibus involuntariis, artuum paralytica flacciditate, ac adparente sensuum externorum torpore. Gravissima enkephalitis phrenitica versus infaustam properans metam, constanter in soporosam mutatur.

1156. Praeter hasce duas enkephalitidis species, phreniticam utpote, ac soporosam, tertia adhuc in praxi occurrit, quae dirissimo stipatur capitis dolore,

absente delirio et sopore; enkephalitis kephalalgica. Aegrotantes de continuo, acuto vel gravativo, immani ac ferme intolerabili conqueruntur dolore, qui mox frontem solum, mox totum calvariae ambitum occupat, sub quovis capitis motu vel succussione levissima | excandescit. Inde stimulorum cujusvis generis, caloris, lucis, strepitus, odorum, intolerantia summa; photopsia; corporis jactatio continua, tenebrarum, silentii et frigoris desiderium; gemitus, fletus, ejulatus, automatica capitis ad leniendos cruciatus compressio; pervigilium. — Mentis serenitas atque soporis absentia massam cerebralem, ejusque organa nobilissima in hocce casu a phlogoseos impetu immunia esse testantur. Dolor autem, ceu princeps passio, sensibilitatem organicam (koenaesthesin) eminenter adfectam indicat, quae, docente Physiologia, praecipue in partibus membranosis viget, in substantia medullari ex adverso nonnisi occulte delitescit. Idcirco etiam haecce inflammationis vel paraphlogoseos cerebralis species nomen Meningitidis sibi vindicat; quam eo tutius declarare licebit, quo clarius innotuerit morbi origo e causis systemati membranarum infensis, v. g. a metaschematismo rheumatis, arthritidis, erysipelatis, exanthematis, ab insolatione, refrigerio, stimulo gastrico, et s. p. — Ad determinandam unius potius, quam alterius meningis labem pathognomonicis hactenus destituimur signis. Nec facile concipienda foret inflammatio unius meningis, v. g. arachnoideae, quam Parent-Duchatelet, Martinet, aliique pro frequentissima declarant, quin strata contigua durae et piae matris in sphaeram morbosae reactionis trahantur. — Transitus in priores duas formas non est rarus.

1157. Phaenomena cunctis enkephalitidis speciebus familiaria sunt: deglutiendi difficultas (dyscatabrosis), unde potus per nares libenter regurgitare solent; linguae siccitas; illacrymatio oculorum; conjunctivae vascula velut sanguine injecta; caput valdopere calens; carotidum, et temporalium vibratio visibilis; respiratio sublimis, et nonnisi sub continuato musculorum exercitio accelerata; abdomen normale, nisi phrenitis ibidem fontem agnoscat; vomitus quandoque sympathicus, aeruginosus, urinae par-

cae, flammeae, vel turbidae, non raro retentae; alvus pigra; cutis transpirans, sanguis eductus coriaceus; pulsus veloces (in enkephalitide soporosa interdum tardi), pleni, fortes, duri, magni (kephalici veterum), raro suppressi.

1158. Rapidum, quod multifaria illa, quoad intensitatem et numerum, symptomata adtingere solent, incrementum, inter tres, quatuorve dies ad summum evehitur culmen; consistunt demum per totidem ferme dies, quin tamen, quod etiam in incremento observatur, luculentis intercalentur remissionibus; unde acutissimus ille morbus quasi speciem febris continuae continentis praesentat.

1159. Absoluto, quem natura praefixit, cyclo nunc quinque, nunc septem aut plurium dierum, criticae operationes succedunt, atque enkephalitidis (nisi praecox mors finem imponat) sub largis sudoribus, urinis sedimentosis, alvo sponte aperta, et stillante persaepe e naribus sanguine, optatum succedit decrementum, plus minusve promptum.

1160. Inflammatio cerebri, quae capitis laesiones excipit, quasdam in decursu modificationes offert. Urgent praeprimis symptomata ab ipso traumate pendentia, et variant prouti nunc ossa cranii vel fracta, vel comminuta, vel depressa sunt; nunc sanguinis effusio, vel simplex cerebri commotio locum habet. Quo major fuerit commotionis gradus, vel effusi cruoris copia, eo evidentiora sunt enkephalitidis soporosae phaenomena, atque in secundo casu automatici motus aegrorum versus quamdam capitis plagam, ac in dies crescens soporis intensitas, sub aptissima caeterum medela, observari solent.

Alex. Kölpin, de capitis laesionibus Meletemata. Hafniae. 1777.
Gama (I. P.) Traité des plaies de tête et de l'encephalite, principalment de celle qui leur est consecutive. Paris. 1830.

1161. Etsi communiores inflammationis cerebri species plernmque acute decurrant; nequaquam tamen adeo rara sunt decursus chronici, ac nulli prorsus determinato typo adstricti exempla. In illis praesertim subjectis, quae organicum in cerebro ejusve meningibus tenent vitium, lenta fovetur congestio vasorum capillarium, vel

et vera phlogosis, serie non interrupta recidivans, kephalicis symptomatibus diversae intensitatis stipata, quae inter dolor pervicax, vertigo, sensuum ac mentis hallucinationes, cataphora, musculorum distensiones frequentissime observantur. Huncce morbosum sensorii communis statum enkephalitidis lentae, chronicae, vel occultae nomine insignimus. Ast longe frequentiores sunt casus simplicis congestionis in vasis cerebralibus, mox activae, mox passivae, Enkephalo-symphoreses, quae hodierno praesertim aevo a multis medicis perperam pro veris inflammationibus declarari solent. Idem dictum esto de sympathico vasorum cerebralium turgore, multarum febrium comite, praecipue aestivarum.

1162. Particularem phreneseos speciem, ab Anglis et Americanis medicis omnium primo exactius descriptam, sistit delirium tremens, potatoribus proprium, quod vehementi totius corporis tremore distinguitur. Sine jure a quibusdam Nosologis ad enkephalitidem refertur; est enim morbus apyreticus, qui determinatum cyclum non excurrit, Opio persaepe feliciter devincitur, venaesectionibus non semper auscultat, neque consuetos phlogoseos exitus machinatur. Solus vasorum cerebralium turgor, quem interdum cadavera hoc morbo peremtorum patefaciunt, inflammationem nondum constituit. Hanc tamen in quibusdam casibus oboriri atque morbi principis modificationem efficere, negari nequit.

CAUSAE.

1163. Praeter generalia, quae dispositionem in febres inflammatorias, et inflammationes fovent, momenta, uti sunt temperamentum sanguineum, plethora, juventus, vitae genus lautum etc., enkephalitidis ortui prae aliis favent: peculiaris illa corporis constructio, quam habitum apoplecticum vocant, capite praegrandi, collo brevi, et turgida facie distinctum, intentio facultatum mentis; animi pathematum, praesertim irae, zelotypiae et vindictae cupidinis neglectum moderamen; vigiliae protractae; abusus spirituosorum et quorumdam narcoticorum,

uti Opii, Belladonnae; capitis regimen nimis calidum, habitualis epistaxeos retentio.

1164. Inter excitantes causas eminent prae caeteris illae, quae immediate in caput, et speciatim in cerebrum suas concentrant actiones, enkephalitidem provocando idiopathicam. Huc referuntur omnes potentiae violentae, contusiones, ictus, vulnera, ossa cranii fracta vel depressa, commotio cerebri a casu in caput, vel in podicem, ab alapa inflicta, a ptarmicis, calor excessivus, radii solares versus caput nudatum directi, unde adeo frequentia phrenitidis ab insolatione exempla intra tropicos observare licet, quod pariter opificibus laterariis et messoribus sub fervore aestivo accidit; analogum effectum producunt ignis foci, galera pellicea, coma nimis densa; mentis intentiones excessivae, studia protracta, imaginationis exercitia, animi passiones excitantes, ira, zelotypia, gaudium improvisum; lucis vividae continuatus influxus. Enkephalitidem idiopathicam secundariam gignunt metastases purulentae, aut lacteae, exostoses venereae ossium calvariae, aliave organica vitia.

1165. Quae a miasmate typhoso dependet cerebri irritatio, quandoque ad phlogoseos gradum evecta (Enkephalitis typhosa), idiopathica quidem dici potest quoad originem; quatenus autem e specifica causa nascitur, e proprio nimirum miasmate contagioso, quod narcoticorum more agere novimus, simulque particulare agnoscit substratum, membranam utpote arachnoideam, ad specificas inflammationes releganda venit.

1166. Potentiae nocivae, quae mox remota, mox vicina irritando organa suam actionem ad enkephalon propagant per contiguitatem, et adsociationem partium, vel quae sanguinis orgasmum universalem incendunt, ejusque majorem versus caput impulsum efficiunt, ibidem non raro inflammationem creant, symptomaticam dicendam. Huc spectant inflammationes organorum cerebro vicinorum: aurium, oculorum, pericranii, vel etiam magis remotorum, refluxum sanguinis praepedientium, uti parotitis, angina gravis, erysipelas faciei, stomachi opplectio nimia; crapula; retentio evacuationum suetarum: mensium,

haemorrhoidum, epistaxeos. Metaschematismi rheumatis, erysipelatis, exanthematis, nunquam phlegmonosam enkephalitidis formam producunt.

1167. Sunt denique adhuc prophases, quae remota organa ad vividiores reactiones excitando efficientiam cerebralem per consensum et sympathiam exaltant, illamque phrenitidis speciem pariunt, quam, habito ad natales respectu, sympathicam dicimus. Organa potiora, quae speciali cum cerebro philadelphia connectuntur, sunt ventriculus, diaphragma, et systema sexuale.

1168. Enkephalitidis sympathico-gastricae casus sunt illi, qui ex narcoticorum, Opii, Belladonnae, Stramonii, fungorum venenatorum incauto usu, ex saburra acri, biliosa, aut verminosa, ex inflammatione ventriculi, hepatis, intestinorum nascuntur, aut qui ultima momenta lugubrium inediae effectuum comitari solent. — Diaphragmatis laesionem et inflammationem, praesertim dum tendineum tenet speculum, phrenesi plus minusve feroci frequenter junctam observare licet, quare etiam diaphragmitidi, in gratiam eminentis hujus phaenomeni, paraphreneseos nomen impertitum est. — Organorum denique sexualium irritatio, quam vel eorundem phlogosis, vel sola cupido in alterum sexum ultra normam exaltata producit, persaepe sympathica phrenitide sociata incedit. Maximus satyriaseos et nymphomaniae gradus, quem non raro in veram rabiem degenerare novimus, proximum enkephalitidi phreniticae adfectum sistit. Imo sub ipsa phrenitide idiopathica non raro sympathicam systematis sexualis adfectionem evolvi, peculiaris in quibusdam viris testiculorum anxietas docet.

1169. Omnes adlatae potentiae nocivae, enkephalitidi producendae pares, eo concurrunt, ut incitationem sensorii communis ad altiorem intendant gradum, vasorum capillarium turgorem simplicem, vel verum processum phlogisticum inducant. Earum nonnullae absolutos sistunt stimulos, atque nulla prorsus dispositione particulari indigent; aliae e contrario relative tantum agunt, ac enkephalitidi procreandae impares redduntur, nisi quaedam opportunitas sub conflictu obsecundet.

1170. Enkephalitidis species ex relative incitantibus causis ortae, et praesertim illae, quae sympathicae originis sunt, vix unquam ad eam evehuntur potentiam, ut veram constituant inflammationem, sed plerumque intra simplicis congestionis cancellos consistunt. Eapropter praefixo inflammationibus et febribus criticis typo non adstringuntur; omni momento, dummodo causa excitans auferatur, cessare possunt; in cacomorphoses organicas, perfectae solum inflammationi proprias, suppurationem utpote, indurationem et gangraenam, non nituntur.

1171. Inflammatio cerebri atque meningum plerumque sporadicum sistit malum. Interim non desunt exempla enkephalitidis epidemiae (1), quae tamen potius pro simplici irritatione paraphlogistica, quam pro vera phlogosi sunt habenda, atque vel in climate tropico, vel in nostra zona temperata mensibus Julii et Augusti occurrunt, partim immediato Solis caput verberantis stimulo, partim irritationi gastricae ad meninges diffusae ortum debent.

(1) Bellingeri Storia delle Encefalitidi che furono epidemiche in Torino nell' anno 1824. Torino 1825.

DIVISIONES.

1172. Enkephalitis dividitur quoad originem in idiopathicam, symptomaticam, et sympathicam, in primariam et secundariam; — quoad decursum in acutam et chronicam; — quoad indolem specialem in phlegmonosam, rheumaticam, typhosam, metastaticam, nervosam; quoad formam in phreniticam, soporosam, kephalalgicam; — quoad gradum in levem, gravem, et gravissimam. — Enkephalitidis levior gradus nonnullis etiam Paraphrenitis dicitur. Quae ab aliis in hypersthenicam, et asthenicam celebratur partitio, principiis pathologiae rationalis, identico inflammationis characteri, ac experientiae repugnat.

TERMINATIONES.

IN SALUTEM.

1173. Exitui inflammationis cerebri in sanitatem

sequentes obsecundant conditiones: 1) Subjecti laudabilis constitutio; defectus labis haereditariae, vitii organici, habitus apoplectici; 2) Causa simplex, levis, dynamica, facile amovenda, per consensum cerebro inimica; 3) Symptomata leviora, morbus regularis, non complicatus; 4) Aptorum remediorum promptus usus, levamen inde conspicuum, faventium circumstantiarum concursus; 5) Crises salubres.

1174. Ratio sanationis consistit vel in simplici excitantis causae ablatione, si morbus limites congestionis simplicis non excessit; vel in benefica crisi, vigentibus virium naturae conatibus effecta.

1175. Primo in casu sanatio omni die obtinere potest, dummodo irritans causa circumstantiis propitiis, vel apta medela amoveatur, aut enervetur. Ubi vero irritatio topica cerebri ad gradum inflammationis verae, atque vitalitatis universalis incitatio ad potentiam febris criticae evehitur; omni artis medicae conamine, ipsiusque causae amotione enkephalitidis resolutio succedere nequit, nisi praefinitus morbi cyclus, ejusque, ut ita dicam, maturatio suum adsequatur terminum. Vires vitales tunc ad majorem energiam incensae, morbosam organismi conditionem quasi destruunt, debitam functionum integritatem et harmoniam repristinant, quod nunc quinto, nunc septimo, rarius decimo quarto die contingere solet. Evacuationes potiores, quae faustam comitantur crisin, sunt: sudores profusi, urinae hypostaticae, alvus diarrhoica, narium haemorrhagia. Rarius succedunt parotides metastaticae, vel capitis erysipelata.

1176. Perfecta salus tunc solum restituitur, ubi vel artis adminiculis, vel conatuum criticorum efficacia inflammationis plenaria resolutio obtinet, tamquam unicus, quo laesi organi integritas repristinari potest, modus. — In casu contrario posthuma reliquuntur mala, quae quidem non raro debita medela dissipare licet; interdum vero omni medentis conatui resistunt, atque infausti exitus culpam sustinent.

IN ALIOS MORBOS.

1177. Enkephalitis, sub adversis orta et decurrens conditionibus, in varia nititur consectaria, tum dynamica, tum organica. — Dynamicis, quae cerebri phlogoses persaepe excipiunt, vitiis adnumerantur facultatum mentis sensuumque externorum alterationes, quae ad psychicam efficientiam mox languidam (hebetudo), mox exorbitantem (mania), mox hallucinantem (paraphrosyne) referri possunt. — Inter vitia organica, suppuratio et hypoclepsis vulgatiora esse consuescunt.

1178. Apostematis in meningibus, vel cerebri medulla formati praesentiam indicant: sensus ponderis, pressionis, vel frigoris ab illo loco ad contiguas propagatus partes, in quo centrum suppurationis latet, et cui plerumque dolor pulsans ac fixus inhaeret; facultates sensiferae et intellectuales diversimode alteratae, convulsiones, paralyses, febris suppuratoria, una cum reliquis diathesi purulentae propriis phaenomenis.

1179. Rarissimis in casibus cerebri abscessus naturae medicatricis ope ad sanationem perducitur, pure per nares, auresque eliminato. Longe frequentius in immedicabile transit ulcus, quod nunc citam mortem parit, apoplecticam aut convulsivam, nunc pedissequa phthisi cerebrali vitam lento exstinguit passu; plerumque occulte delitescit, ideoque vel conjecturari tantum potest, vel oculatissimi etiam observatoris aciem prorsus effugit.

Fischer, Diss. de cerebri ejusque membranarum inflammatione et suppuratione occultas. Goett. 1781.

1180. Transudatio seri, lymphae, aut materiae puriformis priori multo frequentius esse solet inflammationis, praesertim quae meninges plectit, consectarium. Quo minor fuerit enkephalitidis, comitisque diatheseos phlogisticae gradus, eo minorem etiam liquor, qui per vasorum exhalantium fines secedit, manifestat plasticitatem, serosus dictus. Majori copia secretus ventriculos cerebri non solum inundat, verum etiam ad basin cranii colligitur, atque plus minusve conspicuam illuviem,

serosam producit, infantibus praesertim familiarem, ac nomine hydrenkephali acuti notam, de quo plura suo loco adsignabuntur.

1181. Favente e contrario dyscrasia sanguinis phlogistica intensiori, etiam materies, per fines alveorum exhalantium membranae arachnoideae secedens, majori albuminis animalis copia foeta, ac in coagulum magis prona cernitur; unde mox lymphae plasticae nondum concretae, mox pseudomembranae, vel adhaesionis forma in dissectis cadaveribus patefit; mox plane alienam adsumit indolem, lactiformem, aut puri analogam. — Quandoque cerebri caveas insigni humoris serosi ac puriformis quantitate refertas, quin tamen unitas velamenti secernentis (arachnoideae) soluta esset, suppurationisve proinde idea formari posset; alias integram arachnoideae superficiem opacam et gelatina lymphatico-puriformi obductam invenire licet.

1182. Signa certa, e quibus factam hypoclepsin dignoscere possemus, nondum innotuerunt; minus adhuc illa, quae humoris effusi specificam qualitatem indicarent. Majori tamen cum probabilitate ejusmodi infaustum exitum suspicamur, si enkephalitidis vigore de repente infracto, pristina functionum integritas non redit; imo soporis et oppressionis functionum tam intellectualium, quam sensiferarum signa praecipiti suboriuntur passu. Motus convulsivi, tremores, subsultus tendinum, crocidismus plerumque hypoclepsin factam indicare consuescunt.

1183. Quamvis transudatio morbosa omni momento enkephalitidis graviter decurrentis nasci possit, ceu effectus incitatae vasorum capillarium reactionis; multo tamen crebrius illis contingit diebus, quibus vires vitales justo magis intensae, ac semet ipsas liberare intentae, salubres explosiones efficere moliuntur, invento tamen qualiscumque generis obstaculo adcumulatos latices per viam circuli educere nequeunt, sed per fines capillares partis adfectae eructare coguntur. Hocce in casu hypoclepsis quaevis erroneae criseos speciem refert.

1184. Sunt denique et aliae adhuc metamorphoses organicae cerebri, quae tanquam effectus enkephalitidis

nunc acutae, nunc lentae considerari debent, uti indurationes pulpae cerebralis, incrassationes meningum, fungositates durae matris, ossificationes, etc. Harum tamen origo aeque, ac diagnosis summis adhuc occulta est tenebris.

1185. Pariter ratio nondum patet, cur haec enkephalitis amentiam, illa amaurosin; una epilepsiam, chronicam vertiginem vel paralysin alia relinquat. Videtur quidem id non solum a metamorphoseos organicae relictae varietate, sed etiam ab ipsius sede pendere, qua modo unum, modo alterum organon sensorii communis speciale in suo perturbatur munere. — Ast mysteriosae hucdum functiones cerebri ulterius penetrare vetant.

IN MORTEM.

1186. Sub oppositis, quae saluti restituendae favent, conditionibus enkephalitis mortem adducit, modo nunc directo, nunc indirecto.

1187. Inflammatio ad eum gradum evecta, ut cerebri munus, ejusque absolute necessarius in processum vitalem influxus extinguatur, mortem parit apoplecticam, vel convulsivam; in praxi vulgatissimam, quam pariter repentina per crisin erroneam effusio adducit.

1188. Alia leti species dependet a partiali substantiae corticalis, vel meningum gangraena et sphakelo, cujus genesis, quod sua sponte liquet, in illis tantum concipi poterit organis, quorum minor est in sustinendo processu vitali dignitas. In fatalem huncce exitum prae aliis enkephalitidem gravissimam niti, jam Hippocrati compertum fuit, qui ei ideo etiam Sphakelismi nomen impertivit (1). Inter gravissimas illas cerebri inflammationes eminent traumaticae, quae cum fractura vel depressione ossium cranii, cum extravasatis cruentis, cum ipsius substantiae cerebralis jactura, vel comminutione junctae incedunt.

(1) De morbis. Lib. 2. Cap. 10. pag. 51. Edit. Linden.

1189. Caeterae species mortis, plurimum indirectae, causam agnoscunt in variis posthumis organicis, sup-

puratione, fungo durae matris, effusione, vel demum in mutato febris inflammatoriae charactere, quem nunc nervosum, nunc putridum fieri posse, experientia quotidie confirmat.

1190. Cadavera enkephalitide defunctorum mox consuetas offerunt massae et formae organicae abnormitates, quas inflammationibus induci novimus, modificatas tamen per specificam substantiae cerebralis texturam; mox nil prorsus patefaciunt, praeter maximum vasorum et sinuum turgorem, et quidem illo in casu, ubi inflammationis gradus adeo intensus, decursus praeceps, partisque specialius adfectae tanta fuerit dignitas, ut vitalis processus exstinguatur, antequam organica metamorphosis succedere queat.

1191. Suppurationis genuinae loco vix non semper peculiaris substantiae cerebralis in massam melliformem, lardaceam, caseosam, aut granulosam degeneratio invenitur, quae specificam abscessuum cerebralium formam constituit. Videtur pulpa cerebralis illo destitui texturae tono et elatere, incitationisque arteriosae gradu, qui ad formationem veri ac plastici puris requiritur. Hanc tamen in abscessibus kysticis quandoque locum habere, pretiosae celeb. Lallemandi (1) observationes docuerunt. Generatim suppurationes crebrius in substantia corticali, rarius in medullari obveniunt. Deprehensae fuerunt in hemisphaeriis cerebri, in corporibus striatis, pede hippocampi, thalamis nervorum opticorum; nunquam in ponte Varolii, et medulla oblongata. Integrum cerebelli hemisphaerium in massam purulentam conversum, ipsimet observavimus (2). Ob languentem nisum formativum etiam massae jactura nunquam regeneratur. — Multo frequentius deprehenduntur varii hypoclepseos morbosae effectus; effusiones seri liquidi, nunc limpidi, nunc cruenti, aut materiae puriformis in ventriculis cerebri, materiae gelatinosae, aliusve, arachnoideam obducentis, copia insignis, adhaesiones inter meninges. In quibusdam casibus cerebrum citra normam durum et compactum, in aliis e contrario emollitum et fere pultaceum adparet. Singularem substantiae cerebralis cacomorphosin, enkephalo-malakiae

nomine notam, interdum cum statu phlogistico copulatam occurrere, celeb. Rostan (3) testatur. Piae meningis vasa una cum sinubus venosis, multo, atro, et coagulato sanguine turgent. Massa medullaris incisa et compressa innumeris picta cernitur punctis rubris, in gratiam sanguinis redundantis, qui per dissectorum vasculorum ostiola tranat.

(1) Lallemand Récherches anatomico-pathologiques sur l'Encephale et ses dependances. 2 Vol. Paris. 1823.
(2) Annales Scholae clinicae Ticinensis. Pars II. 1830. pag. 309.
(3) Rostan Récherches sur le ramollissement du cerveau, etc. Paris. 1823.

PROGNOSIS.

1192. Praeter momenta, quae rationalem in genere dirigunt prognosin, atque e conditionibus inflammationum exitus dirigentibus desumuntur, uti sunt causae efficientes, symptomata, morbi gradus, decursus, anomaliae, complicationes etc.; empiricis saepe saepius uti oportet signis ad futurum eventum praedicendum, quem, etsi cum certitudine nunquam ominari liceat, antequam crises succedunt, majori tamen, minorive cum probabilitate conjectare possumus sub concursu quorumdam phaenomenorum multiplici experientia confirmatorum.

1193. Signis, quae laetius admittunt praesagium, adnumerantur: haemorrhagia spontanea, excepta otorrhagia; urinae hypostaticae; alvus diarrhoica; delirium jocosum, resipiscentia frequens e delirio; dolor ad pectus cum tussi, vel ad artus; sympathica enkephalitidis origo. — Phrenitis symptomatica, ante exanthematum eruptionem orta, minus portendit periculum, quam quae morbo adulto supervenit.

1194. Inter signa mali ominis spectant: haemorrhagia aurium, praesertim in enkephalitide traumatica, lethargus cum delirio alternans, delirium morosum aut furibundum sine induciis, convulsiones, crocidismus, oculorum distorsio, pupilla dilatata ad lucem immobilis, masticatio ore vacuo, deglutitio difficilis, vomitus pertinax aeruginosus, singultus, peripneumonia, ulcerum siccatio,

versatilitas summa symptomatum. — Ut tamen e mox adlatis signis praesagium quoddam exitus futuri institui possit, plurium semper requiritur praesentia.

THERAPIA.

1195. Ad medelam enkephalitidis tuto suscipiendam, exacta praeprimis causae producentis notio erit necessaria. Cognita si fuerit causa, et amovenda, amoveatur. In casu contrario saltem ad modum originis, ac primitivae conditionis pathologicae sedem adtentio dirigenda, ut illis, quae cura indirecta rationalis injungit, indicationibus satisfieri possit.

1196. Enkephalitis idiopathica omnibus illis eget remediis, quae morbis inflammatoriis universim opponuntur, habito ad affectionem topicam respectu. Adparatus itaque antiphlogisticus, quo virium exorbitantiam deprimere, orgasmum compescere, dyscrasiam sanguinis plasticam corrigere, impulsum humorum versus enkephalon refraenare, circuitum per vasa capillaria expedire, talique pacto instans, ex parte oppressae ac alteratae functionum cerebralium actionis, periculum eousque avertere adnitimur, donec medicatricis naturae conamina suam ad tollendas in organismo turbas symbolam contribuere valeant.

1197. Cum autem de organi summe nobilis adfectione agitur, ipsaque febris et diathesis phlogistica ad notabilem evoluta esse solet gradum, methodus antiphlogistica potentior requiritur.

1198. Primum locum tenet sanguinis generosa et repetita missio, quam nunc e brachio, nunc e collo, nunc e pede instituendam suadent. Venae jugularis sectio illis in casibus arridet, ubi pertinax sopor eminentem constituit enkephalitidis formam; urgente enim delirio furioso, ac inquietudine aegri continua, inflictum facile aperiri potest vulnus. Vena saphaena secatur, si catameniorum retentio praecipuum congestionis cerebralis fontem largitur. Etsi largas cruoris eductiones summe propitias esse haud negemus; duodecim tamen, aut quindecim

unciarum dosin excedere vix audemus, animi deliquii metu perculsi, quod semper ominosum declaramus ob tantam sanguinis coagulabilitatem, unde concrementa polyposa in majoribus vasis nasci, atque circulum de repente sisti posse, nemo inficias ibit. — Numerum venaesectionum reiterandarum determinabit morbi gradus et renitentia, ipsiusque subjecti aetas et constitutio individualis. Quantae demum sub venarum apertura ac deligatione cautiones exigantur, e furioso aegrorum statu, summa inquietudine et continuo repagula vincendi nisu facile colligitur.

1199. Praemissa una alterave phlebotomia ad locales libenter recurrimus sanguinis depletiones, quas optime hirudinibus, ad emissaria Santorini, vel retro aures adplicitis efficimus. — Dum a suppressa epistaxi habituali pendet cerebri phlogosis, pinnis narium cum emolumento admoventur. Subjectis robustis sex octove hirudines utrobique adplicitae sufficientem praestant detractionem.

1200. A scarificationibus, quae sine notabili irritatione, ob inflicta vulnuscula, fieri nequeunt, abstinendum suademus, nisi profundus sopor, praeter sanguinis eductionem, simul revulsionis necessitatem injungat, quo in casu cucurbitam cruentam nuchae impositam sat promptum emolomentum adferre vidimus.

1201. At inefficacem prorsus declaramus arteriae temporalis sectionem a quibusdam medicis propositam, quod hujus arteriae ramus nimis remotus est, quam ut sanguinis per carotides internas et vertebrales impulsus infringi possit, et quod congestio, in capillaribus obtinens meningum vasis, facilius venae, quam arteriae sectione minuitur. Insuper deligata atque compressa, post depletionem factam, arteria sanguinis liberum per diramationes circuitum cohibet, eumque ad interiores cogit partes, alioquin jam cruore ad fatim oppletas.

1202. Reliqua adminicula depromimus e vastissima remediorum purgantium, emollientium, et refrigerantium classe, quae omnia ad virium vitalium immoderatam exorbitantiam complacandam concurrunt.

1203. Cathartica leniora, quae summam stimu-

lorum imminuunt, reactiones fibrae irritabilis temperant, humores inferiora versus sollicitant, et antogonisticam quandam, utut levissimam, tubi intestinalis irritationem cient, haud exiguas laudes sibi promeruere. Praeter sales medios, Mannam, Tamarindum, et Mercurium dulcem, practicis universim arridet Tartarus emeticus refracta dosi, eum quippe in finem exhibitus, ut specifico suo irritamento nauseante, quo nervos splanchnicos ferit, revulsionem a cerebro producat, atque blandam sustineat humorum entericorum secretionem.

1204. Docuit experientia, aegros enkephalitide adfectos insignes Tartari stibiati doses perferre, quin vomitus cieatur, cujus ratio in exorbitante vel suppressa cerebri incitatione quaerenda videtur, quam semper cum systematis gangliaris sensibilitate imminuta junctam observamus. Quamprimum autem ab hocce pharmaco vomendi conatus excitantur, vel linguae, ac membranae mucosae oris caveam investientis rubor notabilis, aphthosa eruptione sociatus, suspicionem consimilis metamorphoseos in tunica ventriculi movent, prorsus abstinendum, vel dosis saltem imminuenda.

1205. Aegris, qui medicamina recusant, ea vel clysterum ope, dosi tamen semper majori, vel clanculum e jusculo aut potu subministranda erunt.

1206. Decocta emollientia, et potus refrigerantes, uti sunt emulsiones tenues cum nitro, decocta hordei cum oxymelle vel aceto, acida vegetabilia aquoso vehiculo diluta, uti succus limoniorum, reliquas indicationis antiphlogisticae paginas absolvunt, atque ab aegris etiam obstinatis libentius sumi solent.

1207. Inter remedia externa, in communem curae deprimentis scopum conspirantia, spectant inprimis epithemata frigida ad frontem, vel ad totum epicranium, abscissis prius capillis, diligenter replicata, quorum efficacia intenditur glacie, aceto, vel nitri, salisve ammoniaci solutione, (fomenta Schmuckeriana). Beneficam eorum aetionem concipimus, tum ex detracto calorico, quod per exorbitantem in vasis capillaribus cerebri, et meningum incitationem justo magis evolvitur, continuam fovens cerebralis

efficientiae exorbitantiam; tum ex imminuta vasorum turgidorum capacitate, atque infracta per frigoris influxum factoris vitalis expansivi potentia; quare etiam hujusmodi generis auxilia quibusdam medicis repercutientia vocantur. Usus glacei tamen maxima eget circumspectione, ne intensior ac protractus frigoris gradus torporem vis nervosae stasesque irresolubiles producat.

Bompard (Alex.) Betrachtungen über einige Krankheiten des Gehirns und iner Anhänge, über ihre Behandlung, und besonders übe die Gefahren der Anwendung des Eises. A. d. Franz. von Hermann Vezin. Osnabrück 1830.

Berthemé du dager de l'application de la glace dans les fièvres cérébrale et quelques observations sur les maladies des méninges. Paris. 1831.

1208. Non ado ad totalem incitationis vitalis exorbitantiam compescenam, quam potius ad localem adfectionem sublevandam gregie conducunt irritamenta cutis, excitata vel pedilviis acribus cum sale, lixivio, farina seminum sinapis (furibundus aegri status non obstat), vel epispasticis, sinapismis ad plantam, vel dorsum pedis adplicitis.

1209. Quousque enkephalitis primitivam suam conservat indolem, eoque ab antiphlogistico non solum recedendum non eritractamine, verum etiam ab omnibus sedulo cavendum stulis. Nocebunt igitur spirituosa, aromatica, opiata et esicantia. Similiter summe anceps, ne dicam periculosa, obis declaratur quorumdam neotericorum methodus, ta inflammationem cerebri narcoticis remediis deprimerstudent. Negligere videntur, quod princeps substratum eephalitidis sit sphaera irritabilis sensorii communis, en specie vasa capillaria, quorum irritatio ad altiorem ecta est potentiam; hanc vero narcoticis deprimere velle vam esset intentum. — Compertum praeterea habemus, onia narcotica, ob phlogisticum, quo abundant, principin, enkephalon per eminentiam tentare, congestionibus saninis favere, quin imo incauto usu etiam in sanis speciem penitidis inducere.

1210. Regien diaeteticum cum antiphlogistica cura in eunm scopum collimet, oportet. Atmo-

sphaera aegrum ambiens esto pura, frigidiuscula, subhumida. Quam beneficus sit frigoris influxus, docuerunt exempla phreniticorum, qui fugam petendo resipuere. — Jam Hippocrates cubile fontanis vel arborum ramis exornandum suasit, ut amoenum ambienti aurae concilietur frigus.

1211. Nutrimento non egent phrenitici, ideo praeter jura tenuia et panatellas ab omni cibo libenter abstinemus, quem alioquin ipsi aegri recusant.

1212. Stimulorum externorum, lucis, caloris, strepitus, odorum influxus sedulo arcendus; quare cubile tenebricosum esto, ac ab omni strepitu remotum, quem in finem plateae, quae ad magnatum palatia conducunt, stramine sterni solent. Situs aegri, pro quantum fieri potest, servetur suberectus.

1213. Maximam denique curam et sollicitudinem postulat alterata mentis et voluntatis conditio. Aegri saepius commonendi, humane persuadendi, unquam tamen objurgandi, ludibrio habendi, vel in iram concitandi. Nonnulli medici deprimens quoddam animi pathema, praesertim terrorem ex industria concitarum suadent, ferocis delirii compescendi gratia. Phrenitici qui fugam petere, sibi, vel aliis violentas manus infere moliuntur, vel a custodibus in proposito impediendi, et cingulis ligandi, ita tamen, ut omnis violentior membrorum compressio evitetur. Objecta, quibus vel sibi, vel adstantibus damnum inferre possent, uti cultri, vitri sedulo removenda. Recordamur phrenitici, qui fracto vitro semet ipsum evirare tentavit.

1214. Excretiones alvi et urinae etsi nunquam tumultuarie promovendae, semper tamen conservandae sunt; atque dum spastica colli vesicae contractio lotii spontaneam vetat emissionem, catheteris ope succurrendum.

1215. Enkephalitis symptomatica principalem mali primarii curam injungit, cujus vel effectum, vel eminens symptoma constituit. Inflammationes organorum vicinorum antiphlogisticis oppugnanda oppletus stomachus vel emeticis, caute porrectis (praemissa utpote venae sectione), vel catharticis evacuandus; cibi status diluen-

tibus, acidis et frigido tractamine compescendus; retentae evacuationes habituales revocandae, vicario quodam profluvio supplendae.

1216. Analogam therapiam deposcit enkephalitis sympathica; omnis enim medentis intentio versus protopathicum malum dirigatur, oportet. Violentas, quae a toxicatione narcotica in cerebro suboriuntur, turbas evacuantibus et antidotis componere studemus. Inter evacuantia praeplacet Tartarus emeticus, tum, quod praeter vomitum catharsin simul ciet, tum quod propter solubilitatem suam furibundis aegris clandestine propinari, vel etiam forinsecus adplicari potest; praemissa tamen semper, ut supra notavimus, phlebotomia.

1217. Quo gravior fuerit inductae narcoseos gradus, eo majores requiruntur emeticorum et purgantium doses. Potiora narticorum antidota in acidis vegetabilibus, potibusque diluentibus sunt quaerenda.

1218. Cura phrenitidis diaphragmaticae suo loco adsignabitur. — Delirium denique furiosum, quod e potenti systematis sexualis irritatione originem trahit, hujus praecipuum inculcat respectum. Uteri, ovariorum, vel testiculorum phlogoses hirudinibus perinaeo, vel hypogastrio adplicitis, cataplasmatibus, fomentis emollientibus, semicupiis, pediluviis, epispasticis, aliisque derivantibus leniendae, eodemque tempore a capite sanguinis adfluxus reprimendus.

1219. Decrescentibus sub apto, ac circumstantiarum varietati adcommodato tractamine enkephalitidis symptomatibus, paulatim a generosis recedatur remediis, praesertim a sanguinis emissionibus, ne moderata illa tollatur virium vitalium exorbitantia, quae pro criticis operationibus absolute requiritur. Imo convalescentia jamjam imminente, potibus temperantibus, atque repetitis capitis lotionibus frigidis eousque continuandum erit, donec omnia disparuerint erethismi cerebralis signa. Per longum tempus a potu vinoso et alcoholico, a studiis, animique commotionibus abstinendum, ne residua favilla, quae proclivitatem in morbum vix exantlatum fovet, in recens prorumpat incendium.

MORBI PERTINACIA ET ANOMALIAE.

1220. Non semper conatus Medici adeo felici coronantur effectu, ut sub simplici, etsi generosa methodo antiphlogistica enkephalitis ad optatum perducatur decrementum. Interdum enim sub replicatis sanguinis detractionibus, et sub continuato reliquorum remediorum usu obtinetur quidem illud, quod requiritur, incitationis vitalis per totum organismum auctae moderamen; quin imo virium vitalium energia tantillum labi incipit, et tamen pertinaciter resistunt symptomata kephalica, topicae phlogoseos effectus.

1221. In hocce casu sinistro venaesectionibus ulterius replicatis nihil prorsus obtineri poterit, atque depressis, etiam ad infimum gradum, systematis arteriosi reactionibus congestiones locales non levabuntur. Quapropter sub simili rerum positione ad methodum antagonisticam, sive revulsoriam refugere oportet, qua stases contumaces resolvuntur, quin reactiones arteriosae deprimantur. Sinapismi, et praesertim vesicantia inferioribus sub initio extremitatibus admota, laudabile suppeditant remedium; et si absque effectu maneret eorundem usus, enkephalo propius adplicanda, cervici utpote, vel ipsi epicranio, capillis prius abrasis. Emulsa nitrosa affatim sorbillata deleterias, quae a Cantharidibus quandoque nasci solent, reactiones compescere juvant.

1222. Ubi vero sub generoso, ac diutius continuato regimine deprimente vires vitales reapse prosterni incipiunt, persistentibus topicae adfectionis symptomatibus, characteris nervosi, aptius nevrasthenici primordia evolvi dicimus. Praeter revellentia, hocce in casu semper ambiguo, aliorum quoque remediorum necessitas urget, et quidem incitantium, quibus languentes, vel exhaustas virium reactiones ad illum promovere nitimur gradum, quo salutaris perfici potest crisis.

1223. Habito tamen respectu ad primitivam morbi indolem facile redivivam, ac ad superstites congestiones in cerebro activas, e stimulantium classe illa seligenda erunt, quae efficientiam nervosam reficere valent, quin

circulationis motum incendant, uti sunt omnia diffusibilia, nervina, viribus recreandis paria, etsi per solos poros, ut ajunt, inorganicos in organismum suscipiantur, v. g. Camphora, Moschus, Acetum fragrans, Ammonia pura, nunc interne, refractis tamen dosibus, nunc externe forma aurae vel odoramenti adhibita.

1224. Dum viribus fractis soporosus evolvitur status, transudationis maximus minatur metus, quem avertere adnitimur reactiones vasorum absorbentium excitando, impulsum continuatum humorum versus caput minuendo, atque labentes vasorum capillarium nimis diu oppletorum vires una cum tono infracto prudenter restaurando. Praeter superius adlata diffusibilia a practicis laudantur flores Arnicae, Camphora Mercurio dulci nupta, opiata, quibus tamen semper caute mercandum, et revulsiones repetitae, quibus alii frictiones mercuriales adjungunt. — Remediis stimulantibus potentioribus, praesertim expansivis nonnisi sub maximo astheniae gradu utimur.

1225. Inter anomalias enkephalitidis numerari adhuc merentur diversa symptomata insolita et accidentalia, quae sive periculosa, sive duntaxat molesta fuerint, suum quoque exigunt respectum. Urinarum suppressioni, quae symptomata kephalica notabiliter exasperare solet, prospicimus fomentis emollientibus ad hypogastrium, et perinaeum, clysteribus, semicupiis; et si pertinax resistit lotium, cathetere educendum, ipsaque vesicae punctura in casu desperato non negligenda. — Alvus obstinate clausa enematibus oleosis, vel salinis cienda; haemorrhagiae, quae levamen ferunt, moderate sustinendae, praesertim epistaxes spontaneae, quod vaporibus emollientibus, ac metopiis tepidis praestari solet; si, contra, effraenia fuerint profluvia, epithematibus, vel injectionibus frigidis et stipticis coërcenda.

POSTHUMA.

1226. Communissimum, quod enkephalitidem gravem, ac generoso adparatu antiphlogistico tractatam excipit, consectarium, est conspicuus virium languor cum pallore kenotico (e vasorum exinanitione orto), vertigine,

sensuum cerebralium obnubilatione, facultatum mentalium hebetudine, nervorumque erethismo mirum in modum aucto. Hasce reliquias methodo potius curativae, quam morbo praegresso tribuendas, dissipare studemus regimine diaetetico selectissimo, cibis eupeptis, parca vini portione, aëre rurali, corporis motu moderato, frigido capitis tractamine, abstinentia ab omni mentis intentione, animi quiete. Qui in ejusmodi casibus, vividiori arteriarum temporalium et carotidum pulsatione seductus, delitescentem adhuc phlogosin suspicari, eamque debilitantibus prosequi vellet, aegrotantem in novum praecipitaret discrimen.

1227. Reliqua posthuma pendent a diversis inflammationis rebellis exitibus, suppuratione, effusione, induratione; consistunt in variis facultatum sensitivarum, mentalium, vel motuum voluntariorum aberrationibus, quae plerumque palliativam tantummodo curam admittunt, alio loco exponendam.

HYDROPS CEREBRI ACUTUS.

Rob. Whytt, Observations on the dropsy of the brain. Edinb. 1768.

Quin, Treatise on the dropsy of the brain. Lond. 1790. — A. d. Engl. von Michaelis. Leipz. 1792.

Odier, Mémoire de la société royale de médecine. 1779. pag. 204.

Wichmann's, Ideen zur Diagnostik. 3. B. S. 28.

Kreysig, Diss. de hydrocephali inflammatorii pathologia. Vitemb. 1800.

Cheyne, Essay on the hydrocephalus acutus. Edinb. 1809.

Formey, von der Wassersucht der Gehirnhöhlen. Berlin 1810.

Portenschlag, vom Wasserkopf, ein Beytrag zur Monographie dieser Krankheit. Wien 1812.

Löbelstein-Löbel, Erkenntniss und Heilung der Gehirnentzündung, des inneren Wasserkopfes etc. Leipz. 1813.

Gölis, Abhandlung über die vorzüglichsten Krankheiten des kindlichen Alters. 1. B. Wien 1815. Von der hitzigen Gehirnhöhlenwassersucht.

Coindet, Memoire sur l'hydrencephale, ou cephalite interne hydrencephalique. Paris et Genève 1817.

Brichetau Traité theorique et pratique de l'Hydrocéphale aigue, ou fièvre cérebrale des enfans. Paris. 1829.

Charpentier de la nature et du traitement de la maladie,

dite Hydrocéphale aigue (meningo-céphalite des enfans. Paris. 1829.

Sibergundi über den Hydrocephalus internus acutus in diagnostischer, aetiologischer und therapeutischer Hinsicht. (In Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. 1829. September.)

1228. Hydropem cerebri acutum, sive hydrokephalum inflammatorium, febribus angiosthenicis topica inflammatione comitatis ideo inserere placuit, quod ejus genesis a phlogistico processu in cerebro, vel saltem ab ei analoga congestione acuta derivari debet, cui febriles motus constanter adhaerent.

1229. Substratum speciale hujus morbi constituit meninx arachnoidea, ceu membrana seroso vapori exhalando dicata; et nonnisi ejus in gratiam congestio harum partium activa, vel vera phlogosis adeo eminentem nisum in transudationem offert, quam nihil aliud nisi effectum et exitum ipsius status phlogistici esse, absque difficultate concipitur. Quare etiam Meningitis, et in specie Arachnitis hypocleptica vocari posset.

1230. Quamvis hydrops cerebri inflammatorius veteribus ignotus fuisse non videtur, testantibus quibusdam locis Hippocratis (1), Aëtii, (2), in primis vero Schenkii a Graffenberg (3), et Vesalii (4); ad clariorem tamen illius notionem, recentioris praesertim aevi medicorum experientiae et conamina plurimum contulerunt; quos inter albo lapillo notari merentur Rob. Whytt, Quin, Odier, Wichmann, Formey, Portenschlag, et Gölis.

(1) De morbis Lib. II. Cap. 6. Edit. Chanter. Tom. VII. p. 556.
(2) Tetrabib. II. Serm. 2. Cap. I.
(3) Observationum medicar. Lib. I. Cap. 9.
(4) De humani corporis fabrica. Lib. I. Cap. 5. p. 17.

1231. Huncce morbum, infantibus tenerioribus per eminentiam infensum, distincta antecedere solent praeludia, quorum syndrome stadium opportunitatis, aliis turgescentiae dictum, constituit. — Pusilli consuetam amittunt hilaritatem et garrulitatem, erga res antea gratas fiunt morosi vel indifferentes, lente respondent, aegre gradiuntur et vacillant. — Somnus redditur inquie-

tus, pavoribus interruptus; interdum perpetuo soporantur, vel saltem transitoria tentantur vertigine, carebaria, sensuumque obnubilatione, cataphora, capite saepe saepius, quod sustentare nequeunt, antrorsum, vel postrorsum cadente.

1232. Ingreditur demum morbus ipse citius ocyusve, phaenomenis plus minusve conspicuis, cerebri inflammatorium turgorem, aut veram phlogosin indicantibus. — Infantes conqueruntur de doloribus capitis, praesertim ad frontem, de molesta cervicis tensione, caput automatice tentant; lucem aversantur, pupilla contracta; strepitum fortiorem expavescunt; frons tangitur justo calidior, sudatiunculis madida, cum velociori temporalium vibratione; facies nunc turget, nunc pallet, vel oedematose inflata cernitur; nares siccae pruriunt; suspiria frequentia notabiles angores indicant; summe inquieti miselli huc illuc jactantur; cibi et potus cupiditas exstinguitur; vomitus persaepe urget porraceus, qui tamen lenitur, dum supini cubant demisso capite; non desunt exempla abdominis inflati, tenesmi, vel ischuriae spasticae; alvus tamen plerumque stricta, ac difficulter solvenda, faecibus, dum emittuntur, viscido muco intermixtis; urinae plerumque parcae ac turbidae esse solent, mox largam hypostasin albam, mox pelliculam micaceam separantes; indies augentur pavores nocturni, somnus inquietissimus, suspiriis, gemitu, dentium stridore, tendinum subsultibus interceptus desideratam perturbat refectionem; cutis fit flaccida, sicca; exanthematis cujusdam circa labia et collum prorumpentis animadvertuntur vestigia, quod, testante Formeyo, in papulis exiguis, rubicundis, siccis, strophulum aemulantibus consistit; caloris in universo corpore augmentum, ast non constans; pulsus veloces, duri, contracti, non raro intermittentes; quandoque transitoria phrenesis, sopore interpolato; exacerbationes vespertinae solemnes.

1233. Mox enumerata, quae quoad intensitatem et numerum notabiliter variare solent, phaenomena per duos, quatuor, sex, aut et plures dies increscunt, primum formantes morbi cyclum, inflammatorium dictum.

1234. Ad maximum culmen evecta meningum symphoresis, aut phlogosis, nisi efficaci vincatur medentis opere, in funestum nititur exitum, transudationem utpote serosam, quam mox ceu effectum inflammationis pervicacis, omni decursus momento evolvi valentem, mox ceu crisin erroneam, diebus determinatis contingentem, considerare oportet.

1235. Phaenomena, quae hypoclepsin inchoatam, ac rapido passu ad altiorem gradum increscentem indicant, sunt: sopor continuus, vel coma vigil cum desipientia miti, voce rauca, clangosa; capitis volumen plus minusve auctum; suspiria, ejulatus, lamenta, motus automatici, convulsiones; artuum tremor, tendinum saltus; fugax genarum rubor, halitus oris graveolens; pupilla laxa, et dilatata, serius quoque ad lucem vividam immobilis; oculi lippi, turgidi, semiclausi, distorti, strabi; cophosis; anaesthesia catholica; leucophlegmatia; oedema faciei et crurum; paralyses; lotii et alvi invitus secessus; pulsus tremuli, intermittentes; spiritus ducendi summa difficultas; stertor; sudores viscidi; extremorum pallor, livor, et algor; emaciatio; deliquia; mors tandem apoplectica vel convulsiva.

1236. Syndrome horum symptomatum alterum constituit stadium, hypoclepseos utpote, quod nonnulli specialius in illud transudationis et paralyseos distinguere volunt. Desunt tamen definiti limites; atque communis omnium malorum fons unice in effusione seri indeque nata cerebri compressione est quaerendus. Duratio hujus periodi ab octo diebus ad duas septimanas extenditur, et sine dubio ab effusione lentius, rapidiusve contingente, nec non ab effusi laticis copia et qualitate determinatur.

1237. Quemadmodum pleraque symptomata in stadio primo manifestum patefaciunt incitationis augmentum in cerebro, ejusque meningibus; ita secundae periodi comites oppressionem functionum sensorii communis ab effuso extra alveos liquore aperte demonstrant; quam quidem in primordiis adhuc quaedam signa irritationis soci-

ant, tardius in astheniae ac verae paralyseos statum transituram.

1238. Cadavera tenellorum fatali hacce clade peremtorum conspicuam et notabilem ostendunt seri limpidi, tenuis, flavicantis aut rubelli, interdum gelatinosi, puriformis, lactescentis copiam, quam inter arachnoideam et duram matrem, maxime autem in ventriculis et maeandris cerebri collectam videre licet. Vasa arachnoideae ac piae meningis turgida, praegressae phlogoseos indicia praebent; medulla cerebralis mollior, friabilis, atque suturae ossium cranii hiantes in constanti fere cum prioribus connubio observari solent.

1239. Ad genesin hydrokephali acuti plurimum contribuit propria dispositio, quam aetas tenera, temperamentum phlegmaticum, laxa corporis compages, vitiosa capitis conformatio aliaeque processum reproductivum deprimentes, simulque in qualitate alterantes potentiae inducunt. Notari praeprimis merentur aër humidus, victus pravus, motus corporis neglectus, violentiae sub partu, nociva fasciarum nimis arctarum adplicatio, tussis convulsiva, obstructiones viscerum abdominalium; remediorum somnificorum abusus, quo nefariae nutrices pusillos inquietos sopire student; replicatae cerebri commotiones; dyscrasia scrofulosa; vermitio; repentina achorum vel lactuminis exsiccatio, eorumve impedita evolutio.

1240. Momentis procatarcticis accensēri solent: refrigerium capitis, incauta capillorum rescissio, commotiones per saltum, casum, vehementes cunarum motus, per colaphos; histrionum et funambulorum ludi declinato diutius capite peracti; achores, crusta lactea, scabies, ulcera, aurifluxus repentine suppressa; exanthemata acuta retropulsa, praesertim scarlatina; vomitus rebellis; metaschematismi rheumatis, vel erysipelatis; inflammationes graviores oculorum, aurium, faucium; abusus spirituosorum et Opii; incautus Belladonnae, scopo tussim convulsivam domante exhibitae, usus; insolatio; nimis sollicita separatio pityriaseos capitis (furfurum infantibus communium), quam Germani vulgo Gneiss appellant.

1241. Momenta disponentia eo nituntur, ut erethis-

mum sphaerae cerebralis intendant, robur contra imminuant, atque majorem humorum copiam versus caput alliciant; omnes itaque conditiones in suprema corporis parte adaugere juvant, quas alioquin aetate juniori generatim praedominari videmus, et quo praeter capitis volumen majus, dentitionis opus notabiliter contribuit.

1242. Causae excitantes systema vasorum capillarium in meningibus, et praesertim in arachnoidea ad vividiores incitant reactiones, nunc simplicem irritationem subinflammatoriam, nunc veram phlogosin creando, quae tam ex parte substrati, quam ex parte praedispositionis nisum eminentem manifestat in transudationem serosam, talique ratione hydropis acuti et secundarii originem ponit.

1243. Ad majorem hujus morbi aevo hodierno frequentiam educationis modus sine dubio aliquam contribuit symbolam, prouti etiam nimia sollicitudo, salutares, quae in parte capitis capillata propullulant, efflorescentias exsiccandi. Relativa tamen, quae primo intuitu adparet, infantum hydrokephalo auto decumbentium multitudo, dependere videtur ab exactiori morbi, antiquis facile praetervisi, cognitione.

1244. Hydrokephalus puerorum acutus vix non semper in mortem terminatur, mediante apoplexia serosa, ac praecedentibus plurimum aliis nevrosibus ex eodem fonte oriundis, uti sunt amaurosis, cophosis, amentia, epilepsia, hemiplegia. Plerique pueri inter diem 13^{um} et 17^{um} perire solent, quod superius adlatam ideam de crisi idiostatica erronea, versus secundi cycli septenarii finem facta, quodammodo corroborat.

1245. Sanationis spes ali vix potest, nisi in primo stadio adhuc versetur morbus; inflammationis utpote vigore et qualitate ita emendata, ut funestus praecaveatur exitus. Quamprimum clara patent effusionis factae indicia, desperatus omnino evadit casus.

1246. Cura hydrokephali acuti adcommodari debet stadiorum, atque indolis inde pendentis diversitati.

1247. Quousque manifesta e suis signis eruitur meningum phlogosis, comite virium vitalium reactione incitata; eousque methodus antiphlogistica principem consti-

tuit curationis cardinem. Vix unquam tamen tanta cum energia adhibenda erit, quanta in enkephalitide adultorum saepenumero absolute requiritur; tum quod exorbitantia universalis locali adfectioni non respondet, tum quod ipsa phlogosis topica ejus naturae est, quae, ob substrati qualitatem, generosis sanguinis missionibus non cedit; turgida enim vasa capillaria membranae arachnoideae cruoris e venis majoribus et remotis detractionem vix persentiunt.

1248. Venaesectio debitis reiterata cautelis, hirudines, remedia emollientia, eccoprotica, potus diluentes, refrigerantes, fomenta frigida, Schmuckeriana, clysteres aperitivi, epispastica, et pediluvia acria, potiora praebent indicata, quae antiphlogisticis respondent indicationibus. Ipsum stillicidium aquae frigidae super caput tonsum, omni altera hora adhibitum, quandoque profuisse testatur Formey. Ob peculiarem vero phlogoseos in transudationem nisum, eorum simul urget necessitas remediorum, quae funestum illum exitum avertere juvant; atque haec inter principem locum tenent Mercurialia et Digitalis.

1249. E mercurialibus, quae specificas in plasticitate humorum corrigenda, vasorumque resorbentium actione expedienda exerunt vires, mitiora seligere oportet praeparata, uti Calomel, Mercurium solubilem Hahnemanni, et unguentum cinereum pro frictionibus. Dosis Hydrargyri interne propinandi, pro aegroti aetate, constitutione, receptivitate, ipsiusque morbi gradu varia proponitur, a granis duobus ad decem et ultra intra nychthemeri spatium consumendis. Quo crebrius inde alvus cietur, secedentibus inprimis faecibus kystica bile tinctis, eo efficacior plerumque observari solet absorptionis promotio.

1250. Digitalis purpureae sedantes, simulque diureticas opes implorare fas est, ubi praemissas evacuationes desideratum non sequitur levamen. — Eminens infantum sensibilitas maximas jubet in usu potentis hujus pharmaci cautiones.

1251. Utriusque remedii tanto magis necessaria redditur usurpatio, si incipiens vel facta hypoclepsis promptam seri effusi eductionem injungit. Languentem vasorum

absorbentium actionem, praeter priorum doses majores, vesicantibus vel stibiatis acuere nitimur. Non minus a practicis laudantur flores Arnicae, quos etiam remediis nervinis et stimulantibus nubere oportet, si, absoluto phlogoseos cyclo, debilitatis ac nervosi characteris signa in conspectum venirent.

MYELITIS.

J. P. Frank, de vertebralis columnae in morbis dignitate. Opuscul. med. T. II.

L. Brera. Cenni pathologici della Rachialgite. Livorn. 1810.

Chr. Fr. Harless, practische Bemerkungen über die Entzündung des Rückenmarkes. Nürnb. 1814.

V. Racchetti, della struttura, delle funzioni, e malattie della midolla spinale. Milano 1816. p. 348.

Barbaroux, Diss. de medullae spinalis inflammatione. Taurini 1818.

Thom. Copeland, Bemerkungen über die Zufälle und die Behandlung der Krankheiten des Rückgrathes. Aus dem Englischen. Leipzig 1819.

Funk die Rückenmarksentzündung. Bamberg. 1819. 3. Auflage. 1832.

Klohss Diss. de myelitide. Halae. 1820.

Bergamaschi sulla mielitide stenica e sul tetano, loro identità, etc. Pavia. 1820.

Abercrombie's Krankheiten des Gehirns und Rückenmarkes. Bremen. 1828.

Leonhardi Diss. de Myelitide. Lips. 1830.

Hinterberger Abhandlung über die Entzündung des Rückenmarkes etc. Linz. 1831.

1252. Quemadmodum inflammatio medullae cerebralis (enkephalomyelitis), ab illa meningum (meningitis) nonnisi sub determinatis circumstantiis aliqua cum verisimilitudine dignosci potest; ita quoque inflammationis medullae spinalis differentiam ab illa velamentorum ambientium ad aegri lectum demonstrare vix unquam licet.

1253. Jam apud veteres, et in specie apud Hippocratem (1), indubia vestigia hujus morbi rarioris inveniuntur; clariores tamen notiones de pathologico statu spinae dorsi recentioris nonnisi aevi medicis in acceptis refe-

rendas habemus, quos inter prae aliis Petrus Frank, Soemmering, Brera, Harless, Racchetti, Abercrombie, Wenzel, Copeland, Bampfield, Ollivier et Hinterberger mentionem merentur.

(1) De internis affection. XIV. Edit. Linden. Tom. 2. pag. 214.

1254. Ut haecce inflammatio solito compellaretur more, myelitidis nomen plerique proposuerunt, derivatum a graeco μυελὸς, quod medullam indicat. Passionem autem inflammatoriam dorsalis quoque medullae, Hippocrati μυελὸς νωταιος dictae, simul expressurus, hanc notaeomyelitidem dicet, quo eandem ab aliarum medullae specierum phlogosi, nevromyelitide, osteomyelitide una distinguet. Rejicienda vero prorsus erit, Rachialgitis, monstrosa compellatio, quae juxta etymologiam vocis inflammationem doloris dorsalis denotat, uti et Spinitis, nomen priori vix non magis barbarum.

1255. Diagnosis phlogoseos medullae spinalis multis hodieque obsepitur difficultatibus, atque nonnisi sequentia latentis morbi praesentiam patefacere possunt phaenomena: dolores urentes, profundi in quadam columnae vertebralis regione, qui mox ad minorem plagam limitati crebro ab occipite ad nucham protensi, mox per majorem specus vertebralis tractum diffusi observantur, sub pressione vix ac ne vix quidem augentur, at sub motibus incurvationeve trunci notabiliter increbescunt; — sensus formicationis, torporis, vel caloris interni per decursum spinae propagatus; dolor fixus ad scrobiculum cordis; anxietas summa cum sudoris frigidi extorsione, praecordiorumque constrictione; truncum, propter supra notatam, quovis, eoque vel minimo, conatu excitatam tormentorum exacerbationem, curvandi impotentia; situs ideo supinus praedilectus, ac plumbeum corporis pondus; — febris inflammatoria comes pulsibus parvis, duris, frequentibus, facile inaequalibus incedit; diversarum functionum, ab influxu nervorum spinalium immediate directarum, laesiones topicae inflammationis sedi respondentes, quae plerumque vel ad paralysin, vel ad quemdam torporem in organis musculosis et quidem praesertim in musculis thoracis, abdominis, extremitatum, intestinorum, vel vesicae

reduci possunt; unde angores, dyspnoea, motus brachii alterius utrius, vel cruris utriusque sufflaminatus, alvi secessus involuntarius (coprorrhoea), vel pertinax oppilatio ischuria vel enuresis. Quandoque musculorum rigorem, tetanum, artuum ankylen spasmodicam, subsultus tendinum, ipsasque convulsiones myelitidis comites fuisse experientia docuit. Ideo tamen tetanum et inflammationem medullae spinalis pro identicis malis (Bergamaschi et Funk ita opinantur) declarare velle, erronea foret conclusio.

1256. Quo magis versus superiora protenditur phlogosis, ita quidem, ut ipsam medullam oblongatam in consensum trahat, eo magis etiam phaenomena myelitidis cum illis enkephalitidis conspirant, eamque morbi formam praesentant, quae nonnullis veteribus Σφακελισμος (mortificatio, interfectio) dicebatur, ob praecipitem, quam sequi viderunt, corporis siderationem.

1257. Inflammationem externam specus dorsalis, singularum utpote vertebrarum, vel ligamentorum vertebras invicem connectentium (Spondylitis, vel Rachitis in stricto sensu vocis) revelat prae aliis dolor fixus et constans ad unam alteramve spinae dorsalis plagam, mox ab aegrotantibus indicatus, mox nonnisi a medico diligentius examinante per contrectationem processuum spinosorum, vel ope spongiae aqua calida imbutae eruendus; motus trunci impeditus ob summos, quos tentamen quodvis excitat, cruciatus; molestae tensiones in pectore vel abdomine; dolor ad scrobiculum cordis; pulsatio vasorum majorum, atque febris inflammatoria comes. — Ad meninges medulae diffusa phlogosis supra notatam symptomatum nervosorum seriem progignit.

Jaeger, (Mich.) die Entzündung der Wirbelbeine, ihre Arten und Ausgänge. Erlang. 1830.

1258. Decursus myelitidis quidem acutus, minus tamen praeceps, quam in cerebri inflammatione, animadvertitur. Circa diem 7um, 9um, 14um, vel resolvitur phlogisticus medullae dorsalis status sub sudoribus profusis, urinis hypostaticis, aut fluxu cruento nunc uterino, nunc haemorrhoidali; vel funesto exitu mortem parit. — Quae

diutinum tenet decursum, myelitis chronica dicta, vix non semper simplicem tantum refert irritationem subinflammatoriam (myelo-symphoresin), proximam saepe multarum nevrosium, tetani, tremorum, ballismi, eclampsiae causam. Vera ex adverso phlogosis lenta in vertebris occurrit, cariei aliorumque vitiorum organicorum genitrix et socia.

Klövekorn Diss. de rachialgitide chronica. Berol. 1823.

1259. Communissimum notaeomyelitidis substratum sistit pia meninx et arachnoidea, quae membranae medullam undiquaque ambientes ob conspicuam vasculorum sanguiferorum penuriam (saltem relate ad tunicas cerebri) fabricamque simplicem nonnisi tunc verae inflammationis ortum admittunt, ubi cum violentis confligunt potentiis. Nimia quorumdam medicorum facilitas, omnem, quae in defunctis deprehenditur, vasorum medullae turgescentiam et varicositatem illico pro phlogistico processu declarandi, sanae rationi omnino repugnat.

1260. Dispositiones particulares, quae myelitidis origini faverent, nondum innotuerunt; videtur tamen onaniae, venerisque abusus in producendos medullae spinalis morbos eminentem exerere influxum. Aetatem puerilem pubertati proximam in congestiones activas medullae spinalis, variasque inde oriundas nevroses, maxime convulsivas, eminenter propensam esse, pluribus compertum habuimus casibus. Evolutio climacterica totius organismi, maxime autem columnae dorsalis sub corporis incremento, insignem hic ludere videtur scenam.

1261. Causis excitantibus accensentur omnes potentiae traumaticae, concussiones, ictus, vulnera, luxationes, distorsiones, vel fracturae vertebrarum, inepta hydrorrhachiae operatio, commotiones medullae spinalis a casu in podicem; irritamenta chemica, uti pus, vel sanies e corrosis vertebris secreta; — tophi et exostoses; dyscrasia venerea, et scrofulosa; metastases; metaschematismi rheumatis, arthritidis, aut impetiginis cujusdam retropulsae; fluxus haemorrhoidum vel menstruorum retentus.

1262. Quandoque myelitis secundarium et consensua-

lem enkephalitidis effectum constituit, vel vero ab inflammatione vertebrae cujusdam, ligamentorum spinae dorsi, vasorum majorum, vel viscerum dependet.

1263. Quae resolvi non sinit spinalis medullae phlogosis, praesertim acuta, in organica terminari potest posthuma, quae inter hydrops specus vertebralis, hydrorrhachia, frequentissimum esse solet, hypoclepseos serosae effectus. — Quatenus ab incitata vasorum capillarium secernentium activitate dependet, ac plurimum repentine subnascitur, hydrorrhachia acuta compellatur, summam habens cum hydrenkephalo acuto analogiam, hujusque adinstar infantibus praesertim infensa. Ex eodem fonte quandoque effusiones humoris lymphatico-puriformis arachnoideam obducentis, vel et morbosae inter contiguas meningum superficies adhaesiones repetendae veniunt. Exulcerationes nonnisi rarissime in ipsa medulla spinali nascuntur, sed ab exesis partibus columnae vertebralis eo propagantur, ibidemque eam modificationem ostendunt, quam pulpae cerebrali suppuranti propriam esse diximus.

1264. Secundaria, quae e variis phlogoseos mox acutae, mox lentae exitibus funestis originem trahunt, mala sunt: paralyses, convulsiones, tremor; languor officinae digestricis, dyspepsia, dyschymia; extinctio plenaria cupidinis sexualis (anaphrodisia), vel saltem impotentia; tabes partialis, aut universalis cum febre hectica; devastationes fabricae organicae partium confinium, uti caries vertebrarum, gibbus (kyphosis), scoliosis, fistulae in cavum abdominis penetrantes, vel extrorsum patentes.

Wolff (Ludw.) Beobachtung einer chronischen Entzündung des Rükenmarkes mit ungewöhnlichem Ausgange. Hamb. 1824.

1265. Mors duplici praesertim adduci solet modo: 1) Per apoplexiam medullarem, per sublatam nempe principii vitalis conductionem, ac interceptam efficientiae nervosae inter singulas sphaeras systematis nervei concatenationem harmonicam; 2) Per mala secundaria: pedissequam eorporis extenuationem, ac massae organicae liquationem.

1266. Cura inflammationis medullae dorsalis ab illa enkephalitidis ne hilum discrepat, nisi topica excipias sub-

sidia, loco adfecto adcommodanda. Continuante causarum amovendarum actione, directae indicationi conceditur occasio, quam pro casus individualis varietate apte dirigere nemo medicorum ignorabit. — Si vero causa ignota, vel jam amota, quin tamen effectus cessaverit, indirectis indicationibus ipsi morbi genio obviam eundum; atque adparatus antiphlogisticus omnem in sensum opponendus. Hinc venaesectiones repetitae, hirudines juxta dorsum, dolenti loco quamproxime, vel ano admotae; scarificationes debitis cautelis institutae; fomenta frigida, remedia temperantia, eccoprotica; clysteres emollientes, oleosi; pediluvia; semicupia; sinapismi; vesicantia ad extremitates inferiores; quies corporis scrupulose observata; situs horizontalis; regimen diaeteticum exquisitum.

1267. Chronica myelitis mercurialibus, Tartari stibiati refractis dosibus interne propinatis, vel eodem remedio, in scopum revellentem, juxta spinae decursum illinito, floribus Arnicae, pharmacis nervinis caute directis, vesicantibus replicatis, iisque abundanter fluentibus, atque, si pertinax foret casus, ipso cauterio et fonticulis, Pottii ad mentem columnae vertebrali utrinque impositis, tentanda erit, eoque magis actuosa methodo oppugnanda, si ossea simul vertebrarum compages lentam fovet phlogosin, aut suppurationem.

OPHTHALMITIS.

1268. Quae pretiosissimum humanae fabricae organon plectit, phlogosin, oculorum utpote, etsi omni jure ad medici forum pertineat, ea, qua necessarium foret, dicendi copia pertractare superfluum censuimus, quum tyronibus cunctis speciale incumbat officium, Ophthalmiatrikes, propria cathedra professae, publicas lectiones adeundi.

OTITIS.

Brotbeck, Diss. de inflammatione aurium. Tub. 1667.

Saunders, the anatomy and diseasos of the human ear. London 1806.

Malatides Tractatus de Otalgia, singula doloris aurium genera

et species, methodo pathologico-therapeutica exponens. Viennae. 1821.

Schlegtendal Diss. de Otitide. Halae. 1821.

Itard Traité de maladies de l'oreille et de l'audition. 2 Vol. Paris. 1821. — Aus dem Franz. übers. Weimar. 1822.

Casper (J. L.) die Krankheiten der Ohren und des Gehörs nach ausländischen Beobachtern bearbeitet. (In Rust's Magazin. B. X. XI. XII.)

Saissy Essay sur les maladies de l'oreille interne. Paris. 1827. — Aus d. Franz. Uebers. von Fitzler. Ilmenau. 1829.

1269. Missam facimus inflammationem auriculae, quae communibus distinguitur phlegmones externae signis, particularibus, nisi quae a substrato specialius adfecto dependent, phaenomenis prorsus destitutam.

1270. Objectum nostrae adtentionis constituit phlogosis vel irritatio subinflammatoria auris internae, Otitis, sive Otalgia inflammatoria (ab ὦς, ὠτος, auris), cujus frequentiam, praesertim dum ab epidemicis dependet influxibus, non solum praxis confirmat, verum etiam ratio facili negotio concipere sinit, si animum ad eminentem hujus organi erethismum revolvimus.

1271. Substratum otitidis praecipuum sistit membrana serosa et fibrosa, quae internam obducit cavi tympani, ac labyrinthi canalium superficiem. Inde quoque acutissimus concipitur, qui membranarum serosarum inflammationibus universim communis esse solet, dolor, in aure adhuc ad majorem potentiam evolutus, ob insignem, qui internam aurem permeant, nervorum copiam.

NOSOGRAPHIA.

1272. Diagnosis otitidis depromitur ex sede doloris, functione organi laesa et febre inflammatoria comite, cujus intensitas topicae adfectionis gradui plerumque respondet.

1273. Quin tumor forinsecus conspiciatur, atrocissimus urget in penetralibus auris alterutrius, vel utriusque dolor fixus, ardens, lancinans, pulsatilis, absque luculenta continuans remissione, libenter ad contiguas protensus membranas, et quidem homogeneas, uti ad meninges vel pericranium, unde adeo frequens hemicraniae copula. Sub

tactu rudiori auris externae nullum observatur tormentorum augmentum; at contrarium accedit sub strepitu et clamore. Quandoque dolor ad processum mastoideum observatus fuit; ceu constans tamen phaenomenon neutiquam habendus.

1274. Ea ratione qua sensus communis internae auris summopere exaltatur (doloris sub forma); etiam specifica ejusdem organi versus sonum intenditur sensibilitas (phthongodysphoria, oxycoia), unde auditus acutissimus, omnisque doloris a fortiori strepitu exacerbatio. Increscente tamen inflammationis gradu, nervi acustici acies facile obtunditur, atque sub acerrimo interdum dolore torpor sensus auditus adparet; (baryecoia, obauditio, cophosis, surditas). Utroque in casu simul qualitatem acusticae efficientiae alteratam (paracusin) observare licet, hallucinationes utpote diversas, syrigmi vel tinnitus sub forma obvias.

1275. Extensa per tubam Eustachii ad fauces usque phlogosis masticationem et deglutitionem quandoque impedit; per consensum saepe saepius oculus ejusdem lateris rubet, ac involuntarie lacrymatur; sub graviori demum malo meningum subnascitur irritatio, unde pervigilia molesta, kephalaea, delirium, coma, convulsiones, syncope, apoplexia, symptomaticam indicantia enkephalitidem.

1276. Reliqua phaenomena otitidis sunt communes inflammationum satellites, uti: faciei turgor et rubor, calor corporis urens, anxietas, pulsus frequentes, duri, vibrantes, vel contracti; febris uno verbo angiosthenica, quae nunc primaria, nunc mere secundaria et symptomatica esse potest.

1277. Decursus otitidis phlegmonosae, quam hic intelligimus, semper acutus est et praeceps, intra quinque septemve dies vel in salutem, vel in alium morbum nitens. Simplex auris internae symphoresis, gradus praesertim lenioris, ac permanente quodam fota irritamento, ad chronicum libenter inclinat decursum, atque otitidis lentae, aptius otalgiae symphoreticae appellatione insignitur.

1278. Analogos otitidi adfectus praebent otalgia

rheumatica, prosopalgia et odontalgia acuta, atque parotitis incipiens. A prioribus algematum speciebus differt aurium inflammatio vera: dolore ad aurem fixo, continuo, acuto, interno, et febri inflammatoria comite; a parotide incipiente vero facile distinguitur, quod haec tumore, duritie, atque externo stipetur retro auriculam dolore, qui sub tactu exasperatur. Otitis catarrhosa et rheumatica particularibus distinguitur notis suo loco indicandis.

CAUSAE.

1279. Praeter generalia, quae morbis inflammatoriis patrocinantur, momenta, proclivitatem in otitides inducunt: particularis hujus organi sensilitas, quam non solum in hominibus, sed etiam in quibusdam brutis, v. g. in canibus, erga certos tonos, praecipue acutos, observamus; nimis sollicita aurium mundities ac defendentis ceruminis inopia; vitia organica.

1280. Inter causas occasionales, primariam et idiopathicam auris phlogosin provocantes, notari prae aliis merentur: omnia traumata, contusiones, violenta introductio auriscalpiorum, concussiones per alapam vel cunarum motus vehementes productae, corpora peregrina in meatum auditorium intrusa, uti pulveres, pisa, fabae (praesertim, dum naturali calore et humiditate fotae, germinare incipiunt), cerasorum nuclei; insecta mole, motu, vel punctura irritantia, uti apes, vespae, muscae, pulices, et sic dicti fullones forficulati (Ohrwürmer), qui libenter humida et obscura quaerunt loca; ipsum cerumen copia, duritie, vel acredine peccans; substantiae acres auri, scopo cophosin leniente, immissae, uti Camphora, olea destillata; calor excessivus; demum omnis sonus fortior, ceu specificus pro nervis acusticis stimulus, praesertim toni altiores et ingrati, quemadmodum illi metallorum concrepantium, vel admodum vehemens sonus, qualis tormentorum explosionibus concitatur.

1281. Symptomaticam otitidem progignunt inflammationes faucium, parotides, erysipelas faciei, impe-

dita dentium proruptio; habitualia profluvia retenta. — Refrigerium repentinum auri incaute admissum catarrhosae vel rheumaticae otitidi propriam constituit prophasin. Possunt tamen et istae inflammationes specificae faventibus sub circumstantiis ad phlegmones potentiam evehi.

1282. Deuteropathicae otitidi producendae pares observantur metastases purulentae, v. g. post variolas; metaschematismi erysipelatis, arthritidis; exostoses venereae; caries ossis petrosi, labes scrofulosa, otorrhoeae suppressio. Otitidis per meram sympathiam ortae exemplum praebet illa, quae una aure jam adfecta, in altera suboritur.

TERMINATIONES.

1283. Sub conditionibus secundis otitis vera in salutem abire non recusat, et quidem mediante resolutione perfecta; quo, prae caeteris, absentia vitii organici, gradus morbi levior, causa incitans potius dynamica, et requisita medela contribuit. Eodem tempore febris inflammatoria comes, coadjuvantibus virium vitalium molliminibus, ad declinationem pergit, subortis non raro evacuationibus beneficis per sudores, urinas, haemorrhagias narium spontaneas vel etiam per stillicidium serosum e tuba Eustachii.

1284. Ast multo frequentius, praesertim dum gravior fuerit, in funesta nititur mala, tam dynamica, quam organica. — Obauditionem, vel et perfectam cophosin, post intensas et repetitas otitides haud raro permanentem, ceu dynamicum agnoscimus consectarium, citra ullam organi destructionem, ex solo efficientiae sensitivae languore oriundum.

1285. Inter metamorphoses organicas ab inflammatione relictas, suppurationem et hypoclepsin communissimas esse, praxis docuit. Suppuratio, quae in seroso auris internae velamento efformatur, ossium auditus pervicacem sustinet cariem. Infausti hujus exitus signa desumuntur e doloris, jamjam decrescentis, recenti ac inopinato augmento, kephalaea gravativa, calore, plenitudine, tensione aut pulsatione ad aurem internam, atque e febris suppuratoriae signis.

1286. In gratiam substrati ille processus pyogeneticus facillime in exulcerationem, sive saniosam colliquationem vertitur, ossicula auditus consumit, cellulas apophyseos mastoideae, vel etiam internas labyrinthi partes arrodit ac destruit, omnem audiendi facultatem extinguit ac plerumque medentis intentionibus pertinaciter resistit. Sanies acerimna et foetentissima, corroso tympano, extrorsum profluit, ac otorrhoeam chronicam mali moris sustinet; vel vero, infausto magis omine, introrsum directa, ac erosione in ipsum cranii cavum penetrante, cerebrum lethali inundat rivo, ac vitam sub funestissimis prodromis, convulsionibus, kephalaea dira, delirio, paralysi, apoplexia, brevi sufflaminat.

1287. Minus periculosam consequentiam sistit hypoclepsis, sive transudatio liquoris nunc serosi, nunc magis gelatinosi, aut puriformis, cujus genesin ab incitata, simulque in qualitate laesa secretione membranae serosae concipimus. In primo casu speciem hydropis, hydrotis, praesentat, quem etsi certis signis dignoscore nondum liceat, cadaverum sectiones demonstrant. In altero pervicax continuare solet aurifluxus, chronicae medorrhoeae analogus (Ohrentripper), comite obauditione, syrigmo continuo, vel cophosi perfecta, ac perenni in recidivas phlogoses nisu.

1288. In mortem otitis directo modo abire nequit, quum organi integritas ad sustinendum processum vitalem nequaquam requiritur. Remotiorem tamen lethi causam largiri omnino potest, mediante utpote phrenitide secundaria, exulceratione chronica, vel puris in cavum cranii effusione.

1289. Prognosis eventus futuri in otitide desumitur e causarum notione, earum plus minusve facili amotione, e vitiorum organicorum in aure interna absentia, vel praesentia, e morbi gradu, vehementia, pertinacia, anomalia, et complicationibus.

THERAPIA.

1290. Cognita si fuerit otitidis causa, immediatam amotionem jubet, dummodo id artis opere obtineri queat.

Heterogenea corpora meatui auditorio impacta, uti nuclei cerasorum, pisa, fabae, si sola inclinatio capitis in latus adfectum non juverit, chirurgica manu sunt extrahenda, v. g. ope volsellae aut specilli incurvati, cujus apices viscidos reddere oportet; insecta, quae viva educi nequeunt, oleo blando, melle, lacte, succo Absynthii aut Ledi palustris, auri caute instillatis, vel gossypio susceptis et prudenter immissis necanda, quem in finem etiam fumus Tabaci adhiberi posset. Abstinendum tamen ab omni irritamento, oleis stillatitiis, Camphora, Terebinthina, quae omnino phlogosin exasperare deberent. Cerumen induratum injectionibus mucilaginosis, vel oleosis emolliendum.

1291. In reliquis otitidis speciebus medentis intentio eo dirigenda, ut non solum incitatam vasorum capillarium in aure interna reactionem compescat, sed etiam totius systematis circulatorii hyperstheniam moderetur.

1292. Praemissa venaesectione, eaque repetita, dum gravior urget phlogoseos topicae et universalis exorbitantiae vehementia, illico ad generosam, ac, optime hirudinum ope praestandam, depletionem localem recurrere oportet. Reliquas indicationis antiphlogisticae paginas absolvunt remedia leniter purgantia, potus temperantes, pediluvia, clysteres aperientes, atque topica, et quidem emollientissima, remedia auri admota, uti cataplasmata e seminibus Lini contusis, vel e mica panis cum lacte parata, fomentationes ope spongiae decocto mucilaginoso imbutae, vapores tepidi, colutoria faucibus retinenda, ipsaeque injectiones aut potius instillationes lactis, mucilaginis Gummi arabici dilutae, olei Amygdalarum debitis cautelis factae. Tincturam Digitalis, quam Lehmann meatui auditorio instillandam proposuit, (1) vigente phlogosi non convenire, e generalibus praeceptis therapeuticis facile intelligitur.

(1) American Journal of the medical sciences. Philad. 1830.

1293. Imminutis sub hacce medendi methodo incitationis arteriosae turbis, quin tamen optatum insequatur contumacis doloris lenimen, ad vesicantia et narcotica recurrendum, quae inter Hyoscyamus et Opium principem laudem merentur.

1294. Regimen diaeteticum particulares sub cura-

hujus inflammationis non patitur exceptiones, nisi quod prae caeteris specificus pro auditus organo stimulus, sonus utpote fortior, per quantum fieri licet, arceri debeat.

1295. Otitidis decrementum et convalescentia juxta generales regulas therapeuticas tractetur, oportet, desinendo paulatim a remediis generosis, diligenter e contrario lenioribus continuando, praesertim emollientibus topicis, ut, quae diutius plerumque perseverare solet, auris sensilitas pedetentim componatur, ac recidivae metus abigatur.

POSTHUMA.

1296. Infelix otitidis in suppurationem transitus ab initio remediorum emollientium continuatum postulat usum, ut abscessus ad rupturam disponatur, et periphericae, quae illum cingit, phlogoseos impetus moderetur. Tympanum, si per majorem puris, vel saniei copiam extrorsum protruditur, cultro quantocyus incidendum, ut ulterioris devastationis periculum avertatur, vel saltem minuatur; decoctis demum emollientibus auri caute injectis saniosus liquor eluendus.

1297. Postquam ex imminuto dolore notabile adparet irritationis topicae decrementum, pedetentim ad injectiones leniter adstringentes et incitantes, aliquoties in die replicatas transire licebit, ut exulcerationi limites ponantur, ac vitiata secretio corrigatur. Laudata prae caeteris remedia sunt: decoctum Hordei, vel aqua Rosarum cum aceto plumbi; infusum herbae Scordii, vel Rutae cum tinctura Myrrhae, atque vesicantia retro aures per plures septimanas in fluxu conservanda, quibus omnibus etiam in otorrhoea puriformi cum emolumento uti solemus.

1298. Ut insecta, aestivo praesertim tempore, ab aure suppurante, quam foetoris specifici gratia libenter obsident, avertantur, maxima aegris inculcanda mundities, ipseque meatus gossypio occludendus.

GLOSSITIS.

Elsner, resp. Günther, Diss. de glossitide s. linguae inflammatione. Regiom. 1788.
Bloedau, Diss. de Glossitide. Jen. 1795.
Raggi, Ragionamento accademico sulla glossitide. Pavia 1809.
Viollaud Essai sur la Glossite. Paris. 1815.
Athanasievits Diss. de Glossitide. Pestini. 1826.

1299. Inflammatio linguae, Glossitis (a γλῶσσα, lingua), rariorem in praxi sistit phlogoseos speciem, etsi lingua potentiis irritantibus non minus frequenter, quam alia organa externa, exponatur. Ratio latere videtur in ipsa linguae structura; cunctos enim musculos in processum inflammatorium minus pronos esse abunde constat.

1300. Diagnosis nullis prorsus difficultatibus premitur, cum symptomata inflammationis communia in lingua, ceu organo externo, in sensus medici cadant. Linguae totius, vel dimidiae tumor, rubor, et calor, dolor acris, oris siccitas, vel immodicum salivae profluvium, comite febri inflammatoria syndromen phaenomenorum essentialium constituunt. — Inflammatio linguae dimidiae (hemiglossitis) rarior quidem est in praxi, verum abunde vindicat intergerium hominis dextri et sinistri etiam in organis solitariis, dummodo medianam corporis occupent lineam, symetricamque nacta sint formam.

1301. Quo magis tumet et turget lingua, eo plures quoque laeduntur, quae ab illa dependent, functiones. Loquela inprimis redditur difficilis et tarda, dyslalia et mogilalia, vel prorsus impeditur, alalia; laeditur deglutitio, dyscatabrosis, vel etiam respiratio, dyspnoea. Quandoque linguae moles ad illud crescit volumen, ut totum impleat oris cavum, vel, cancellos excedens suos, postrorsum acta epiglottidem comprimat, isthmum faucium occludat, ac omni momento suffocationem minetur, vel plane extra oris antrum promineat, glossoptosis. Linguae inflammatae superficies plerumque denso et tenaci muco, vel lymphatico corio tecta cernitur.

Mox copiosa secernitur saliva in fauces depluens, ac foedo spectaculo ex ore promanans, sialorrhoea; mox molestissima urget arescentis oris siccitas. Gustatus in morbi principio plurimum acutior observatur, ob incitatum nervorum erethismum (geusiodysphoria); in decursu autem, praesertim dum ad insolitum gradum inflammatio increscit, non raro notabiliter obtunditur (ageusia), e compressis sine dubio surculis nervosis per vasa nimis turgentia, ac ideo debilitatis nervosae spuriae ideam exhibet.

1302. Reliquorum symptomatum catenam componunt: sitis clamosa, anxietas et inquietudo maxima, kephalaea, oculorum illacrymatio, faciei turgor vel squalor cum adspectu tristi, pulsus demum inflammationis topicae ac febris comitis intensitati respondentes.

1303. Glossitis sub phaenomenis modo recensitis, numero tamen et gradu variantibus, ad 5^{um}, vel 7^{um} excurrit diem, quo vel resolvitur sub sudoribus largis, urinis hypostaticis, aut critico salivae uberioris profluvio; vel in posthumum quoddam vergit malum.

1304. Causis occasionalibus, quae communiter glossitidem producere consuescunt, accenseri debent: vulnera, puncturae, morsus sub masticatione, trismo, aut epilepsiae accessibus contractus; incauta frenuli incisio, vel ranulae operatio; dentes acuti introrsum prominentes, vulgo lupini dicti; puncturae insectorum venenatorum, apum, vesparum; ambustio; nix aut glacies ore retenta (unde pernio linguae); substantiae acres et causticae, linguae, praesertim excoriatae, adplicitae, uti piper, spiritus vini, fumus foliorum tabaci acrioris, eorumque masticatio, et similia, quae praeter generales vires stimulantes, in quavis parte obvias, specificum pro organo gustatus stimulum suppeditant. — Inde glossitidis primariae et idiopathicae origo.

1305. Symptomaticam et secundariam linguae phlogosin cient inflammationes partium vicinarum, tonsillarum, faucium, gingivarum, prae aliis vero glandularum salivalium ex abusu Mercurii; itidem aphthae membranam oris mucosam obsidentes; exulcerationes syphiliticae, quas

in infantibus haud raro observamus infecta ubera sugentibus; ranula; calculi salivales. — Remotiori intuitu contribuere etiam possunt, favente praeprimis dispositione, refrigerium repentinum, cohibitio sudoris et menstruorum. Quae ad membranam mucosam linguae circumscribitur inflammatio, stratis muscularibus intactis, mox symphaticum sistit adfectum gastritidis, mox peculiare morbi genus, nomine stomatitidis insignitum, cujus mentionem in capite de inflammationibus catarrhosis facturi sumus.

1306. Quae resolutionem benignam respuit glossitis, gravior et pertinax, terminatur vel in gangraenam et sphakelum partialem, vel obdurescente prius massa linguae, e lympha plastica inter fibrarum muscularium spatia effusa, pedissequum invitat carkinoma. In suppurationem linguae phlogosis, aliorum musculorum more, rarissime tendit, nisi aphthosas membranae mucosae exulcerationes excipere velimus. Vidimus tamen abscessum formae consuetae, post glossitidem gravem, quam nix ore liquefacta produxit. Mors sequitur vel suffocatione sub maximo inflammationis vigore, vel malis posthumis.

1307. Glossitis mercurialis particularem exerit nisum in pseudorganisationes, sive hypersarcoses polyposas aut condylomatosas, quas ibi praesertim oriri videmus, ubi processui plastico et expansioni organicae, per inflammationem justo magis intentis, minora resistunt obstacula, e. g. ad dentium lacunas, quarum figurae et numero analogas in linguae marginibus excrescentias respondere videmus.

1308. E terminationum modis etiam patet, quale universim institui possit praesagium. Caeteris paribus glossitis, praesertim levior, facilius resolvitur; ad altum vero evecta gradum notabile semper includit periculum; summa enim supponi debet causae producentis potentia, ut gravis in organo minus disposito concipiatur inflammatio.

1309. Cura directa glossitidis consistit in causarum, quae eam produxerunt, aut sustinere juvant, amotione. Tollenda igitur dentium inaequalitas, corpora peregrina infixa extrahenda, habituales evacuationes revocandae, ranula exstirpanda; ab acribus abstinendum.

1310. Reliquis indicationum momentis satisfacere contendimus remediis antiphlogisticis, gradui inflammationis adcommodatis. Hinc venaesectiones; hirudines sub mento, vel ad gingivas adplicitae; scarificationes iisdem in locis tentatae; sectio venae raninae, nisi linguae turgidae moles obstaret; cataplasmata circa collum, collutoria e decoctis, vel infusis herbarum emollientium cum lacte, injectiones similes ad tenacem mucum diluendum et eluendum; vapores tepidi frequenter ore hauriendi; potus temperantes, eccoprotica non acria, uti Tamarindi, Manna, Cassia fistula, oleosa; pediluvia; clysteres aperientes.

1311. Sub summo, qui suffocationem vel gangraenam minitatur, linguae turgore et livore suadentur etiam incisiones profundae juxta margines factae, sanguinis profluvio vaporibus et collutoriis emollientibus sustinendo. Laryngotomia semper anceps suppeditat auxilium, nonnisi in desperato casu tentandum.

1312. Lingua admodum dolens, arida, et extra os porrecta cremore lactis, oleo amygdalarum, vel mucilagine seminum Cydoniorum saepius illinienda. Si fames urget sub deglutiendi impossibilitate, aeger enematibus nutrientibus sustentandus. Alii jura concentrata canulae a Libouton et Richter propositae, naribusque immittendae ope infundere suadent.

1313. Glossitis secundaria et symptomatica principis mali sedulam exposcit curam. Quae ab ulceribus venereis dependet, mercurialibus oppugnanda; quae ab aphthis originem trahit, detergentibus ac leniter adstringentibus tentanda. In glossitide mercuriali eo nititur omnis cura, ut ulterior suspendatur Hydrargyri usus, ut vicariae, purgantibus vel sudoriferis, excitentur secretiones, ut glandularum salivalium irritatio leniatur, utque dyscrasia scorbutica, quae largiori mercurialium et protracto usu induci solet, corrigatur. Insufficiens tamen plerumque redditur omnis medici intentio, quousque permanentes non cessaverint illius veneni effectus, ac definitus non excurrat cyclus, cui specifica illa phlogosis adstricta cernitur.

1314. Posthuma glossitidis juxta generales regulas

tractanda veniunt, habito praesertim ad substrati indolem respectu.

U L I T I S.

Schelhammer, Diss. de parulide. Jen. 1692.
Serre, Abhandl. über die Flüsse und Entzündungen von denen die Zahnfleischgeschwüre herrühren. Wien und Leipzig 1791.
Hirschfeld Bemerkungen über die Krankheiten des Zahnfleisches mit und ohne Entzündung. Erfurt. 1804.

1315. Gingiva, quae nihil aliud, quam oris membranam mucosam magis incrassatam sistit, non solum ob nervos, quibus instruitur, sed quammaxime ob insignem vasorum capillarium rubrorum copiam, in phlogoses omnino proclivis observatur, quas modo a communibus, modo a specificis causis pendere videmus.

1316. Inflammatio gingivarum, ulitis (ab οὖλον gingiva), minus recte parulis, dignoscitur e solitis inflammatorii status phaenomenis: rubore, tumore, calore aucto, tensione et dolore, nec non febri irritativa, si altioris fuerit gradus. Particularis autem structura gingivarum, quasi spongiosa, ipsiusque sensibilitatis organicae specifica fere, quam in statu sano offert, qualitas et modificatio efficit, ut levior praesertim irritationis gradus, doloris loco, ingratum producat pruritum, et titillationis sensum, quem partis adfectae compressione per linguam, per digitos, vel per dentiscalpia dentium interstitiis immissa lenire studemus. Analogum phaenomenon praesentat etiam irritatio palati duri.

1317. Phlogosin, de qua hic sermo, nunc partialem, nunc magis extensam, consuetae invitare solent causae procatarcticae, quas, in priori capite, glossitidi producendae pares diximus; praecipue traumata, ossicula acuta impacta, dentis cariosi stimulus, ejusve rudis evulsio, ambustio, acria et hydrargyrosis.

1318. Specificam vero, hujus substrati inflammationi unice propriam, prophasin largitur dentitio difficilis et anomala, dysodontiasis, praesertim illa, quae primis post nativitatem mensibus succedit.

C. J. B. Ettmüller, über die Krankheiten der Zähne, des Zahnfleisches, und das schwere Zahnen der Kinder. Leipzig 1798.

Sasse über das schwere Zahnen der Kinder. Lüb. 1802.

A. Henke, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Kinderkrankheiten. Frankf. a. M. 1821. 1. B. pag. 286.

1319. Quamvis cujuslibet aevi medici practicam illam agnoverint, et confirmatam viderint veritatem, quod nempe dentitionis opus quandoque diversorum malorum, in aetate maxime tenera, scaturiginem praebere possit; non defuerunt tamen et alii, quos inter sagacissimus eminet Wichmann (1), et Sternberg (2), contrarium adfirmare studentes.

(1) Wichmann, Ideen zur Diagnostik. II.

(2) Erinnerungen und Zweifel gegen die Lehre vom Zahnen. Hannov. 1802.

1320. Argumenta, quibus Wichmannus suam fulcire voluit sententiam, sunt sequentia: 1) Dentitio, tanquam evolutio naturalis, nunquam sistit morbum. 2) Gingiva ad marginem alveolarem est insensilis, atque a prorumpente dente floris ɔdinstar aperitur potius, quam ut perfodiatur, vel laceretur. 3) Erupturo denti nullum opponitur periosteum, quod unice dolores producere posset. 4) Sub dentitionis opere raro morbosa nascuntur phaenomena, et quae observantur, vel jam antea existebant, vel ab accidentalibus, cum dentitionis opere conspirantibus causis dependent.

1321. Primo argumento opponimus, quod, etiamsi dentitio, tamquam evolutio naturalis, morbum sistere nequeat, nihilosecius tamen hujus causam et fontem largiri facile possit, ubi ei nempe ex parte subjecti, vel per concursum variarum potentiarum laedentium obstacula ponuntur, normalis processus evolutionis perturbatur, insolitis comitibus inquinatur, uno verbo anomalus redditur. Id autem eo facilius concipitur, si consideramus dentitionem nequaquam in sola et simplici mandibulae metamorphosi consistere, sed totius organismi evolutionem progredientem eodem tempore contingere, quod praesertim vita animalis ad majorem perfectionem evecta confirmare juvat. Quo-

modo autem ejusmodi corporis revolutio cogitari potest, quin incitabilitas universim extollatur? Hoc posito jam primum germen, sive diathesis in phlogosin ponitur. — Rem ulterius probant aliae organismi humani evolutiones, uti pubertas, menstruatio, graviditas, partus, puerperium ipsaque senectus, quae omnes haud raro multifaria incommoda creant, ac morborum gravissimorum culpam gerunt. — Imo ipsa animalia sub analogis organismi mutationibus, uti aves, dum pennas deponunt, quadrupedes, dum pilos vel cornua mutant, varia phaenomena insolita, molesta, ac vere morbosa offerunt, uti languorem, anorexiam, sitim, diarrhoeam, emaciationem, febrim. In canibus sub dentitionis opere intolerabilem evolvi gingivarum pruritum, quem dura mordendo corpora lenire student, cuivis notum est.

1322. Ad secundam et tertiam objectionem respondemus, quod gingivae, ceu membranae mucosae, non solum sensilitate non careant, sed e contrario, suborto irritationis statu, vehementissimos dolores suscitare queant; quod alveolorum interna superficies periosteo nequaquam destituta sit (1); quod si non periostei, saltem nervi cuivis denti prospicientis tensio sufficientem doloris, aliarumque turbarum causam offerre valeat; quod demum mere poëtica illa expressio: »gingivas floris adinstar aperiri« nullum prorsus valorem physiologicum includat, cum alioquin ipsis plebejis notum sit, nullam obtinere lacerationem sine sanguinis secessu cogitandam.

(1) Soemmering, über den Bau des menschlichen Körpers I. B. §. 227.

1323. Quartum tandem argumentum prioribus adhuc minus firmo insistit talo. Nemo quidem inficias ibit, tempore dentitionis varia suboriri posse mala, quae a longe aliis causis pendent; absurdum tamen foret omnis adfectionis morbosae cum dentitione incidentis, cujus praeter hanc nulla alia patet origo, hypotheticam potius supponere velle genesim, quam vel minimam admittere dentitionis, in normali processu impeditae, culpam. Sunt caeterum nimis constantes illi comites, qui hancce evolutionem a norma deflectentem, varioque titulo difficilem et anomalam di-

stinguere solent, quam ut eorum praesentia mere accidentalis et coincidens declaretur; est quoque nimis manifestum levamen, quod illico sequitur, dùm foras prominere incipiunt dentes; atque sufficiens habetur ratio originem eorum symptomatum concipiendi, quae impeditam dentis proruptionem sociare solent, ac ideo exacte in illam semper incidunt aetatis infantilis periodum, qua dentes propululant; gingiva enim citra normam tumens, turgens vel resistens cum dente exitum quaerente necessario in conflictum venire debet.

Wagner, Diss. de dentitione difficili a dubiis Cl. Wichmanni vindicata. Jen. 1798.

1324. Phaenomena potiora, quae dysodontiasin tenerae aetatis distinguunt, sunt: kephalaea, capitis et faciei turgor, genarum intensus ac circumscriptus rubor, lacrymatio, halitus calens et foetens, salivatio copiosa; pruritus gingivarum molestus, et voluptas ex pressione, vel frictione, unde continuus mordendi nisus; earundem rubor et calor intensus, prominentiae inaequales ad arcum mandibulae alveolarem, quae dolent, dum rudius comprimuntur; inquietudo et jactatio corporis, vomitus vel diarrhoea, atque febris inflammatoria (Zahnfieber), convulsionibus interdum, aut comatoso statu comitata.

1325. Ante vero quam harum turbarum originem e dentitionis opere difficili derivare placeat, indagandum prius erit, utrum non alii existant earundem fontes, uti aphtae, colluvies gastrica, ulcera oris, ceu communiores tenellae compagis adfectus.

1326. Dentium, quae puerili aetate contingit, permutatio, raro anomala redditur; rarius adhuc dentitio adultorum, sive dentium sapientiae proventus, obstacula invenire solet, quae tamen, si occurrunt, multo difficilius a naturae viribus devincuntur, ac ideo tanto majora creant tormenta.

Weiss, Epist. de anginosis juvenum passionibus ex tarda et difficili eruptione dentium sapientiae. Lips. 1776.

1327. Ulitis a consuetis orta causis solito more terminari solet, quem membranosis et vasculosis organis universim familiarem esse novimus. Si resolvi recusat, vel

abscessus dolentes creat, vel in polyposas nititur excrescentias, vel etiam in gangraenam et sphakelum abit. Ulitis dentientium per se funesta esse non solet, nisi consensualia et praesertim nervosa symptomata periculum adferant.

1328. Therapia inflammationis gingivarum, summatim considerata, ab illa glossitidis ne hilum differt. Illa vero, quae dysodontiaseos effectum et comitem sistit, omnium, quae propullantibus dentibus opponuntur, obstaculorum amotionem injungit. Praeter remedia leniter purgantia et derivantia, topicorum emollientium continuatus requiritur usus, atque sub graviori inflammationis gradu, moderata sanguinis, per unam alteramve hirudinem, gingivis, vel ad latera mandibulae adplicitam, depletio fiat, oportet. Dentibus notabiliter protrusis, quin gingiva aperiri sinat, hacque nimis turgida, tensa, et dolente, ita, ut ea cunctorum symptomatum caterva sustentetur, a quibusdam medicis, praesertim ab Anglis, Huntero, Bellio, Underwoodio, incisio proponitur, quam Paraeus primus tentasse fertur.

SIALADENITIS.

Burserii de Kanilfeld, Institut. med. pract. Vol. VI. Cap. 15.
Rob. Hamilton, von der Cynanche parotidea. In der Sammlung auserles. Abhandl. für pract. Aerzte. B. XIV. 1. St.
Jacobi, Diss. de angina parotidea. Goett. 1796.
Metz, Diss. sistens anginam parotideam. Wirceb. 1801.
Huppertz Diss. de parotide. Berol. 1824.

1329. Glandulas salivales faucibus adsitas haud raro inflammari, experientia abunde testatur. Substrati adfecti in gratiam Sialadenitidem nominamus (a σιαλον saliva, et ἀδήν glandula), eamque ab inflammatione glandulae tricornis ad aurem sitae, Parotitide, ceu totum a parte distinguimus.

1330. Diagnosis phlogoseos glandularum salivam secernentium desumitur ex earundem sede, functione laesa, et solitis inflammationis signis; videlicet e rubore, tumore, calore, dolore, quae phaenomena mox retro aures incipiunt, juxta mandibulae angulum et marginem antror-

sum protensa (inflammatio glandulae parotidis); mox vero sub mento enascuntur, extrorsum aeque ac introrsum versus linguae imam partem propagatae, (inflammatio glandularum submaxillarium et sublingualium). Functionem organi laesam indicat salivae secretio et excretio in principio incitata (sialorrhoea); et si ad altiorem potentiam evehitur phlogosis, prorsus cohibita (sialischesis), unde molestissima oris ariditas.

1331. Origo hujus inflammationis, et in specie parotitidis, ceu formae frequentioris, varia esse potest; nunc enim idiopathicum et primarium, nunc symptomaticum et secundarium sistit adfectum.

1332. Quae idiopathicam et primitivam sialadenitidem procreare solent, causae sunt: laesiones traumaticae qualescumque, calculi salivales, Hydrargyri incautus et nimis protractus usus, sialagoga acria, v. g. Pyrethrum. — Symptomaticam et secundariam producunt: inflammationes organorum vicinorum, auris, gingivarum, linguae; metastases a febribus acutis, exanthematicis, biliosis, nervosis, pestilentialibus; scrofula; tinea derepente exsiccata.

1333. Praeter hasce species, quae nullas in decursu modificationes particulares agnoscunt, ac, habito solummodo substrati respectu, facile ad generales phlegmonosae inflammationis cardines reduci possunt, propria recentioris aevi medicorum adtentionem excitavit parotidis inflammatae forma, quam in Anglia, Italia, Helvetia, Gallia et Germania septentrionali, regnante praesertim tempestate humida, frigida et nebulosa, epidemice debacchari viderunt, et cujus pretiosas observationes eximius Burserius collegit. Anno 1827 epidemicam parotideae glandulae inflammationem Monasterii grassantem observavit Pellengahrius (1)

(1) Abhandlungen und Beobachtungen der ärztlichen Gesellschaft zu Münster. I. B. 1829.

1334. Haecce parotitidis forma, cui epitheton psycticae (a ψυξις refrigerium) addere placuit, quum ex atmosphaerae vicissitudinibus, plerorumque medicorum consensu, originem trahat, quibusdam minus recte angina,

sive kynanche parotidea, Italis Orecchioni, Gotoni, Gotazze, Gallis Oreillons, Germanis Bauernwetzel, vulgo Tölpel, Anglis Mumps vocatur.

1335. Prodomi hujus parotitidis sunt: communia symptomata febris catarrhalis, vel rheumaticae, horripilationes vagae, lassitudo et dolores artuum, quibus succedit tumor durus unius, vel (quod crebrius accidit) utriusque glandulae tricornis, magnitudinis variae, modo planior, modo eminentior, comite dolore obtuso, tensivo, maxillam movendi, vel et deglutiendi difficultate. — Superficies tumoris cuti plerumque concolor est, vel tantillum rubet; ipse tumor pedetentim auctus non raro ad submaxillares protenditur glandulas, unde regio jugularis laqueo quasi cincta adparet, particularem aegro concilians physiognomiam, illi cretinorum haud absimilem.

1336. Ubi mitior morbus est, aegros lecto non addicit, nisi circa quintum vel septimum diem, quo frequenter febriles incenduntur turbae, post duas, quatuorve septimanas una cum tumore parotidum sub sudoribus, urinis, vel spontanea epistaxi solvendae.

1337. Eodem tempore, quo morbus levior febriles concitat motus, ille ad altiorem gradum evectus in particularem nititur metaschematismi speciem. Praevio utpote horrore, febrique recenter incensa parotidum tumor improvise considet, et vicaria subnascitur in organis sexualibus reactio. Inflammatio testiculorum in viris, labiorum vulvae, ovariorum, vel mammarum in feminis communiores sistunt effectus. Laghii vero observatione declaratur, pueros impuberes et seniculos huic metastasi non fuisse obnoxios. Alios e contrario aegros, decedente parotidum tumore, vomitus rebellis, vel delirium phreniticum cum dira kephalalgia invadit; quandoque anasarca supervenit. Rarioribus in casibus parotidum tumor cum adfectione metastatica genitalium, symptomatibusque kephalicis alternare visus est.

1338. Secundum experientias Hamiltoni, in parotidem psycticam prae aliis dispositi dicuntur juvenes et adulti, a pubertatis ingressu usque ad annum 30^um^; rarius feminae; rarissime senes. Inter causas occasio-

nales referuntur: tempestas frigida, humida, inconstans, anni tempus vernale et autumnale, nebulae densae et frequentes. Videtur tamen adhuc peculiaris concurrere atmosphaerae qualitas, quae praesertim glandulis parotidibus infensa redditur, ac sub certis circumstantiis potentius evolvitur, alias morbi raritas concipi nequiret; — fors tensio electrica positiva, quam universim atmosphaerae nebulosae propriam esse novimus, gradus eminentioris? — Quandoque sporadicum, frequentius vero epidemicum observatur hocce malum. De contagiosa indole nec minimam movet suspicionem.

1339. Nosogenia et natura parotitidis epidemicae densa hodieque occultatur caligine, ipsique medici, qui morbum observandum habuerunt, nonnisi paucam huic argumento dilucidando dederunt adtentionem. Si tamen nostram opinionem modeste fateri licet (quam, etsi vanam conjecturam dicere nequeamus, quum observationibus, et factis rationali catena unitis suffulciatur, repetitae adhuc corroborare debebunt experientiae); plura nobis pro rheumatica origine pugnare videntur argumenta, quorum sequentia adduxisse juvabit: 1) Parotitis psyctica nascitur ex iisdem prophasibus, quas rheumati producendo idoneas esse abunde comperimus, nempe ex atmosphaerae vicissitudine, humiditate, ac praedominante electricitate positiva. 2) Hasce autem injurias, praesertim altioris gradus, in glandulas salivales directe influere posse, non solum earundem anatomica cognitio persuadet, quatenus salivales ductus in oris cavum patent, ac proinde in contactum immediatum cum aëre inspirato perveniant, est necesse; sed etiam quotidiana confirmare juvat experientia, qua auram frigidam et asperam aperto ore avide adspiratam non minus, ac potum glacialem, molestam quandam juxta ductus Stenoniani decursum producere sensationem, ad aures usque protensam, cuivis notum erit. Immaterialis aurae frigidae, si electricitatis influxus admittitur, in humanum organismum actio, etiam sine speciali contactu cum substrato, concipi poterit; dummodo ejus versus imponderabilia atmosphaerica relatio harmonica tollatur. 3) Parotitidis psycticae initium a doloribus vagis, ac nisus

eminens in metaschematismos conspicuam cum rheumate analogiam demonstrat. 4) Eadem parotitis in suppurationem vix unquam terminatur, atque hocce quoque intuitu cum rheumatismis convenit. 5) Etsi glandulosa structura rheumaticis in genere adfectionibus non faveat, ductus tamen salivales serosa membrana investitos esse, anatome docet; omnes vero tunicas serosas dilectum rheumatis substratum esse, abunde compertum habemus.

1340. Quid, quod praeter nosogeniam, cujusvis medici cogitantis adtentionem excitare debet phaenomenon, est peculiaris ille parotitidis psycticae in metaschematismos nisus, atque mirificus, qui inde elucescit, inter glandulas parotides et organa sexualia consensus. Si vero ad antiquissimam et ditissimam experientiae medicae amaltheam recurrimus, ad libros utpote Hippocratis, inveniemus, neque hocce phaenomenon oculatissimi illius observatoris aciem effugisse; injicit enim mentionem de singulari Scytharum melancholia, qua detenti, ob perfectam generationis ineptitudinem, se a Diis adflictos, ac in mulieres conversos reputabant. Illud malum nonnisi ditiores invadere visum est, qui equitando mercari soliti erant, talique ratione, cum nullis uterentur stapedibus, pendulis continuo cruribus genitalia comprimendo generationis impotentiam contraxisse dicebantur. Secta vena retro aures ab illo flagello nonnullos sanatos fuisse, alios vero hacce medicatione se ipsos perdidisse, sibique sterilitatem induxisse, ipse Cous senex testatur (1).

(1) De aëre, aquis et locis. L et LI. Editio van der Linden. I. pag. 357.

1341. Terminationes sialadenitidis pro circumstantiarum, originis et causae diversitate variare solent; dilectus tamen ejus exitus, ubi resolvi recusat, esse solet suppuratio, induratio et parectama, quin tamen inde, ob ignobilius substratum, notabile redundet periculum. Caeteris paribus sialadenitis traumatica et metastatica in suppurationem, scrofulosa et maxime chronica in scleroma, parectama, et exallaxin steatomatosam nititur. Parotitis psyctica in organica vitia raro abit, et nisi e funesto ad cerebrum metaschematismo discrimen pullulet,

plerumque perfectae salutis restitutionem sat facile admittit.

1342. Cura inflammationis glandularum salivalium generalibus dirigitur indicationis antiphlogisticae regulis; habito semper causae producentis, gradus morbi, dyscrasiae simul existentis, et praesertim topicae sedis respectu.

1343. Psyctica vero parotitis aliquas in therapia modificationes deposcit. Interne conducunt purgantia et diaphoretica; externe fomenta sicca, sacculi discutientes, emplastrum mercuriale; graviori sub phlogosi hirudines, pediluvia; evitatio omnis refrigerii. Humidum tractamentum plerumque male conducit. Persistens, dissipato processu inflammatorio, durities resolvitur linimentis aromaticis, camphoraceis, ammoniacalibus, frictionibus mercurialibus, emplastro Cicutae. Ubi, recedente raptim tumore, signa metaptoseos adparent, instantanea ad parotides vesicantis ope irritatio excitanda; sympathica vero genitalium labes fomentis emollientibus et balneis tepidis compescenda.

B. INFLAMMATIONES JUGULARES.

ANGINA INFLAMMATORIA.

Boymanns, Diss. de angina inflammatoria. L. B. 1761.
Strean, Diss. de cynanche inflammatoria. Edinb. 1790.
Andran, Diss. de angina inflammatoria. Duisb. 1794.

1344. Qualecumque fuerit deglutitionis, respirationis, vel utriusque impedimentum, cujus causa supra thoracem, et quidem in ipsis partibus eas functiones absolventibus existit, generali nomine Anginae, seu Synanches (Bräune, Halsweh, Esquinancie Gall., Squinanzia ital.) insigniri solet. Vox latina derivatur ab angendo; graeca ab ἀγχειν, strangulo, suffoco, vel ut alii malunt ab ἀγχόνη, laqueus, ac si laqueo praefocati essent aegri, unde componitur συνάγχειν, coarctare. Aliis denuo idem adfectus Kynanches (a κύων, canis), vel Lycanches (λύκος, lupus) appellatione notatur, quod canes et lupos frequenter adficiat.

1345. Perspecta vero hacce etymologia, facile liquet, omnes differentias, quae a variis medicis inter synanchen, parasynanchen, et kynanchen statutae fuere, mere arbitrarias, nulliusque prorsus valoris esse; unde superfluam ejusmodi anginarum terminologiam, Galeni auctoritate et exemplo ducti, libenter oblivioni committimus, magis adaptatos modernorum, quibus vel substratum morbi speciale, vel indoles ipsa adprime indicatur, terminos praeferentes. — Non minus indefinitam anginae pectoris, quam Selle introduxlt, expressionem, quis est, qui non perspiciat?

1346. Quatenus multifaria esse possunt, quibus angina dependet, mala; eatenus etiam variis divisionibus, ad morbi naturam et formam discernendam, utebantur medici. Nonnulli anginas in externas et internas; alii in febriles et afebriles; Boerhaavius in anginas cum et absque tumore; in veras et spurias alii; alii demum in inflammatorias at non inflammatorias distinxerunt.

1347. Nostrae adtentionis argumentum illa tantummodo sistit deglutiendi et respirandi difficultas, quae a phlogosi dependet, angina utpote inflammatoria; quae denuo bifariam dispesci debebit, habito videlicet naturae specialis, et formae respectu. Primo intuitu angina inflammatoria in phlegmonosam, catarrhalem, rheumaticam, veneream, scrofulosam, cancrosam etc.; spectata forma et sede in anginam palatinam, tonsillarem, pharyngeam, laryngeam, trachealem dirimitur.

1348. Angina phlegmonosa, e summe generalibus potentiis irritantibus, et quidem plerumque violentis nata, nullam respectu indolis agnoscit subdivisionem, ubique enim inflammationis, summatim spectatae, characteres per eminentiam offert. Quoad specialem vero ipsius phlogoseos sedem, sequentem admittit bipartitionem: 1) Angina inflammatoria faucium; 2) Angina inflammatoria fistulae spiritalis.

1. ANGINA PHLEGMONOSA FAUCIUM.

1349. Complectimur hic omnes et singulas phlogoses partium, quae ad deglutitionis munus expediendum concurrunt; principalem proinde characterem constituit deglutitio laesa. Potiores varietates, quoad sedem distinctae, sunt: a) Isthmitis; b) Antiaditis; c) Pharyngitis; d) Oesophagitis.

a) *ISTHMITIS.*

1350. Isthmitidis nomine insignimus inflammationem illarum partium, quae cavum oris et gulae isthmi in modum intersepiunt, palati mollis nimirum, ac uvulae. Prior nonnullis etiam Hyperoitis, altera Kionitis, seu Staphylitis compellatur. Vix non semper utraque conjuncta incedit, atque facile dignoscitur ex rubore intenso, tumore, calore, duritie, deglutitione difficili et dolorifica, comiteque febri inflammatoria, plus minusve vehementi. Uvula plerumque prolongata molestissimam parit titillationem, continuumque deglutiendi nisum, mechanico, quo linguae radicem continuo lacessit, stimulo; in casu graviori isthmus faucium occlusus cernitur.

b) *ANTIADITIS.*

Holland, Diss. de cynanche tonsillari. Edinb. 1776.
Engelhart, Diss. de angina tonsillari. Londini 1799.

1351. Priori frequentior est antiaditis, quibusdam barbaro tonsillitidis nomine insignita, inflammatio utpote tonsillarum, Graecis ἀντίαδες dictarum, quae, ceu organa glandulosa, — nihil enim sunt nisi congeries folliculorum mucosorum — eminentem in congestiones sanguinis manifestant proclivitatem.

1352. Depressa linguae radice, ac faucibus luci obversis in conspectum facillime cadit rubor ac tumor unius, vel utriusque amygdalae, ad continguas vix non semper protensus partes. Quandoque ad eum gradum crescit moles tonsillarum, ut vel fauces penitus occludant, vel ver-

sus posticas protrusae nares, respirium praepediant, et vocem alterent (vox nasalis, mycterophonia), vel etiam ad angulum maxillae inferioris visibiliter promineant, ejusque motum difficilem reddant. Deglutitio evadit dolorifica, vel prorsus intercipitur; continua molestat screandi, vel mucum, copiosius secretum, deglutiendi necessitas, seu tenesmus, quem pariter ariditas faucium, phlogosi ad altiorem potentiam evecta, producere consuevit. — Per gravius malum, — quo aëris accessus praepeditur, respiratio acceleratur, opprimitur, comite angore et suffocationis metu, unde aegri, hiante ore, et corpore erecto, omnes conatus ad reciprocandam animam stertentem impendere coguntur, — noctu praesertim anxietas crescit, omnem arcens somnum; propagata phlogosis ad radicem linguae, quae, viscido muco tecta, sordet, halitumque foetentem sustinet, loquelae libertatem facili negotio tollit; fauces a muco, ubere secreto et tenaci, titillatae, nauseam et vomendi conatus cient; quandoque dolor acutus ad aurem internam propagatur, maxime sub deglutiendo, quod a contemporanea tubae Eustachii irritatione pendet; vel vero eadem ex ratione difficilius audit aeger, continuoque syrigmo molestatur.

1353. Reliqua phaenomena, quae vel a febri comite, vel ab altiori phlogoseos gradu dependent, sunt: kephalaea frontalis, oculi rubri et prominentes, venarum frontalium et temporalium turgor, carotidum vibratio, sitis clamosa, delirium, jactatio, pervigilia, tussis, alvus oppilata, calor urens, cutis sicca, pulsus pleni, duri, fortes, veloces aut suppressi. — Sinistram tonsillam frequentius dextra inflammari, clariss. Kopp aliique defendunt.

c) *PHARYNGITIS.*

1354. Inflammatio, quae musculos et membranas pharyngis plectit, mox antiaditidem comitatur, mox per se sola incedit, atque tunc in posteriori gutturis pariete conspicitur tumor et rubor intensus, cui siccitas molesta, sensus ardoris, major et acutior, quam in angina tonsillari, sub deglutiendo dolor, minor tamen respirandi diffi-

cultas, ac facilis potulentorum per nares regurgitatio jungitur. Febris comitis vehementia inflammationis gradui respondet.

d) *OESOPHAGITIS.*

Honkoop, Diss. de morbo oesophagi inflammatorio. Lugd. Bat. 1774.

1355. Graviorem omni intuitu anginae speciem offert oesophagi inflammatio, cujus diagnosis majoribus premitur difficultatibus ob profundiorem, sensibusque minus obviam mali sedem. Ejus praesentiam indicant: causa praegressa, dolor fixus, ardens, punctorius infra gulam, deglutitio valdopere difficilis, vel prorsus impedita; ingesta sub maximis angustiis, dolorisque immani augmento illico ore rejiciuntur, per nares regurgitant, vel sub violenta expulsione rimam glottidis intrant, et convulsivam suscitant tussim cum suffocationis periculo; quandoque aegri locum, ubi deglutitus cibus obstaculum invenit, adprime indicare sciunt. Quo profundius latet oesophagi phlogosis, eo minus de anginosis participat phaenomenis, gastritidi magis adfinis, simulque insigni spirandi difficultate et anxietate juncta.

1356. Decursus omnium harum specierum anginae inflammatoriae plurimum acutus et praeceps esse solet, decimum quartum vix unquam excedens diem. Febris inflammatoria comes, plus minusve vehementibus orsa horroribus, solito pergit more, atque nunc criticis judicatur evacuationibus, nunc insensibili fatiscit modo, praesertim ubi phlogoseos topicae merum symptoma, ac simplicem umbram constituit.

1357. Angina faucium phlegmonosa, qualemcunque demum specialius adfectam habeat partem, nimis claris et visibilibus incedit signis, quam ut cum alio quodam confundi possit adfectu; quapropter etiam diagnosis plerumque facilis esse consuescit. Unicam, quae interdum occurrit, difficultatem offert specialior inflammationis indoles, quam nunc catarrhalem, nunc rheumaticam, nunc specificam, et in specie miasmaticam observare licet. Ex

combinatis tamen, quae substratum specialius adfectum indicant, causae producentis actionem determinant, et phlegmones, in genere consideratae, naturam patefaciunt, signis, ultima differentia desumi poterit. Qui specificis inflammationibus faucium competunt, characteres, suo loco adnotabimus.

CAUSAE.

1358. Potiora, quae dispositionem in phlogoses gulae fovent, momenta sunt: aetas iufantilis et juvenilis, constitutio corporis tenera, praesertim illorum, qui flavos aut rufos habent capillos (blonde und rothköpfige), vel qui collaribus, amiculis nimis calidis teneritatem et sensibilitatem auxerunt; diathesis scrofulosa, abusus spirituosorum et mercurii; exercitia gutturis, sub clamore, vel cantu, fortiora et repetita; maxime vero anginae, in specie tonsillares, saepius exantlatae. Inflammationes traumaticae nulla praedispositione egent.

1359. Inter causas occasionales referri merentur omnes potentiae incitantes, inflammationi universim producendae pares, versus fauces peculiarius directae. Irritamenta mechanica, ictus, corpora dura faucibus incaute intrusa, uti fistula tabaci, rudis (Rappier); peregrina deglutita, acus, ossicula, piscium aristae; luxatio ossis hyoidis; exstirpatio polyporum; — irritamenta chemica, acria in aëre volitantia, spirituosa, aromatica, caustica, hydrargyrum (1); ambustiones per potum, vel cibum fervidum; frigus repentinum aestuanti corpori incaute admissum, venti asperi, glacies condita, vomitus et tussis rebellis.

(1) Cramer über die Angina mercurialis faucium. Erlangen 1830.

1360. Vicissitudines atmosphaerae, et prae aliis refrigerium humidum pedum, catarrhalis et rheumaticae anginae prophasin constituunt, quae, ceu stimulus relative incitans, phlegmoni creandae idonea non redditur, nisi ex parte dispositionis ad gradum stimuli magis absoluti extollatur, vel cum aliis concurrat potentiis nocivis. Negari tamen nequit, peculiarem interdum dominari constitutionem epidemicam, hyemali praesertim tempore, qua effi-

citur, ut febres epidemicae inflammatoriae — per excellentiam — topica faucium adfectione comitatae incedant; quemadmodum alias pulmoni magis, aut hepati infensae observantur.

1361. Contagia nonnulla, uti scarlatinosum, rubeolosum, venereum, et venenum kynolyssicum, quae faucibus summopere infesta sunt, ad aetiologiam anginae inflammatoriae specificae spectant, ac nonnisi illo in casu ad phlegmonosae anginae, priori tamen semper mixtae, ortum contribuere possunt, ubi adversarum circumstantiarum concursu incitans eorum potentia intenditur. — Exercitia continuata organorum respiratoriorum, clamando, contando, vociferando peracta, potius ad anginam trachealem referri debent.

1362. Anginam faucium symptomaticam et secundariam progignunt metastases et metaschematismi diversi generis; inflammationes partium vicinarum, ulitis, glossitis, aphthae; dentitio difficilis; vitia organica; saburrae acres; suppressiones evacuationum suetarum (1).

(1) Goesche, Diss. de angina inflammatoria a menstruorum suppressione nata. Jenae 1798.

TERMINATIONES.

1363. Concurrentibus, quae benignam inflammationis resolutionem secundant, conditionibus, angina phlegmonosa faucium in perfectam abit salutem, quam ob minus nobile substratum sat crebro sequi videmus. Ast proclivitas in eundem morbum saepius subeundum nonnisi raro exstinguitur.

1364. Triplex autem esse solet modus, quo pristinam salutem adsequuntur aegri; vel enim symptomata topica, postquam phlogosis ad maximum evecta fuit gradum, pedetentim imminuuntur, (recentibus nullis, excepta uberiori ac levante muci secretione, porro subintrantibus) et febris comes consuetis resolvitur sub evacuationibus, urinis utpote hypostaticis, sudoribus, die quinta, septima, undecima subortis; — vel idiostatica crisis, quoad materiam secedentem erronea (§. 837), topicum enervat incen-

dium, hypoclepsis utpote puriformis, aut lymphatico-plastica, nunc pedetentim, nunc derepente criticis contingens diebus, unde pseudomembrana efformatur, quae tonsillarum praesertim superficiem obducit, ac sub violentis screandi conatibus decidua, incolumem relinquit partis, prius inflammatae, texturam; — vel demum angina in posthumum quoddam transit, abscessum, indurationem, quo feliciter devicto sanitatis tandem in pristinum succedit restitutio.

1365. Angina faucium rebellis in solita terminatur inflammationis consectaria, praesertim in suppurationem et indurationem. — Transitum in suppurationem, quem antiaditis saepius recurrens, male tractata, neglecta, favente diathesi scrofulosa per eminentiam eligere solet, — quo simul tonsillarum glandulosa et spongiosa textura plurimum confert, — dignoscimus ex brevi symptomatum inflammationis augmento, cui sensus plenitudinis, pulsationis, vox nasalis, obauditio, et febris comitis recens exacerbatio succedit. Ea ratione, qua purulenta crescit secretio, molestiae minuuntur; mollior redditur tumor, in albescentem elevatur apicem; atque manifesta fluctuatio peregrini laticis collectionem sat facile indicat. Secus etiam plura puncta suppurantia in tonsillarum superficie adparent, aphthas aemulantia, quae totidem offerunt singulorum folliculorum abscessulos, brevi et sponte dehiscentes.

1366. Certum maturationis gradum adeptus abscessus plerumque sponte rumpitur, ac purulentum liquorem in gulae cavum profundit, qui vel excreatur absque ullo incommodo, vel vero in oesophagum tracheamve depluens nunc vomitum, nunc suffocantem tussim inducit, praecipue si dormiente aegro successerit ruptura. Abscessus apertus libenter ad consolidationem disponitur, ubi benignae suppurationis effectum sistit; interdum tamen diuturnam relinquit mycterophoniam, quae mox sponte cessat, mox usui gargarismatum adstringentium cedit, testantibus experientiis eximiorum clinicorum Vogelii (1), et Raimanni (2).

(1) S. G. Vogel, Handb. der pract. Arzneywissenschaft. 4. Th. 6. Cap.

(2) Raimann's Handbuch der speciellen Therapie. 1. B. S. 322.

1367. Saniosa contra exulceratio, quam post anginas violentas, recidivas et neglectas in subjectis scrofulosis ac venereis non raro sequi videmus, vicinas corrodit partes, sinus, fistulas, cariem vertebrarum, febrim hecticam, aut phthisin pharyngeam parit, vel tubum spiritalem acri inundans colluvie, aegros miserrime suffocat.

1368. Aliud non minus frequens anginae, maxime tonsillaris, posthumum est induratio et parectama. Momenta, quae huic exitui specialius favent, sunt: inflammationes crebro recurrentes, diathesis scrofulosa, tractamen ineptum, frigus incaute admissum, abusus adstringentium, ac specifica tonsillarum ipsarum textura. Cognoscitur ex superstite post inflammationis declinationem duritie et voluminis augmento, unde isthmus faucium coarctatur, occluditur, atque continua dysphagia, vel etiam dyspnoea sustinetur; quandoque tumor amygdalae ad angulum maxillae extrorsum prominet.

à Wallen, Diss. de tumoribus induratis in faucibus et oesophago latentibus. Groening. 1716.

1369. Recidiva in tonsillis jamjam obdurescentibus phlogosis non solum libenter perennis et chronica evadit, atque continuato lymphae plasticae secessu, ejusque crystallisatione abnormi scleroma simplex ad eum gradum duritiei intendit, quem communiter skirrhum vocant; sed etiam ad specificam ducit degenerationis organicae et liquationis speciem, canceraticam dictam, qua pejus non existit malum, efficacissima artis subsidia pertinaciter recusans, ac sub horrendis gulae devastationibus certam mortem pariens. Praeter peculiarem aegrotantis cacochymiam ad fatalem huncce exitum ducit prava anginae chronicae medendi ratio, maxime abusus lapidis infernalis, quo incautiores chirurgi damnabili facilitate exulceratas fauces tractare consuescunt.

1370. Inter rariores anginae inflammatoriae terminationes spectant callositates uvulae ac veli penduli, concretiones partiales, ossificationes et hypersarcoses polyposae in palato molli, pharynge, vel oesophago.

1371. In mortem angina faucium gravis et contu-

max sequentibus abire solet rationibus: 1) per suppurationem, tonsillarum volumine et turgore eum in modum auctis, ut antrum faucis naresque posticae ex integro occludantur, ac omnis aëris intercipiatur aditus; 2) per inediam, denegata omni alimentorum per plures dies introductione; 3) per metastasin ad nobile organon factam; 4) per gangraenam; 5) per posthuma immedicabilia: exulcerationem diuturnam, skirrhum, et cancrum; 6) per symptomata symptomatum, secundarias utpote congestiones in enkephalo, vel pulmonibus subortas (1); vel charactere febris in nervosum mutato.

(1) Raymann de anginae in pulmonum inflammationem metaptosi. (In Actis Nat. Cur. Vol. IX. p. 104.)

1372. Transitus anginae inflammatoriae in gangraenam et sphakelum duplici ex fonte derivari potest: 1) Vel enim dependet a summa phlogoseos vehementia, quae sanguinis circulationem in capillaribus partis adfectae vasis supprimendo, topicam ejus mortem parit. Haec, si ad exiguam solummodo limitata manet plagam, quandoque salutem in pristinum restituere sinit. 2) Vel vero ab influxu circumstantiarum adversarum, quas inter practici praesertim propriam quandam constitutionem epidemicam, summe maleficam notant, qua haematopoëseos officium sub decursu inflammationis adeo laeditur, ut inexpectatus succedat dyscrasiae phlogisticae in septicam transitus. —Ob adeo repentinam characteris morbi metamorphosin, maximo semper periculo junctam, angina haecce gangraenosa etiam maligna vocari solet, atque suum locum inter phlogoses septicas, alibi pertractandas, defendit.

J. Stipp, Diss. de Angina gangraenosa. Erf. 1792.

PROGNOSIS.

1373. Missas faciendo generales, quae futuri eventus in morbis inflammatoriis praesagium dirigunt, regulas, subjecti conditioni, causarum notioni, symptomatum vehementiae, complicationibus et anomaliis innixas; aliquos nonnisi adjunxisse juvabit canones practicos, quibus spe-

cialior in anginis faucium prognosis cum aliqua saltem probabilitate institui poterit.

1374. Phlogoses faucium, caeteris paribus, minori stipantur periculo, quam illae asperae arteriae. — In recidivas libentissime nituntur, praesertim antiaditis, atque tunc plerumque eundem, quem prima vice induxerunt, exitum petunt. Quo magis versus linguae radicem, epiglottidem et laryngem extenduntur, eo periculosiores fiunt. Inter anginas inflammatorias gulae, spectata sede, pessima est oesophagitis. Infantes universim ab anginis non solum crebrius tentantur, sed etiam gravius decumbunt, quam adulti. Quibus sub anginae acutae decursu peripneumonia supervenit, iis majus imminet discrimen, quam si contrarium obtinet, praesertim si primitiva inflammatio derepente evanescit. Inter posthuma phlegmonosae faucium inflammationis pessima dici possunt: gangraena, skirrhus et carkinoma. Labentibus, quin pervicax phlegmasia de suo aliquid amittat vigore, viribus, ac subortis characteris nervosi aut putridi symptomatibus, sors aegri summopere periclitatur. Rebellis contra primas venaesectiones angina mali ominis esse consuevit.

THERAPIA.

1375. Cura directa nonnisi in rarioribus anginae inflammatoriae casibus locum habet. Consistit in amotione causae irritantis, extractione corporum peregrinorum, evitatione aurae frigidae, restitutione profluvii habitualis, et s. p. Ea tamen sola omnis indicationis pagina vix unquam absolvitur, cum effectus secundarii plurimum permanentes esse soleant, ubi irritatio simplicis congestionis limites excessit.

1376. Indirectae autem indicationi satisfaciunt omnia, quae adparatum sic dictum antiphlogisticum componunt, auxilia. Prompta, saepiusque repetita venaesectio potissimam in morbo gravi opem spondet, quam tamen potius e brachio, quam e vena jugulari, vel ranina, uti antiquorum nonnulli voluerunt, instituendam suademus. Quo magis vehemens est febris anginam comitans; eo solemnius a venaesectionibus trahi solet emolumentum,

Si vero altiori inflammationis topicae gradui febriles non respondeant turbae, e localibus depletionibus plus sperandum. Quatuor, sexve hirudines, inferiori mandibulae margini, vel infra auriculam utrobique adplicitae, plerumque optatum ferunt subsidium. A scarificationibus et cucurbitulis cruentis, quibus Hippocrates, Aretaeus, Baglivius, et Elgard (1) in gravi angina cum emolumento usi sunt, nisi revulsionis efficacis simul urgeat necessitas, libenter abstinemus — metuentes, ne damnum, quod a mechanica irritatione pendet, depletionis fructum exstinguat. Acerrima vero sub phlogosi, quae instantaneam suffocationem vel gangraenam minatur, tonsillas pharyngotomo incidendas esse, practicorum jubent monita. Praeter Schenkium, Stollium, Tissotum, clariss. Kopp inter recentiores hocce praesidium magnis extollit laudibus.

(1) Elgard Observation sur le bon effet des ventouses scarifiées dans une violente esquinancie. (In Mém. de l'Acad. de Chirurg. T. IV. p. 441.)

1377. Ad congestionem topicam non minus, ac ad universi systematis arteriosi incitationem compescendam similiter contribuunt omnia remedia temperantia, emollientia, diluentia, decocta mucilaginosa, emulsiones gummosae, linctus demulcentes, acida vegetabilia diluta, et eccoprotica; abstinendo tamen a nitro, aliisve salibus mediis, qui sub deglutiendo fauces irritare necessario debent. Si mannata, mellita, oleosa, Tamarindi, pigrae alvo movendae non sufficiunt, clysteribus succurrendum; eundem in finem infusum Sennae, vel Mercurii dulcis doses majores adprime conveniunt, cujus ultimi remedii virtutes eximiae in anginosis adfectibus merito laudantur.

1378. Eminentes tandem opes in leniendis faucium inflammationibus praestant emollientia topica, ab omni parte diligenter adhibita; et quidem tanto magis, quod summe dolorifica ac saepe impossibilis deglutitio omnem, quam ab interne absumptis sperare liceret remediis, efficaciam eludit. — Vapores emollientes et tepidi e decoctis, vel infusis herbarum mucilaginosarum cum lacte, infundibuli inversi, aut machinae Mudgianae ope sedulo adtracti; collutoria demulcentia ex infuso Verbasci,

decocto Althaeae vel Hordei ore diutius retenta, quae praesertim molestam faucium ariditatem lenire juvant; cataplasmata et fomenta mollitiva circa collum. Gargarisatio ob necessariam, quae inde excitatur, veli penduli agitationem, dolores et inflammationem plerumque exasperat, ideoque jam a Lossio, Oetio, Frid. Hoffmanno, et Pringleo jure damnabatur. Injectiones, nisi tenacis muci separandi gratia maxima cum cautione instituantur, similiter damnosae evadunt.

1379. Scopo a partibus superioribus derivante, simulque antagonisticam quandam reactionem in organis remotioribus, minusque nobilibus suscitante, pediluvia irritantia cum sale et lixivio, epispastica, sinapismi una cum prioribus in usum trahenda.

1380. Tracheotomia semper ultimum, summe anceps, ac desperatum largitur subsidium, quo quidem instantem suffocationem, pro momento saltem, averti posse non inficiamur, aegrum vero nonnisi rarissime salvatum iri contendimus (1). Pariter proposita in anginis ab Aretaeo Cappadoci artuum superiorum ligatura nullam prorsus imitationem meretur.

(1) Maillard, an in angina tentanda sit laryngotomia? Basil. 1623. — Raggi sulla Cinanche tonsillare e sulla laringotomia. Pavia. 1811.

1381. Regimen diaeteticum antiphlogisticae exacte respondeat curae. Frigoris influxus sedulo arceatur, moderatam et aequabilem atmosphaerae temperaturam conservando, et cuncta, quae ore adsumuntur, uti potus, cibus, medicamina, tepide subministrando. Doses exhibeantur parcae, et saepius repetitae; medicamina et alimenta liquida. Qui nihil prorsus deglutire valent aegri, clysmatibus nutriendi. A motu, clamore et vociferatione caveant, oportet.

ANOMALIAE.

1382. Haud raro contingit, ut viribus, ob generosas et repetitas venaesectiones, jam labi incipientibus, adfectio localis pertinaciter resistat, vel plane increscat. In hocce casu, postquam hirudinum adplicatio incassum tentata

fuit, illico ad methodum revulsoriam confugiendum, atque, praemisso prius in locis remotioribus irritamento, largum vesicans circa collum imponendum. Ingruente manifesto virium languore, ita, ut inde optatae evolutiones criticae exspectari nequeant, parvae doses Camphorae e vehiculo quodam mucilaginoso, praesertim in connubio cum Hydrargyro dulci, summopere proficuae evadunt. Charactere demum nervoso perfecte evoluto, ad majoris efficaciae incitantia transeundum.

1383. Phlogosis faucium, quae, etsi feliciter fracta, prorsus tamen resolvi cunctatur, diutinam relinquens congestionem, e vasorum capillarium residua inertia oriundam, remediis leniter irritantibus et tonicis eget. Abstinendo a relaxantibus, ad frictiones siccas, unctiones linimento volatili, camphorato, vel mercuriali faciendas, ad gargarismata, Melle, Aceto, Sale ammoniaco, Borace imbuta transire solemus. Quandoque solus frigidae usus sufficit. In casu rebelli ad aluminosa, aliave adstringentia recurrimns gargarismata, quae inter Celsus ipsum atramentum intentatum non reliquit.

1384. Aliae tandem anomaliae a complicationibus pendent, atque pro harum diversitate ipsam curam multifarie modificandam jubent. Communissimum esse solet illuviei saburralis consortium, opitulante praesertim epidemia aestiva, sub cujus dominio biliosus, qui potentius extricatur latex, non raro symptomaticam faucium irritationem parit, et fovet: angina biliosa. Absente gravioris inflammationis periculo, remedium emeto-catharticum saepissime juvat; urgente plethora et phlogoseos gradu eminentiori, vena prius aperienda, ac demum gastricae colluviei eductio sursum deorsumve tentanda.

1385. Complicatio anginae inflammatoriae cum dyscrasia scrofulosa, syphilitica, aliava, hujus per adaequata remedia ablationem postulat.

POSTHUMA.

1386. Apostema creberrimum sistit anginae, praesertim tonsillaris, posthumum. Medentis hocce in casu alia esse nequit intentio, quam ut superstitem phlogosin

moderetur, inchoatam secretionem purulentam expediat, atque rupturam pyokystidis sollicitet. Haec ut obtineantur, emollientibus et relaxantibus, maxime topicis, diligenter continuandum, cataplasmatibus utpote, vaporibus ac collutoriis; compertum enim habemus maximam esse caloris moderati, et aequabilis in abscessibus, ut ajunt, maturandis efficaciam. Sub eorundem auxiliorum usu abscessus plerumque sponte rumpitur, ac ad consolidationem perducitur. Si vero obstacula opponuntur, eis arte occurrendum. Ubi maturus, fluctuans, ac molestiis insignibus stipatus abscessus rumpi cunctatur, lanceolae auxilio aperiendus. Inertem consolidationem promovent collutoria et gargarismata leniter irritantia, tonica, et adstringentia, uti decocta Hordei, vel infusa flor. Sambuci cum Aceto, Melle rosato, Borace, Sale ammoniaco, liquore Mindereri.

1387. Angina, quae ulcera pertinacia et cacoëthica relinquit, latentis cujusdam dyscrasiae soboles, specialem deposcit medelam, eo directam, ut perversa saniei secretio in faucibus emendetur, atque plasticus excitetur processus, ceu unica pro obtinenda cicatrice conditio. Praeter medicamenta interna specificae diathesi et cacotrophiae opposita, collutionum, gargarismatum, et injectionum roborantium usus omnino commendari debebit, quo fine decoctum Chinae vel Quercus, infusum Rutae vel Cicutae, et solutio aluminosa prae aliis laudantur. A topica lapidis infernalis, scopo ulcera lardacea depurandi, adplicatione, per quantum fieri licet, cavendum, funestissimos enim inde, proh dolor! sequutos vidimus effectus, phlogoseos recidivum, gangraenam, et skirrhosas degenerationes, nulla amplius arte domandas.

1388. Scleroma tonsillarum, priori non minus frequens anginae, praesertim recrudescentis, consectarium, ad cujus genesin refrigerium, et gargarismatum adstringentium usus plurimum contribuere solet, prudens deposcit methodi antiphlogisticae moderamen, quousque adhuc quaedam superstitis irritationis signa adfuerint. — Compositis conditionis inflammatoriae turbis, nihil omittendum, ut plastica materies coagulata, vasorum capillarium alveis impacta, vel in parenchyma ipsum effusa et concreta re-

solvatur, emolliatur, liquefiat, ac in circulum reducatur, simulque excessivus nisus formativus cohibeatur. Id praestare juvant remedia solventia, quae inter libentius leniora eligere placet, uti sunt: vegetabilia saponacea, sales medii, sapones medicati, mercurialia et antimonialia, tam interne, quam externe adhibita. Summe efficaces hoc intuitu semper cognovimus virtutes liquoris Mindereri et salis ammoniaci, ex infuso florum Sambuci gargarismatis forma propinati, ac per plures septimanas patienter continuati, cujus meritas laudes jam immortalis Boerhaavii Commentator protulit. Ab acribus vero, calefacientibus et causticis sedulo abstinendum esse, severe monemus, facillime enim phlogoseos recidiva invitatur, quae in organo alioquin jam indurata non solum ad irresolubilem ducit skirrhum, sed et omnium malorum pessimum genus, edacem utpote cancrum invitat.

1389. Pertinax erga solventia remedia scleroma tonsillarum, talique sub forma faucibus inhaerens, ut a contiguis absque periculo separari possit partibus, chirurgicae comittendum manui, cujus ope peracta feliciter exstirpatio majora avertit mala.

Wilh. van Lill, de angina scirrhosa. Lugd. Bat. 1760.

1390. In rodens carkinoma infausto omine versa angina skirrhosa, nullam prorsus sanationis spem admittit. Omnis hoc in casu medentis intentio eo solummodo dirigenda, ut acerrimi leniantur dolores, tristissima deplorabilisque aegri sors quodammodo mitigetur, ut saniosi tabi in ventriculum et intestina continuo depluentis, ac dyscrasae catalyticae (dissolutoriae) funestiores effectus, per quantum fieri licet, avertantur, vel saltem minuantur et procrastinentur, nutritionisque opus eupeptis sustineatur.

1391. Minitantem, sub gravissimae phlogoseos faucium decursu, gangraenam praevertere conamur energica methodo antiphlogistica, et incisionibus in turgidas lividasque tonsillas factis. Quamprimum vero manifesta gangraenae, aut sphakeli signa adparent, quae inter praesertim faucium prius summopere inflammatarum livida vel nigricans decoloratio, ariditas urens, deglutiendi impotentia, sitis clamosa, stertor, anxietas, virium vitalium repen-

tinus lapsus, facies Hippocratica, extremorumque frigus numerari solent, tum vero ad potentissima omnino clamandum arma. Interne Camphora mucilagine subacta, cortex peruvianus, acida mineralia et naphthae; externe gargarismata antiseptica, et vesicantia — principalia quidem praebent subsidia, a quibus tamen perraro optatus habetur effectus, praesertim si sphakelus ad majorem extensus fuerit plagam.

2. ANGINA PHLEGMONOSA ASPERAE ARTERIAE.

Noël, Diss. de angina tracheali. Edinb. 1794.
Keir, Diss. de angina tracheali. Edinb. 1802.
Albers die Pathologie und Therapie der Kehlkopfskrankheiten. Eine Monographie. Basel. 1829.

1392. Quae fistulam spiritalem, ejusque singulas partes, membranas mucosas et fibrosas, musculosve prehendit inflammatio, tres potiores, pro sedis diversa ratione, complectitur varietates, Laryngitidem utpote, Tracheitidem et Bronchitidem. Priores duas tantum, communi medicorum consensu, anginae nomine insigniendas, ac inflammationibus jugularibus accensendas esse, jam alibi (§. 1344) praemissum fuit. — Bronchitis, etsi a cel. Selle arbitrario Anginae pectoris adpellatione insignita fuerit, ad inflammationes thoracis pertinet. Quum vero propriis signis a pneumonitide distingui vix queat, (nisi excipiamus catarrhalem bronchiorum phlogosin, suo loco adsignandam), illique vix non constanter jungatur, specialiori consideratione haud dignam esse censuimus.

a) *LARYNGITIS.*

1393. Inflammatio laryngis cognoscitur ex dolore fixo, ardente, sub rudiori tactu quandoque adaucto, faucium et asperae arteriae siccitate, respiratione laesa, voce alterata, tussi et febri inflammatoria comite. Forinsecus nonnisi raro tumor observatur; sub laryngis tractatione vero interdum quaedam species crepitus excitari solet (knistern). Respirationis laesae ratio eo differt, quod aër

exspiratus aeque, ac adspiratus ardorem, titillationem, dolorem, tussiendique conatus inducat. Alteratio vocis, cui formandae larynx in specie dicatus est, inter essentialia pertinet symptomata; nunc enim evadit rauca, nunc sibillosa, clangosa, vel stridula, nunc acutissima, sub loquela non minus, ac sub tussi distinguenda, et pro varia cum vocibus animalium analogia, modo canina, modo gallinacea, vel ovilla nominatur; in maximo inflammationis gradu perfecta suboritur aphonia. Increscente phlogoseos potentia respirationis munus summopere praepeditur, unde anxietas maxima, orthopnoea, suffocationis periculum; his accedit turgor faciei, congestiones ad enkephalum, sopor, carotidum pulsatio, jugularium venarum farciminosa quasi extensio, rhonchus, stertor, et molestissima colli constrictio. Tussis dolorifica, impetuosa, mox sicca, mox humida esse consuescit, sputis paucis, mucosis, plerumque cinereis, aut coerulescentibus, quandoque cruentis. Febris angiosthenica comes topicae inflammationis vehementiae constanter respondet.

1394. Etiamsi sub laryngitide plerumque deglutitio tantillum difficilior reddatur, essentialem tamen characterem non constituit, nisi epiglottis simul inflammata fuerit. Haecce angina epiglottidea, epiglottitis, medium inter anginam pharyngeam et laryngeam tenet locum, minusque frequentem sistit in praxi adfectum, cum certitudine difficulter determinandum. Conjecturam vero adsequi licet e dolore ad guttur urente, cacophonia, ac deglutitionis munere adeo praepedito, ut, quae ingeruntur, illico rejici debeant, quamprimum ad linguae radicem pervenerint. Si notabiliter intumuerit operculum glottidis, quandoque ad basin linguae, ferme glandis virilis instar, prominere visum fuit.

S. G. Vogel, Handbuch der pract. Arzneywissenschaft. 4 Th. 6 Cap.

Home Cases of inflammation and swelling of the epiglottis. (In Transact. of a Soc. for the Impr. of Med. and Chir. Knowledge. Vol. 3. p. 268.)

b) *TRACHEITIS.*

1395. Quae asperam arteriam, larynge intacto, adgreditur inflammatio, dolore fixo et ardore molesto ad furculam sterni, respiratione accelerata et difficili, voce rauca, nunquam tamen adeo acuta et clangosa, ut in laryngitide, tussi violenta cum sputis mucosis, croceis vel cruentis, ac febri inflammatoria plus minusve gravi distinguitur. Per se sola quidem minori stipatur periculo; saepissime vero laryngitidi, bronchitidi aut pneumonitidi nupta decurrit.

1396. Utramque speciem brevis orditur horror, cui illico aestuans succedit calor cum omnibus illis symptomatibus, quorum nonnulla ad universalem systematis arteriosi reactionem incitatam, alia ad topicam phlogosin referuntur. Per tres, quatuorve dies crescit morbus, die septimo plerumque maximum adtingit culmen, criticas subit mutationes, atque sub evacuationibus tum apostaticis, tum idiostaticis ad decrementum perducitur, mox promptum, mox lentum, et gradatum circa 9^{um}, 11^{um}, vel 17^{um} ab exordio diem.

1397. Levior fistulae spiritalis inflammatio, et praecipue simplex symphoresis a permanente stimulo fota, vel in gratiam pravae diatheseos continuo reproducta, interdum per plures septimanas, imo menses perdurare potest, quo in casu tracheitidis chronicae nomine insignitur. Insidiosum semper praebet malum, quod a minima occasione exacerbatur, eadem, a quibus saepe dependet, vitia organica laryngis et tracheae sustentare juvat, vel recentia producit, praecipue exulcerationem, lento et clandestino serpens passu.

1398. Quamvis inflammatio asperae arteriae phlegmonosa cum aliorum organorum adfectionibus confundi vix possit, difficulter tamen quandoque ab aliis, quoad indolem diversis, anginae trachealis speciebus distinguitur, a catarrhali utpote, et membranacea, ad altiorem praesertim gradum evectis. Decursus acutus, quasi continens, causae praegressae magis absolutae, febris angiosthenica valida, et dolor fixus, in oppositione cum specificis, quae ad

supracitatas anginae species, suo loco adumbrandas spectant, signis, non semper sufficiunt ad ultimam differentiam rite definiendam.

CAUSAE.

1399. Praeter generalia momenta, quae proclivitatem in statum inflammatorium fovent, in phlogoses asperae arteriae prae aliis disponunt: exercitia violenta et continuata organorum respiratoriorum, uti vociferatio multa, clamor, vagitus, (unde infantum eminens in laryngitidem dispositio), cantus, tractatio instrumentorum musicalium inflandorum, struma, aetas juvenilis.

1400. Causis excitantibus adnumerantur omnes stimuli positivi asperam arteriam mediate, vel immediate irritantes; corpora peregrina in tracheam illapsa, vel spirituosa sub inepta deglutitione eo delata; vulnera; aër atmosphaericus caloris excessu, vel frigore repentino peccans, majori oxygenis copia foetus, nebulosus, vaporibus sulfureis, pulveribus, insectulis, aliisque heterogeneis inquinatus; constitutio epidemica peculiaris, asperae hyemis soboles; exercitia spiritalis tubi eadem, quae disponere diximus; irritamenta organorum vicinorum: faucium, pulmonum; metastases et metaschematismi diversorum morborum. — Refrigerium, et miasmata quaedam ad aetiologiam tracheitidis catarrhalis, et contagiosae sunt referenda.

TERMINATIONES.

1401. Gravior tracheae et laryngis inflammatio semper periculi plenum sistit morbum; sub faventibus tamen circumstantiis sanitatis restitutionem nequaquam excludit, quam sub consuetis phaenomenis criticis sequi videmus. Praeter urinas hypostaticas, sudoresque profusos, anacatharsis mucosa optimum offert medium pro resolutione obtinenda, praecipue si sputa prodeant crassa, puriformia, facile et cum levamine ejecta. Magis anceps contra omni intuitu redditur casus, ubi per superficiem asperae arteriae mucosam plasticus transudat fomes, sub

erroneae criseos specie; etenim concrementa illa lymphatica, nisi intensioribus tussis conatibus ejiciantur, glottidis rimam occludunt, ac plerumque inevitabile pariunt suffocationis discrimen.

1402. Posthumis laryngitidis et tracheitidis potioribus accensentur: suppuratio, callositates, et pseudomembranae. — Abscessus in qualicunque asperae arteriae loco efformatus, vel mole sua respirationis viam praecludit, aegrumque suffocat, vel evacuato pure in chronicum degenerat ulcus, cui brevi febris hectica cum funestis suis satellitibus succedit: phthisis trachealis. Favente excessiva sanguinis coagulabilitate parietes asperae arteriae, et praesertim chordae glottidis obdurescunt, vel pseudomembrana obducuntur, hypoclepseos lymphatico-plasticae productis, unde angustatio luminis necessarii, raucedo immedicabilis, dyspnoea perpetua, tussis et non raro lenta tabes originem trahit.

1403. Frequentissima ratio mortis, sub decursu anginae trachealis obviae, est suffocatio, triplici plerumque e fonte oriunda; vel enim 1) parietes tracheae et laryngis ad maximum inflammati gradum adeo inturgescunt, ut omnis aurae atmosphaericae aditus praecludatur; vel 2) sub erronea crisi fomes plasticus transudans, fistulae spiritalis lumen adimit; vel 3) simili modo vomicae cujusdam moles nimia, aut, dum rumpitur, inundans pulmones latex purulentus mortis necopinae proximam causam largitur.

1404. Transitui laryngitidis in gangraenam summa organi dignitas praeprimis obstat; etenim, antequam phlogisticus processus ad eum evehi possit gradum, qui pro gangraenae ortu requiritur, suffocatus succumbere debet aeger.

1405. Indirecto modo mortem adferunt pedissequa anginae trachealis mala: uti phthisis trachealis, excoriationes et callositates, febris comitis inflammatoriae in characterem nervosum, aut septicum ominosus transitus.

PROGNOSIS.

1406. Inflammationem fistulae spiritalis, et praeser-

tim laryngis, multo majori, quam anginam gulae, stipari periculo, absque difficultate concipitur. Infantibus per eminentiam infensa observatur. Quae rapido passu incedit, laryngitis, generosae methodo antiphlogisticae pertinaciter resistens, sopori, anxietati summae, faciei livori, stertori, pulsibusque exilibus, tremulis et inaequalibus juncta, semper mali ominis esse solet. Tracheitis phlegmonosa gravior est, quam catarrhalis; membranaceam vero anginam periculo vix superat. Quo robustius, magisque plethoricum subjectum fuerit, concurrente praeprimis habitu apoplectico, vel phthisico, eo difficilius sanationem admittit.

THERAPIA.

1407. Sive phlogosis in larynge lateat, sive in trachea, ejusque bifurcatione, eadem semper manet cura, habito solum respectu sedis, localium remediorum adplicationem modificantis. Ob adeo pauca vero, quae morbus praecipitanter decurrens concedit, curationis momenta, sine mora ad potentissima recurrendum auxilia.

1408. Una alterave phlebotomia praemissa, illico 8, vel 12 hirudines anticae colli regioni adplicentur, atque continuans per vulnera inflicta sanguinis fluxus fomentis emollientibus sustineatur. In teneris infantibus, queis vena tuto secari nequit, hirudinum usus principalem indicationis antiphlogisticae paginam absolvit, earundem numerum aetatis rationi adprime adaptando. Remedia eccoprotica, potus refrigerantes, uti emulsa cum parca Nitri dosi, decocta mucilaginosa radicis Althaeae, florum Verbasci, Papaveris Rhaeados, specierum pectoralium, aliarumve ejusdem furfuris herbarum cum saccharo vel oxymelle, linctus demulcentes, clysteres aperientes, pediluvia, sinapismi inferioribus adpliciti artubus, cataplasmata emollientia circa collum adplicata, in eundem curationis scopum collimant.

1409. Inter auxilia topica, quibus topicam in vasis capillaribus reactionis exorbitantiam compescere et congestionem minuere adnitimur, vix non summe efficaces dici possunt vapores tepidi, ex aqua cum lacte, vel e decocto

quodam mucilaginoso extracti, qui per fistulam aëream absorpti internum quasi suppeditant fomentum, ac ideo ad molestissimam tracheae ariditatem leniendam, tussisque inde pendentis ferociam infringendam plurimum contribuunt.

1410. Notabilem denique laudem in mitigandis asperae arteriae inflammationibus sibi promeruit usus Mercurii dulcis, cujus salutares vires, praeter experientiam multiplicem, ipsa ratione vindicantur, si perpendimus eminentem laryngitidis in hypoclepsin lymphatico-plasticam, et concrementa membranacea nisum, Hydrargyri contra specificam in materia coagulabili resolvenda potentiam. Ad majores vero saepiusque in die repetitas doses exhibeatur, oportet; neque a subsequo ptyalismo, nisi tumultuarius ejusdem ortus remedio pertinaciter continuato secundetur, aliquid metuendum erit.

1411. Pertinax erga generosam curam antiphlogisticam tracheitis, ejusque ulteriorem usum vetans, quamprimum lapsus virium minatur, antagonistica methodo oppugnanda venit. Vesicantia sub' initio ad loca remotiora, serius parti adfectae quam proxime, collaris adinstar, adplicita, princeps sistunt subsidium. Eodem tempore, evolutis manifestius characteris nervosi notis, stimulantium diffusibilium opes implorare oportet, quae inter Camphora et Moschus rite subacta, praesertim in connubio cum Mercurio dulci, vel Antimonio egregie conferunt.

1412. Tracheotomia illo tantum in casu proponi posset, ubi inflammatio ad solum limitata laryngem, instantaneum minitatur suffocationis periculum. Etsi unicum in hisce angustiis, semper tamen summe anceps manet auxilium, plurium medicorum consensu decernendum.

THYREOADENITIS.

Hedenus Tractatus de glandula thyreoidea tam sana quam morbosa etc. Lips. 1822.

Hüpeden Diss. sistens animadversiones de affectionibus inflammatoriis glandulae thyreoideae. Heidelb. 1823.

Conradi Commentatio de cynanche thyroidea et struma inflammatoria. Gött. 1824.

1413. Inter inflammationes jugulares, sive anginas, suum quoque locum defendit inflammatio glandulae thyreoideae, thyreoitis, thyreoadenitis, kynanche thyreoidea. Etiamsi haecce glandula, texturae spongiosae et stupenda vasorum, maxime arteriosorum copia instructa, a priori saltem in phlogoses summe propensa supponi deberet; nihilo tamen secius experientia contrarium demonstrat. Fortasse minor organi in oeconomia animali dignitas, nullaque cum injuriis externis communio directa, ad rariorem inflammationis ortum suam conferunt symbolam.

1414. Diagnosis absque negotio e generalibus phlogoseos characteribus, nec non e laesis organorum contiguorum functionibus desumitur. Tumor globosus, durus, calens, plus minusve rubens (juxta diversam inflammationis profunditatem) in anteriore colli facie, dolor ibidem ex acuto tensivus, deglutitio molesta, spirandi difficultas, sensus compressionis et angustiae in gutture, cum raucedine, anhelitu, vel sibillo, liber motus colli impeditus, pulsatio visibilis carotidum, faciei turgor notabilis, carebaria, photopsia, syrigmus, atque febris inflammatoria plus minusve gravis, potiora sunt symptomata, quae inflammationem glandulae thyreoideae a quavis alia anginae specie distinguunt. Teste Thilenio quandoque contemporanea tonsillarum inflammatio jam ab omni initio mali observatur. — Decursus plerumque praeceps esse consuevit, instar phlegmones, de cujus indole vix non semper participat, quinque septemve diebus absolvendus. Si tamen, quod longe crebrius accidit, processus phlogisticus glandulam strumosam prehendit (struma inflammatoria), etiam decursus lubenter in longum protrahitur.

1415. Benigna glandulae thyreoidis inflammatae resolutio nonnisi raro contingit, sub urinis hypostaticis sudoribusque largis. Frequentiorem contra exitum sistit suppuratio, vix unquam avertenda, si glandulae parenchyma jam antea strumae, aliusve cacomorphoseos, v. g. melikeridis, steatomatis aut ossificationis casum subiverit. Abscessus maturitatem adeptus vel foras rumpitur;

vel vero pus intro eructat, atque mox tracheam lethali inundat rivo, (Baillie et Monteggia) mox in tela cellulari circumflua sinus et fistulas efficit, favente praesertim aegroti constitutione cachectica; unde febris hectica, tabes et mors. Quibusdam in casibus processus suppuratorius totam consumere visus est glandulam absque ullo vitae nocumento (1). Itidem strumas, contra quaevis remedia rebelles, phlogosi et suppuratione fortuito suborta feliciter dissipatas fuisse, compertum habuimus. Vastorum abscessum exempla retulerunt Renauldin (2), Meckel (3), Walther (4) et Sachse (5).

(1) Petri Frank Epitome de cur. homin. morbis. Lib. VI. P. II. p. 81.

(2) Hufel. et Harless Journal der ausl. med. Literat. 1803. B. I. S. 233.

(3) J. Fr. Meckel Abh. a. d. menschl. u. vergleich. Anatom. Halle. 1806. S. 142.

(4) Walther neue Heilart des Kropfes. Sulzbach. 1817. S. 17.

(5) Hufeland u. Osann Bibliothek. 1825. H. 5. S. 299.

1416. Excepto gutture tumido atque climacterica mulierum aetate, peculiaris in hancce phlogoseos speciem dispositio nondum innotuit. Inter causas excitantes violentiae mechanicae et refrigerium praecipuam merentur mentionem. Si atmosphaerae constitutio, qualem celeb. Jos. Frank suspicatur (1), ortui thyreoadenitidis obsecundaret, longe frequentior in praxi esse deberet morbus.

(1) Jos. Frank Praxeos medicae praecepta. Part. II. Vol. II Sect. I. 1823. pag. 224.

1417. Medendi ratio secundum generales instituenda regulas. Venaesectionis necessitas in gravioribus tantum urget casibus, apoplexiae aut suffocationis periculo junctis, in quibus cel. Walther venam jugularem secandam suadet. Ordinario hirudines ad tumoris ambitum adplicitae, cataplasmata emollientia, ac internus usus remediorum refrigerantium et eccoproticorum desideratas ferunt opes. Abscessus maturus quantocyus aperiendus, ut puris interiora petentis arceantur insidiae.

C. INFLAMMATIONES PECTORALES.

PNEUMONITIS.

Wendt, de Pleuritide et Peripneumonia. Goett. 1768.
Moseley, Diss. de peripneumonia vera. Edinb. 1780.
Tayleur, Tentamen medicum de pneumonia. Edinburg. 1795.
Maier, Diss. de peripneumonia sthenica. Wirceb. 1802.
Horn, über die Erkenntniss und Heilung der Pneumonie. Frankf. 1802.
Conradi, Pneumonie und Pleuritis in nosologischer und therapeutischer Hinsicht. Marb. 1803.
Heinsius Diss. de pneumonia, imprimis sthenica. Lips. 1814.
Lorinser die Lehre von den Lungenkrankheiten. Berlin. 1823. S. 206 — 298.
Laennec Traité de l'Auscultation médiate et des maladies des poumons et du coeur. Seconde Edit. Paris. 1826. Tom. I. pag. 393 — 527.

1418. Vulgatissimam inter omnes inflammationes viscerum speciem, brutis aeque ac homini summopere infensam, et mortalitatis uberrimam scaturiginem sistit pneumonitis, sive inflammatio pulmonum, cui jure omnis aevi medici eminentem dicaverunt adtentionem. Communiter etiam pneumonia, peripneumonia, pulmonia compellari solet. Exactius vero est nomen pneumonitidis, secundum generalem nomenclaturae inflammationum regulam formatum, atque omnium primo a Bourgardo anno 1754 introductum.

1419. Discreparunt quidem antiqui non minus ac recentiorum aliqui circa sedem hujus morbi, quam nonnulli in pulmonibus, alii in pleura, utrobique denuo alii posuerunt, ac ideo pneumonitidem cum pleuritide promiscue pertractare maluerunt. Praeeunte vero jam Diocle Carystio, qui primus peripneumoniam a pleuritide distinxit, Erasistrato, et Asclepiade Bithyno (1), maxima medicorum serioris et moderni aevi turma hancce essentialem retinuit discrepantiam, quam symptomata, substrati diversitas, nosogenia, et cadaverum extispicia abunde evicerunt.

(1) Sprengel, Instit. Pathol. special. Vol. I. §. 238.

1420. Praefixum sequentes nosologicae expositionis ordinem, hic nonnisi pulmonum phlegmonen, aliis peripneumoniam veram, puram, sive genuinam dictam adtingimus; reliquarum inflammationis ejusdem organi specierum, et varietatum eatenus tantum mentionem inserendo, quatenus ad diagnosin dilucidandam et differentiam essentialem statuendam necessarium duximus.

1421. Substratum morbi constituit pulmo in omni ambitu, qui, ceu organon parenchymatosum, innumeris variae capacitatis vasis sanguiferis conflatum, ac ideo eminente pollens irritabilitatis gradu, cunctas includit pro inflammationis genesi conditiones. Etiamsi superficies pulmonis interna, sive manticula ejus serosa pariter, ac superficies externa, mucosa utpote tunica, bronchiorum ramos investiens sub concursu stimulorum positivorum inflammari queat; earundem tamen phlogoses plerumque distinctae et fere solitariae esse consuescunt, e specificis causis, mox huic, mox illi sphaerae membranaceae infensis oriundae, uti sunt catarrhosae et rheumaticae. Quae vero e stimulo positivo magis absoluto originem trahit inflammatio, absque ullo ad specificum quemdam agendi modum, vel ad specificam cum substrato adfinitatem respectu, quae proinde praeter simplicem gradationem inter symphoresin et veram inflammationem, nullas alias essentiales offert modificationes, nisi accidentalia connubia et anomaliae extraordinariae excipiantur, haec inquam pulmonum inflammatio (phlegmone) contextum cellulosum sive parenchyma pro eminenti agnoscit substrato.

DIAGNOSIS.

1422. Sedes inflammationis topica, ejusque phaenomena generalia, organi functio laesa, et febris inflammatoria comes principalia praebent momenta, e quibus morbi notio desumitur. Quum de interno agitur organo, illa, quae sensibus externis patere solent, signa deficiunt, atque praeter calorem et dolorem — nullum aliud in conspectum venit inflammationis adtributum. Est autem dolor, in gratiam visceris parenchymatosi, ideoque minus sensilis, nunquam acutus, sed obtusus potius, oppressionis vel gra-

vedinis sensum offerens. Haecce molesta in sterno sensatio — princeps, ac pathognomonicum constituit pneumonitidis symptoma, atque vel cum pondere sterno incumbentc, vel cum constrictione totius pectoris ab aegris comparari solet; unde etiam vulgare peripneumoniae (περὶ circa, et πνεύμων pulmo) nomen originem traxit.

1423. Alterum pro diagnosi momentum suppeditat laesa organi functio, respiratio utpote vario iutuitu a norma deflectens, tussis, et haematopoësis vitiata, in specie justo perfectior, cum abundantia principii plastici et fibrosi, ejusque coagulabilitate excessiva.

1424. Febris denique angiosthenica prioribus nupta phaenomenis, tertium ac summe essentialem sistit pneumonitidis characterem. Etiamsi diversas phlogoses absque turbis febrilibus incedere videamus, pneumonitidem tamen, etsi levissima foret, semper febrem comitem habere novimus, cujus ratio ex substrati indole, dignitate, et maximo cum omnibus systematibus commercio facile patet. Qui enim pulmones ad vehementiores reactiones incitant stimuli, eodem tempore constanter primitivum systematis irritabilis fontem una adgrediuntur, oxydationem sanguinis intendunt, motum circuli accelerant, omnes illos effectus inducunt, quorum syndrome inflammatoriam componit febrem. Ideo etiam dyscrasia phlogistica in pneumonitide, caeteris paribus, semper magis evoluta, quam in aliis inflammationum speciebus. Febris ipsa vero mox primaria, mox secundaria, plerumque tamen coëffectus ejusdem causae esse consuevit.

1425. Minus fideles comites offerunt: sputum cruentum, et punctorius in alterutro thoracis latere dolor, cujus ultimi praesentia, etiamsi in causali et intimo nexu cum pulmonis phlogosi existat, semper tamen specialem et isochronam pleurae tensionem, vel irritationem supponit. Percussio thoracis, juxta methodum Auenbruggeri tentata, docet quidem unum alterumve pectoris latus minus resonare, nullatenus tamen evincit causam proximam hujus phaenomeni in pulmonum phlogosi latere, nisi alia simul computentur criteria diagnostica. Neque major fides habenda est peculiari illi stertori crepitanti, quem cel.

Laennec pathognomicum habet in primo pneumonitidis gradu, aliisve stethoscopii ope eruendis signis.

1426. Quae denique phlegmonosam pneumonitidis indolem patefaciunt signa, sunt: dolor fixus, causa praegressa violenta, absolute irritans, vel plurium relativorum stimulorum, favente praesertim dispositione, concursus; decursus morbi magis continens et praeceps, vehementia major, defectus signorum, quae aliis competunt pneumonitidis speciebus.

1427. E complexu horum characterum essentialium unice desumi poterit differentia ab aliis morbis analogis, quibuscum pneumonitis primo adspectu collimare videtur. A morbis pectoris chronicis, hydrothorace, asthmate, et phthisi pulmonali plerumque absque difficultate distinguitur, nisi lentam excipias peripneumoniam, sub cujus decursu non raro maxima nascuntur dubia circa realem alicujus vitii organici existentiam. Differt a pneumonitide catarrhali, quod haec a stimulis mere relativis, et quidem constanter a vicissitudine atmosphaerica originem summat, cutim semper siccam, membranae mucosae secretionem eminenter incitatam, tussim itaque cum sputis copiosis, aliaque catarrho propria phaenomena agnoscat. Facilius a peripneumonia rheumatica dignoscitur; hanc enim tussis pauca et sicca, vel nulla, respirationis contra evidentissima laesio, dolor pleuriticus vagus, consueta in extremitatum musculis vel articulis tormenta, cutis continuo sudore madens, atque urinae eum hypostasi lateritia, quin criticae essent, denotare solent. Pneumonitides miasmaticae, uti illa, quae typhum, morbillum, ipsamque tussim convulsivam in primo stadio comitatur, specificis gaudent notis. — Ut autem adhuc clarius innotescat morbi adeo vulgaris et periculosi natura et forma, fusiorem ejus in decursu tam regulari, quam anomalo descriptionem pandere juvabit.

NOSOGRAPHIA IN DECURSU REGULARI.

1428. Opportunitas. Nisi e causis violentis et traumaticis derepente oriatur morbus, plerumque prodromis quibusdam sese annuntiare solet; quae inter oppressio

pectoris, tussicula, et anhelitus, praecipue sub motu, vociferatione et scalarum ascensione, vulgatiora sunt, per unum alterumve diem durantia.

1429. Invasio. Adoritur pneumonitis horrore plurimum intenso, per unam vel et plures horas protracto, quem praeter communia omnis exordii febrilis phaenomena, anxietas summa, respirandique difficultas comitatur.

1430. Incrementum. Soluto frigoris accessu animalis pedetentim intenditur temperies, brevi in urentem aestum versa, sub quo turgor vitalis, humorum orgasmus, pulsuum reactiones, totiusque organismi incitatio ad insignem intenduntur gradum, subortis eodem tempore specialioribus, quae ad organon inflammatum referuntur, symptomatibus.

1431. Respiratio evadit frequens, citata, brevis, anxia, anhelosa, difficilis, thorace justo magis elevato peragenda, sive sublimis, tussiculosa, cum halitu oris calido et vaporoso, majori in gradu morbi pectore quasi immoto, solius diaphragmatis prelique abdominalis succursu perficienda; quandoque obliqua et inaequalis; profunda inspiratio denegatur, quoniam turgidus pulmo ultro expandi nequit, neque aëre exspirato considet; decubitus in latus adfectum praedilectus, sub utriusque pulmonis phlogosi supinus. Inter constantes molestias pertinet anxietas maxima; sensus constrictionis, plenitudinis, caloris interni, et ponderis sterno incumbentis; jactatio et inquietudo continua; frequens corpus erigendi, talique pacto respirationis munus sublevandi conatus; quorum tormentorum genesis facile concipitur ex summo pulmonis turgore et mechanico, quod parietes thoracis ossei ejus ulteriori expansioni opponunt, obstaculo. In gravioris phlogoseos casu tanta saepe observatur respirii frequentia, ut singulae inspirationes cum ictu arteriarum synchrono ferme procedant rhytmo. — Tussis ab initio est sicca, impetuosa, molestissima, sub quavis fere inspiratione, maxime sub profundioris tentamine, reiterata; serius humida, cum sputis mucosis, parcis, crudis, albumini ovorum similibus, viscidis, croceis, vel cruentis. Interdum sanguis tanta ejicitur copia, ut veram haemorrhagiam offerat, quod maxime in subjectis

phthisico habitu imbutis, vel retentionem habitualis profluvii passis occurrit.

1432. Frequenter punctorius in alterutro thoracis latere emicat dolor, pleurae una irritatae indicium, cujus origo vel ex synchrona causae excitantis in pleuram aeque, ac in pulmones actione, vel vero volumine turgidi et infarcti pulmonis admodum aucto, membranaeque serosae renitentis tensione concipitur. Primo in casu pleuriticus dolor plerumque acris, fixus, assiduus, ab initio morbi usque ad finem persistit illamque constituit peripneumoniae formam, quam pleuro-pneumonitidem nominant; in altero autem sub morbi decursu evolvitur, ac saepe ante ejus perfectam resolutionem disparet ea ratione, qua pulmonum turgescentia minuitur.

1433. Reliquis, minusque fidelibus, quae indies crescentem pneumonitidem comitantur, symptomatibus, mox secundariis, mox ad solam febrem referendis accensentur: capitis et faciei turgor, genarum rubor intensus, quandoque circumscriptus, praesertim tempore exacerbationis vespertinae, kephalaea gravativa, temulentia, oculorum suffusio, et illacrymatio; subinde sopor, aut delirium symptomaticum; lingua humida, crasso et albo muco tecta (peripneumonica Hippocratis); sitis inexplebilis; anorexia; abdomen tensum, violenter motum, unde dolor vel potius sensus dedolationis, prae aliis juxta diaphragmatis insertionem; alvus pigra; urinae parcae, flammeae, crudae, vel turbidae, jumentariae, sub mictu ardentes; arteriarum reactiones violentae, carotidum vibratio, palpitatio cordis (cardiopalmos), pulsus veloces, in infantibus vix numerandi, pleni, duri, — rarius fortes, liberi, et celeres, — crebrius, ob nimiam sanguinis expansionem, quae proportionatam arteriae contractionem praepedit, suppressi, fictitie debiles, interdum rhytmo ac tempore inaequales, vel plane intermittentes; sanguis densus, crusta phlogistica tenaci et crassa tectus, pauco sero scatens, vel totus in duram placentam concretus.

1434. Quo altior fuerit morbi gradus, et quo ad majorem phlogosis extensa plagam, eo intensiora quoque erunt symptomata tum localia, cum febrilia, vespertinis

horis constanter exacerbata, sublucanis contra tantillum remissa. Gravissimum, quod sponte liquet, casum offert utriusque pulmonis per omnem ambitum inflammatio, cui vix non cuncta superius adlata symptomata per eminentiam competunt.

1435. Ad definiendam pneumonitidis unilateralis sedem concurrunt: sensus ardoris, tensionis, caloris et ponderis ad unam pectoris medietatem restrictus, decubitus in idem latus praedilectus, in sanum contra difficilis, summasque anxietates creans; respiratio eum in modum obliqua, ut cavum pectoris, inflammatum includens pulmonem, aegrius explanetur, vel plane immobile maneat sub aëre profundius adtracto; genae ejusdem lateris circumscriptus rubor; ad carpum manus levis turgor et rubedo, phaenomenon, infantibus praesertim familiare, quod tamen potius ab extremitatis per decubitum compressione pendere videtur; quemadmodum id de brachii oedemate in hydrothorace dici potest; pulsus denique ad radium lateris patientis magis suppressus et durus, quandoque heterochronus. Thorax digitis percussus in parte adfecta obtuse tantum resonat, atque stethoscopium, Laenneci ad mentem admotum, obscurum nonnisi respirationis strepitum prodere dicitur.

1436. Status. Per tres, aut quinque dies passu nunc praecipiti, nunc magis moderato increbescens pneumonitis ad maximum evehitur potentiae culmen, atque vel in eo consistens, vel etiam tantillum recedens aequabilem ferme conservat per totidem dies decursum, nisi solitas excipiamus, quae ab exacerbationibus vespertinis, et remissionibus matutinis pendent, undulationes.

1437. Specialia in hocce stadio phaenomena non observantur, nisi ea, quae vel morbi rebellis pervicaciam, vel vero dispositionem in benignas crises indicare possunt. Primo in casu pertinax continuat morbi, utut rite tractati, inobedientia; insufficiens, aut nullum prorsus ab antiphlogisticis obtinetur levamen; immobili thorace spiritum aegerrime reciprocat infirmus, brevia tantum et anhelationibus intersecta verba proferre valens, summa anxietate oppressus, improba tussi vexatus, per vices sopitus, vel in

delirium actus, donec pulmone prorsus impermeabili reddito, sub impotentia summe necessarium pro vita pabulum ex atmosphaera captandi, suffocatus pereat, quod quidem omni die contingere potest, crebrius tamen sub exacerbationibns nocturnis, et praesertim sub criticis perturbationibus succedere solet.

1438. Feliciori sub rerum positione pneumonitis ad crises pedetentim disponitur, quas nunc solemnes et decisivas, nunc intercisas, consuetis diebus judicatoriis suboriri videmus, die utpote quinta, septima, nona, undecima, aut decima quarta. Potiores evacuationes beneficae sunt: sudores, urinae hypostaticae, et sputa, de quibus infra fusius agetur.

1439. Extincta serius ocyusve illa conditione pathologica, quae pneumonitidem constituit, mediantibus virium organismi conatibus, quo simul et ars suam symbolam contribuat, oportet, successivum, plus minusve promptum subintrat decrementum. Omnium primo graviora componuntur symptomata, atque reciproca restituitur oppressae functionis integritas, nisi posthumo quodam detentum maneat organon, quo in casu imminutas, numero et intensitate, turbas pneumomonitidis alius generis mala succedunt. Ultima, quae declinantem morbum usque ad convalescentiae limina fideliter comitantur phaenomena, sunt eadem, quae omnium primo evolvuntur, levis utpote pectoris oppressio et tussicula. Ubi tandem et haec dissipata fuerint, aeger convalescens et sanitati proximus dici poterit.

1440. En decursum pneumontidis acutae, genuinae regularem, nullis anomaliis pollutum, nulla aliena labe complicatum, sub faventibus circumstantiis in perfectam salutem vergentem. — Ast non semper optatum huncce tramitem sequitur pulmonum inflammatio; nunc enim longiori, quam par est, tempore excurrens, nunc jam in prima sua origine alieno charactere inquinata, nunc in decursu insolitis et parasitis symptomatibus juncta, imo quandoque ita alterata et deformata, ut primaria et essentialis quasi exstinguatur indoles, multiplices offert for-

mas, solitique decursus a norma deflexiones, quas generali pneumonitidis anomalae nomine complectimur.

NOSOGRAPHIA IN DECURSU ANOMALO.

1441. Potiores, quae in praxi occurrunt, anomalae pulmonum phlogoseos species, aut potius varietates sunt: 1) Pneumonitis chronica. 2) Pn. notha. 3) Pn. gastrica, et in specie biliosa. 4) Pn. nervosa. 5) Pn. septica, sive maligna. — Inde liquet, totidem pneumonitidis, complicationum respectu habito, occurrere anomalias, quot existunt cardinales febrium characteres (inflammatorio excepto, qui alioquin ab omni pneumonitide inseparabilis est); pneumonitis enim biliosa characteri gastrico, nervosa sive typhodes nervoso, maligna putrido, et notha cachectico respondet. Pneumonitis lenta particularem indolis inflammatoriae modificationem non includit, sed simplicem anomaliam quoad tempus, sive extensionem morbi indicat.

1442. Excluduntur pneumonitis catarrhosa, rheumatica, et miasmatica, quas nunquam ceu anomalias, sed uti specificas, autonomas, et normales inflammationis pulmonum formas consideramus, quarum constans et essentialis differentia in substrati eminenter adfecti, in causae producentis et nosogeniae diversitate fundatur. Hae species iisdem, quas mox notavimus, anomaliis obnoxiae esse possunt, uti suo loco patebit.

PNEUMONITIS LENTA.

Tode, Dissert. de inflammationibus pectoris chronicis. Hafn. 1788.
Racine, Recherches sur la péripneumonie latente chronique. Paris 1803.

1443. Pneumonitis, cujus decursus ultra vigesimum protractus diem, per septimanas, vel etiam menses extenditur, chronica sive lenta vocatur; (schleichende Lungenentzündung). Ejus idea duplici concipitur ratione: 1) Vel simplex sustinetur congestio sanguinolenta nunc a continuato potentiarum incitantium influxu, nunc a sola dispositione prava, qua posita indifferentes alias, et quoti-

diani, ad processum vitalem sustinendum absolute necessarii stimuli morbosam in vasis capillaribus pulmonum reactionem excitare et fovere valent; — 2) Vel vero catena plurium phlogosium per vices reproductarum et recidivantium insolitae quoad tempus extensionis causam includit. In primo casu absque organisationis labe persistere potest malum; in altero semper morbosam quandam massae et texturae pulmonum metamorphosin comitem agnoscit, quam primo suo accessu produxit, atque iterato reditu augere continuo juvat, unde consuetorum vitiorum, suppurationis, exulcerationis, tuberculorum et causam, et effectum constituit.

1444. Interdum adeo dolose et clandestine serpit, ut, solitis destituta signis, oculati etiam medici aciem effugiat; vel plane per aliquod tempus quasi sepulta silet, brevi ac inopinato denuo eruptura; quapropter pneumonitidis occultae, sive latentis nomen sortita est. »Pleuritides frequenter sunt occultae, quia indolentes, unde gravissimi errores in praxi succedunt.« Baglivius.

De la Faye Diss. sur la péripneumonie latente. Paris. 1812.

1445. Diutina pulmonum inflammatio frequentissime exercet homines thorace male conformato, recurrenti haemoptysi obnoxios, organico quodam pulmonum vitio adfectos, appropinquante praesertim bruma. Quae ad eam referuntur symptomata, sunt omnia illa, quibus peripneumoniam acutam distingui diximus. Unicam differentiam ponit morbi vehementia minor, decursus contra lentior. Potioribus signis adnumerantur: continua, utut exigua, thoracis oppressio; dolor pleuriticus per vices recurrens, pectus transversim perfigens; sensus caloris et ardoris interni; dyspnoea continua, sub motu et inclinatione corporis, vociferatione aeque, ac post pastum aucta; anxietas; plenaria thoracis sub aspiratione profundiori explanatio denegata; tussicula sicca, ac a minimo irritamento, alias indifferenti, facile exasperata; quandoque sputum cruentum; febricula per vices, vel et assidua, levissima, vesperascente die magis conspicua, cum calore fugaci, genarum rubore, pulsuumque insolita frequentia; aut febriculosa solum, ut divini Stollii (1) verbis utar, diathe-

sis a medico saepe, ab aegroto saepissime non animadversa, utpote obambulante.

(1) Stoll, Aphorismi de cognoscendis febribus. Vindob. 1786. §. 187.

1446. Ut in casibus dubiis indolentes pleuritides cognosci possint, eximius observator Romanus, Baglivius, (1) sequentem proponit methodum: »Fac ut aeger in dextrum, vel sinistrum latus decumbat; decumbenti impera, ut fortiter respiret, et tussiat, finita una, vel altera respiratione, pete ab illo, an inter respirandum et tussiendum dolorem, aut gravedinem alicubi in pectore persentiat, quod si affirmet, pro certo habeto, pleuritidis sedem ibi esse, ubi dolorem, aut gravedinem indicaverit.«

(1) Baglivii, Opera omnia. Lugd. 1714. p. 35.

1447. Ubi organica simul in pulmonibus exstant vitia, uti vomicae, aphthae, tubercula, concretiones, tunc et illa simul concurrunt symptomata specialiora, quae singulis illis competunt adfectibus.

1448. Quousque ejusmodi chronica labes pulmonum intra simplicis congestionis limites consistit, in organica quidem vitia non nititur; ast frequentiori reditu, ac dispositione prava indies aucta in veram phlogosin degenerat, et quam maxime propter fallacem lenitatem, ac medelae neglectum, inevitabilium malorum germen ponit. Exemplum turgoris simplicis et periodici pulmonum offerunt quaedam feminae tempore catameniorum parce fluentium praeprimis, quae gravem prius perpessae sunt pneumonitidem, vel infelici habitu phthisico instructae, pessimum inter omnia mala pertimescendum habent.

b) *PNEUMONITIS NOTHA.*

Brown, Diss. de peripneumonia notha. Edinb. 1795.
Fourcault Considérations sur la pneumonie fausse. Paris 1814.

1449. Nomine peripneumoniae nothae (falsche Lungenentzündung) intelligunt practici diutinum turgorem aut veram inflammationem pulmonum, quae ex parte coëxistentis status pituitosi, seu polyblenniae, viscerum abdominalium infarctorum, atque laxitatis undiquaque praevalentis particularem induit modificationem. Est

igitur species pneumonitidis lentae, per specificam illam processus reproductivi alterationem, qua colluvies pituitosa generatur, modificata; quapropter etiam pn. pituitosa aliis, Riverii et Sennerti ad mentem, nuncupatur. Obscura hujus morbi indicia in libris Hippocraticis (1), (πλευρίτιδα εν νώθω), et apud Aëtium (2) inveniuntur; primus vero, qui de eo bene scripsit, fuit Sydenhamus (3).

(1) Hippocrat, de Morbis IV. 493.
(2) Tetrabibl. 2. Serm. 4. pag. 526.
(3) Opera Medica, Tom. I. Cap. VI.

1450. Subjectis phlegmaticis, laxis, et senibus maxime infesta esse solet, recurrentis catarrhi frequens posthumum, aliorumque thoracis malorum, asthmatis praesertim et hydrothoracis comes fidelis. Ad ejus genesin pariter contribuunt obstructiones viscerum abdominalium, ventricositas, abusus cibi caseosi, farinacei, glutinosi, vinolentia, diathesis verminosa, vita deses, epidemia vernalis.

Svietenii, Comment. in Aphor. Boerh. §. 367.

1451. Primo fallaci lenitate opprimit nec opinantes aegros; pedetentim vero adolescens clarioribus in conspectum venit signis, quae inter sequentia notantur: pectus oppressum; anhelitus; respiratio sibillosa et strepera ob tenacem, qui bronchia obsidet, mucum, unde Sydenhamus dixit: talem esse pulmonum coarctationem, ut adstantium auribus percipiatur; dolores vagi, rheumaticis analogi; dyspnoea sub quovis motu aucta; tussis pertinax, quandoque adeo impetuosa, ut vomendi conatus excitetur, cum sputis mucosis, viscidis, tenacibus, aegre ejiciendis; inquietudo nocturna; virium languor, et facilis defatigatio; vagae horripilationes, et leviusculi febris insultus; facies pallida, laxa, inflata, ni rubor fugax post pastum genas tingat; somnolentia. Monuit adhuc Sydenhamus aegros hos, dum tussiunt molestum capitis dolorem percipere, ac si dissiliret. Increscente malo, crescit etiam pulmonum infarctus, tenacemque pituitam excreandi impotentia; unde suffocati pereunt, qui plerumque per longum tempus excruciantur aegri, vel sub apoplexiae sero-

sae accessu succumbunt. — Cadavera hoc morbo peremptorum pulmonis substantiam jecinoris adinstar infarctam et duram, bronchia muco plena, pleurae adhaesiones, viscerumque abdominalium emphraxes demonstrant.

c) *PNEUMONITIS BILIOSA.*

(1) Jansen, Diss. peripneumonia biliosa. Goett. 1787.
(2) Guidetti, Diss. de pleuritide biliosa. Vide Burserii Instit. med. pract. Vol. IV. §. 112.

1452. Complicatio inflammationis pulmonum cum febre biliosa, cum hepatitide, aut ejusdem ex felle uberius secreto origo, illam constituit pleuritidis formam, quam gastricam, et in specie biliosam vocant. Aestivis praesertim diebus, ubi, praeter epidemicae constitutionis influxus, polycholiae creandae faventes, simul et potenter irritantes, ac versus pulmonem specialius directi, concurrunt stimuli, uti venti aquilonares, imbres frigidi, repentinum sudantis corporis refrigerium, cursitatio, vel equitatio vento adverso, hujus anomaliae haud rara animadvertuntur specimina, nunc sporadica, nunc epidemica. Idem obtinet, si sub regularis pneumonitidis decursu biliosum principium, majori, quam par est, copia extricatur, ut v. g. data irae vehementioris occasione; unde morbo primario alienus quoque imprimitur character.

1453. Combinando symptomata, quae topicam pulmonum adfectionem denotant, cum illis, quae febri bilioso-inflammatoriae, sive ardenti propria esse consuescunt, (§. 695), pneumonitidis biliosae diagnosis absque difficultate construi poterit. Speciatim inter phaenomena eminentia referuntur: turgor praecordiorum, anxietas, oppressio pectoris, tussis sicca et molesta cum paucis sputis, tenacibus, glutinosis, subflavis, subcruentis, nonnisi per magnum conatum ejiciendis, lingua spurca et flavida, sapor amarus, ciborum fastidium, irrita vomendi conamina, sitis permolesta, vigiliae, jactationes assiduae; urinae profunde tinctae cum sedimento lateritio; sudores profusi aridam pellem per vices irrorantes; polycholiae et auriginis plus minusve intensae vestigia; febris ardens cum pulsi-

bus mollibus. Conjuncta simul hepatis phlogosi, hujus quoque signa specialiora concurrunt.

1454. Sive saburra biliosa in primis viis, sive hepatis inflammatio turgorem pulmonalem induxerit, sponte liquet istum nullatenus idiopathicum sistere malum, ac proinde, aliorum medicorum exemplo, etiam pneumonitidem sympathicam, vel consensualem dici posse (1). Ex ipsa hacce originis ratione sine negotio colligitur, cur pneumonitis biliosa in metamorphoses organicas nonnisi raro nitatur, et ablato bilis stimulo, vel hepatis phlogosi infracta illico componi soleat; etenim vix non semper simplicem tantum in pulmonibus supponit congestionem, quae ad verae inflammationis potentiam non evehitur, nisi alia et fortiora simul conspirent incitamenta. — Inde pariter concipitur dyspnoeae, dolorisque minor gradus, dyscrasiae phlogisticae minus perfecta evolutio, pulsuum mollities, et decubitus saepissime in utrumque latus concessus.

(1) P. Frank, Epitome. Lib. II. §. 189.

PNEUMONITIS NERVOSA.

Kreysig, Commentatio de peripneumonia nervosa. Lips. 1796.
Cappel, de pneumonia typhode, sive nervosa. Goetting. 1798.
Esmarch Diss. de pneumonia gastrico-nervosa. Kiliae. 1821.

1455. Phaenomena inflammationis pulmonum juncta illis, quae statum nervosum, sive systema nerveum in suis functionibus diversimode laesum patefaciunt, dant ideam de pneumonitide nervosa.

1456. Hujus anomaliae genesis sequentibus concipitur modis: 1) Vel sub decursu pneumonitidis gravis et rebellis vires vitales labi incipiunt, symptomata evolvuntur nervosa, atque non obstante febris inflammatoriae in nevropathicam transitu, primitivus pulmonum turgor persistit. 2) Vel causa pneumonitidem creans eodem tempore, quo pulmonum incitationem topicam exstimulavit, universalem dejecit, uti exemplum offerunt vulnera pectoris, effraeni haemorrhagia comitata. 3) Vel sub decursu febris nevrasthenicae positivus quidam influit stimulus, qui justo majores in systemate capillari pulmonum concitare valet

reactiones. 4) Vel temperamentum sensile, diathesis spasmodica, erethismus excessivus, existens quaedam nevrosis, uti hysterismus, dolores diuturni, etc. particularis illius modificationis, quam pneumonitis e vulgaribus caeterum causis orta offert, rationem praebent. 5) Vel denique specificae causae, systematis nervosi functiones laedenti ea simul inest qualitas, ut pulmonum incitationem sufflammare possit, uti v. g. miasmati typhoso.

1457. Pro diversa hacce nosogenia etiam pneumonitis nervosa diversam offert imaginem, quae tamen sub duplici considerari potest respectu: 1) Mox enim status nervosus a viribus et facultatibus nervosis citra normam incitatis dependet, Nevrosthenia, atque, si libera earum actio impedita et suppressa fuerit, ideam debilitatis nervosae spuriae largitur. 2) Mox a manifesto efficientiae nervosae languore, et prostratione reali suam originem trahit, Nevrasthenia.

1458. Primo in casu nulla exstat difficultas synchronam concipiendi inflammationis, et characteris nervosi existentiam, cujus clarissimum et quotidianum exemplum offert typhus contagiosus. — In altero autem aliqua, saltem primo obtutu, sese obtrudere videtur contradictio, quae tamen scrupulosiori reflexione facile solvitur. Princeps, quod moveri posset, dubium est: quomodo languente per totum organismum incitatione, topicae in pulmonibus incitationis augmentum eodem tempore subsistere potest? Respondetur: Etiam sub maxima virium prostratione et debilitate semper adhuc viget processus vitalis, ac proinde quidam irritabilitatis, utut minus vividae gradus; quo posito persistit facultas in stimulos externos reagendi, et dum fortiores sunt, majorem quoque renisum opponendi. Quam ob rem sub maxima quoque debilitate inflammationes prius evolutae continuare non solum, verum et recentes oriri possunt. Negari tamen nequit, hasce cum debilitate incedentes phlogoses minorem semper intensitatem, decursus rationem particularem, plerumque anomalum, symptomata quaedam insolita, ac in proprias terminationes nisum ostendere, quin ideo asthenicae sive passivae inflammationis nomine insigniendae veniant,

principiis pathologicis aeque ac experientiae contrario. Ipsa igitur pneumonitis nervosa semper est activa, inflammatio nempe in subjecto febrili debilitate adfecto; et quamprimum turgor pulmonum activus, increscente semper asthenia, in passivam congestionem abit, inflammationis idea evanescit, nullusque alius, quam liquationis exitus concipi poterit.

1459. Constantiora, quibus nervosa pneumonitis distingui solet, phaenomena sunt: oppressio pectoris, anxietas intolerabilis; jactatio; aestus intestinus; spiritum ducendi insignis difficultas, tussis cum sputis aegre ejiciendis, doloris prius existentis cessatio; dolosa euphoria; deliria nocturna; vertigo; oculorum acies imminuta; lingua arida et tremula; sitis flagrans; abdominis meteorismus; cutis sicca; urens calor; animi deliquia; subsultus tendinum; vox debilis, vel aphonia; virium jactura; decubitus neglectus; pulsus valde frequentes, molles, quandoque debiles; dyscrasia sanguinis phlogistica exstincta.

1460. Quandoque peripneumonia nervosa epidemicae constitutionis sobolem sistit. Accidit nempe, ut subintrante tepore verno, favente malakia atmosphaerae, vel etiam bruma minus acriter saeviente, praesertim dum epidemiae stationariae genius mutatur, peripneumoniae frequenter evolvantur, quae ab initio regulariter decurrunt, sed brevi in febris nervosae speciem transeunt, maxime si debita in venaesectione repetenda cautela omittitur. Talis fuit peripneumonia epidemica, quam suo tempore Huxhamus observavit (1). Similis vertente anno 1820, et ineunte anno 1821 nobis Ticini visa est (2).

(1) Opera med. physica II. p. 168.

(2) Franc. Hildenbrand Animadversiones in Constitutionem morborum stationariam. Vindob. 1831. p. 3.

1461. Pneumonitis nervosa, quae febris typhosae comitem sistit, illis phaenomenis, quae asthenicum statum indicant, saltem in principio, destituitur, ac specificis, ad specificum illud febrium genus referendis, symptomatibus stipatur.

e) *PNEUMONITIS SEPTICA.*

Elsner, Diss. de pneumonia putrida. Regiom. 1791.

1462. Copulam inflammationis pulmonum cum peculiari illa diathesi pathologica, quae characterem putridum constituit, peripneumoniam putridam, septicam, sive malignam vocant practici, ab eximio Huxhamo sueta sua claritate depictam (1).

(1) Huxhami, Opera physico-medica II. p. 170.

1463. Hujus peripneumoniae duas praesertim, habito originis respectu, species distinguere licet: 1) Vel sub decursu febris pulmonariae dyscrasia sanguinis phlogistica in oppositam vertitur conditionem, sive septicam, collabentibus eodem tempore viribus, quod nunc generalium potentiarum deprimentium concursu, humorum jactura, victu pravo, therapia perversa, animi desponsione, — nunc specificis sepsi, et liquationi faventibus influxibus, uti abusu mercurii vel nitri, mephite, contagio pestilentiali effici potest. 2) Vel sub decursu febris putridae simplicis, positivis stimulis expositus aeger, pulmonum inflammationem contrahit, quae in gratiam praeexistentis characteris septici peculiarem induit formam, atque essentiali in liquationem et gangraenam nisu notatur. — Ex hacce nosogenia liquet, pneumonitidem et characterem putridum nunquam coëffectum ejusdem causae esse, sed duplicis generis prophases supponere.

1464. Pneumonitidis septicae ab aliis speciebus disparitatem indicant: virium prostratio summa, capitis temulentia, deliria, vigilia, animi demissio, leipothymiae, pallor et squalor faciei, lingua arida et fusca, sitis extingui fere nescia cum desiderio acidorum, halitus oris teter; pectus oppressum; tussicula rara, cum sputis graveolentibus, parcis, caenosis, cruentis; respiratio difficilis, anxia, stertorosa; inquietudo contiuua; sanguis eductus glutinosus, dissolutus; pulsus molles, exiles, quandoque naturalibus tardiores; petecchiae aut vibices; frigus extremorum, sudores profusi et viscidi; diarrhoea involuntaria; urinae turbidae et nigrae; mors praeceps, ac saepe

improvisa, mox suffocativa, mox syncopalis. Quae cum typho putrido, aut pestilentiali incedit pneumonitis, specificis ejus signis juncta, uti exanthemate miliformi, capitis stupore, bubonibus et anthracibus, absque ulla difficultate dignoscitur.

1465. Quo magis character putridus evolvitur, eo magis quoque fatiscunt symptomata reactionis phlogisticae in pulmonibus, ac demum prorsus exstinguuntur ea ratione, qua inflammatio in passivam congestionem cum liquationis et gangraenae momentaneo metu mutatur.

1466. Pessimam hancce pneumonitidis anomaliam, quae ideo etiam maligna vel perniciosa dicitur, quidam Medici epidemicam observarunt. Ejusdem quoque ingenii hinc inde fuisse videtur funesta illa pestilentia, quae ab anno 1348 ad 1350 Europam peragravit, atrae mortis nomine nota.

DIVISIONES.

1467. Juxta solitum divisionum scholasticarum tentipellium pneumonitis in primariam et secundariam; idiopathicam, symptomaticam, et consensualem; in acutam et chronicam; sporadicam et epidemicam; simplicem et complicatam; manifestam et occultam distingui poterit. Longe majoris vero valoris practici est divisio pneumonitidis in regularem et anomalam, atque hujus denuo in nervosam, septicam, biliosam et notham, porro in phlegmonosam et specificam, hujusque in catarrhalem, rheumaticam et miasmaticam. Inde saltem praeter indolem generalem et formam morbi, simul et indoles specialior determinatur, quae therapiam modificare, ac singulis casibus adaptare jubet.

CAUSAE.

1468. Quemadmodum aetate tenera in organis, quae vegetationis processui praesunt, major ad phlogoses cernitur proclivitas; ita aetate juvenili et adulta ea ratione, qua perfectio animalis, et irritabilitatis character potentius evolvitur, majorem in pulmonibus et corde esse debere in

eundem statum pathologicum pronitatem sine difficultate colligitur.

1469. Praeexistente qualicunque dispositione facilior omnino, caeteris paribus, erit pneumonitidis genesis. Praecipua, quae hancce opportunitatem fovent, momenta sunt: mala thoracis conformatio, sive congenita, sive adquisita, uti gibbus, scoliosis, lordosis, et praesertim habitus sic dictus phthisicus, quem distinguunt sternum planum, scapulae alatae, statura procera, collum longum, fibra delicata, genarum floridus rubor, venarum varicositas, ingenium praecox, praeceps corporis incrementum; — denegata pulmonum sub corpore saepe, ac diu incurvato explanatio, quo prae aliis certa opificia, ut illa sartorum et sutorum, ac prava corporis gestatio conferunt; pulmonis contextus tener, et sensibilitas excessiva, unde major receptivitas, et facilis, minima causa data, turgor; ejusdem organi incitatio crebrius et vehementius, quam par est, exaltata per cursum, clamorem, cantum, per exercitia musculorum pectoralium, uti sub jaculatione, mallei ductione; evacuationes habituales suppressae, catamenia; haemorrhoides, epistaxis, venaesectionum suetarum neglectus; vitia organica in pulmonibus, tubercula, concretiones, ulcera; vita lauta; abusus spirituosorum, et aromatum; hyems et clima boreale; viscerum abdominalium congestiones et infarctus.

1470. Ubi plura momenta disponentia concurrunt, vel ad altiorem evehuntur potentiam, per se sola quasi pneumonitidi producendae idonea redduntur; tunc enim quotidiani et alias indifferentes stimuli, rerum utpote, quae nos circumdant, ac ad sustinendum processum vitalem absolute requiruntur, influxus, pro concitandis reactionibus morbosis sufficiunt.

1471. Causis excitantibus adnumerantur: 1) Potentiae mechanicae in pectus, vel in ipsos pulmones immediate directae; ictus, vulnera, costae fractae; corpora peregrina una cum aëre pulmonibus adtracta, praesertim pulvis silicum contritorum atmosphaeram inquinans; inde derivat tanta peripneumoniae, ejusque fatalium exituum frequentia inter molinarios, lapicidas, et

incolas urbium vastarum, inde adeo numerosa ejusdem labis inter pelliones, interque illos, qui linum carminant, exempla. — 2) Irritamenta chemica per fistulam spiritalem absorpta, quorum nonnulla, praeter solitum incitationis in fibra viva augmentum, varias simul in sanguine alterationes craseos producunt, vel plasticitatem intendunt; uti sunt vapores sulfurei, metallici, diversae species fluidorum gasiformium, gas acidum nitrosum, fluoricum, muriaticum; aër atmosphaericus vario titulo vitiatus, nimia oxygenis copia scatens, acribus principiis foetus; inde crebrae et graves peripneumoniae illorum, qui nicotianae praeparandae, piperi contundendo, aliisve operationibus chemicis et pharmaceuticis insudant; spirituosa et aromatica generosis absumpta dosibus. — 3) Potentiae dynamico-cosmicae et telluricae, quae immediatum in systema arteriosum et specialius in pulmones exerunt influxum; ita calor excessivus foci refrigerato corpore exceptus, vel vero frigus acre aestuanti repentine admissum; unde pistoribus, coquis, fabris ferrariis, et illis, qui ferrum, vel vitrum in ustrinis igne urgent, adeo familiaris esse solet; porro electricitas positiva, venti aquilonares, Caecias. — 4) Incitamenta dynamico-organica, contentiones organorum respiratoriorum immodicae et diutius continuatae; cantus, clamor, vagitus, vociferatio, tibiarum flatus; exercitia corporis vehementia, saltus, ponderum gestatio; cursus, vento praesertim adverso; tussis, vomitus; labores duri, sub quibus musculi pectorales ad violentas et repetitas contractiones intenduntur. His omnibus orgasmus humorum incitatur, atque major, dato tempore, pulmones permeare et oxydationis processui supponi cogitur sanguinis unda.

1472. Concursui plurium potentiarum cosmicarum et telluricarum peripneumoniae tempore hyemali frequentiores, et plerumque epidemicae suam originem debent; aër enim frigidus, praeter quod, posita eadem quoad spatium extensione (eodem nempe volumine, in comparatione cum aëre calido), majorem contineat oxygenis copiam, tensionem electricitatis magis positivam agnoscit; motum eapropter organicum potentius incitat,

factoris praesertim contractivi energiam exaltando, sanguinisque oxysin aequo plus promovet. Ad proprium et quidem ignotum recurrere principium epidemicum, quod genesi pneumonitidis faveret, omnino superfluum censemus. Neque subscribere vellemus Professoris Bambergensis (1) effato: frigus unicam esse verae peripneumoniae prophasin.

(1) Marcus, Entwurf einer speciellen Therapie. 2 Th. §. 949.

1473. Pneumonitidem secundariam, eamque plurimum chronicam inducunt et fovent vitia pulmonum organica, vomicae, ulcera, tubercula, steatoses, concrementa calculosa, adhaesiones, metastases et metaschematismi aliorum morborum, v. g. podagrae. Symptomaticam denique, vel sympathicam peripneumoniam ex inflammationibus organorum vicinorum, pleurae, cordis, diaphragmatis, hepatis, tracheae, vel ex stimulo saburrali, bilioso aut verminoso, haud infrequenter nasci videmus; rarius a morsu venenato serpentum, a gravibus capitis vulneribus, vel post operationes chirurgicas majoris momenti (1). — Vicissitudines atmosphaerae, ac laesa inde cutis functio ad pneumonitidem catarrhalem, vel rheumaticam miasmata specifica ad pneumonitidem typhosam, vel morbillosam referri debent.

(1) Brielmann Réflexions sur la péripneumonie simple, survenant quelquefois à la suite des grandes operations. Paris. 1815.

TERMINATIONES.

IN SALUTEM.

1474. Pneumonitis in sanitatem abit sub concursu circumstantiarum resolutioni faventium, quas inter principem mentionem merentur: subjecti constitutio bona; malae conformationis, vitiorumque origanicorum absentia; causae minus violentae, dynamicae; morbus levior, aut saltem recens, regularis et simplex; medela adaequata et prompte adhibita; crises salutares.

1475. Modus optatissimus, quo perfecta salus obtinetur, est mediante resolutione benigna, morbosa

utpote pulmonum conditione evanescente ita, ut pristina restituatur organi integritas; quo, praeter artis succursum, vigentis processus vitalis medicatrices conatus principem contribuunt symbolam.

1476. Lysis simplex raro observatur; multo frequentiores et efficaciores sunt crises evacuatoriae, mox idiostaticae, mox apostaticae, solitis periodis subortae, die utpote quinta, septima, nona, undecima, vel ad summum decima quarta, et quidem cum levamine vel prompto, vel gradario, repetitis explosionibus adducendo. — Inter evacuationes criticas idiostaticas anacatharsis, inter apotaticas diarrhoea, diuresis, et ephidrosis primum tenent locum. Quibus autem sub circumstantiis et modificationibus plus minusve solemnis levaminis causam sistere soleant, et qualibusnam dotibus gaudeant, oportet, ut criticae vocari possint, modo exponendum erit.

1477. Paucae vel nullae peripneumoniae, incomparabilis ait Huxham, sine libera et copiosa excreatione bene terminantur; haec enim est crisis istorum morborum naturalis, ut Hippocrates omnesque acutiores adnotaverunt medici. Distinguunt autem anacatharsin criticam sputa mucosa, homogenea, crassa, figurata, ex albo flavescentia, puriformia (cocta passim nominata), absque difficultate, morbo jam maturo, et cum solamine conspicuo ejecta, copiosa. Etiamsi striis sanguineis mixta forent, flavo-rubescentia (πτύελον ὑφαιμον Hipp.), critica esse possunt, et solent, dummodo sub eorum secessu morbus, unacum suis satellitibus decrescat. — Sputis beneficis opposita sunt sic dicta cruda, aquosa, vel viscida, albuminis adinstar ductilia, parca, cruenta, variegata, crocea, difficulter, et cum symptomatum exacerbatione secedentia, spumosa. Origo sputorum criticorum explicatur fomite lymphatico-plastico, quo turgidus et inflammatus scatuit pulmo, versus bronchialem superficiem urso, per specificam membranae mucosae organisationem in mucum converso, et per incitatam ejusdem actionem, superatis, quae in principio opponebantur, obstaculis, majori copia eructato.

1478. Ea sub rerum positione, ubi, propter mate-

riem admodum plasticam, vel infractam membranae bronchiorum facultatem assimilatricem, supra citata in mucum conversio fieri nequit, lymphaticus ille fomes suffuratus coit, ac in polyposa concrementa crystallisatur, formam ramorum bronchialium retinentia. His feliciter separatis, sanitas restitui omnino poterit; pertinaciter autem adhaerentibus, et non solvendis, suffocatio sub ipso actu critico succedit. En specimen criseos idiostaticae erroneae, non quoad locum secretionis factae, sed quoad qualitatem materiae secretae.

1479. Eodem tempore, quo turgidus pulmo abundantem fomitem plasticum per superficiem bronchialem uberiori anacatharsi eliminare nititur, etiam per alia emunctoria beneficae subnascuntur explosiones (crises apostaticae), quae ad febris comitis solutionem praeprimis concurrunt. Urinae videlicet secedunt copiosae, post mictum turbidae, hypostasin praecipitantes albidam vel roseam, homogeneam, furfuraceam et levem. Itidem sudores extricantur, subacidi, vaporosi, omnium primo in fronte conspicui, serius per totum corpus aequabiliter diffusi, cum aegri manifesto solatio.

1480. Peripneumoniae per diarrhoeam solutio, rarior esse solet, nisi colluvies gastrica in connubio fuerit. Aeque rara sunt profluvia sanguinis critica per nares, per uterum, per anum; atque levamen inde obtentum potius restitutae evacuationi habituali in acceptis referendum.

1481. Certissima signa, mox adlatas excretiones vere criticas fuisse, praebent: symptomatum, praesertim graviorum, decrementum plus minusve promptum, et reciproca functionis pulmonum oppressae, varioque titulo laesae in pristinum restitutio; compositae eodem tempore, quae per universum systema, maxime arteriosum excanduerunt, turbae.

1482. Pneumonitis symptomatica et sympathica, ac inter caeteras illa, quae ab organicis pulmonum metamorphosibus pendet, utut criticis penitus non destituatur moliminibus, haec tamen adeo languida manifestat, ut vel prorsus nullum, vel solummodo transitorium adpareat levamen. Quo gravior e contrario esse solet inflammatio,

maxime idiopathica, nullisque anomaliis a suo deflexa tramite (dummodo per causas traumaticas unitas partium soluta non fuerit), eo solemniores observantur conatus critici.

IN ALIOS MORBOS.

1483. Inter cuncta, quae inflammationi generatim competunt, consectaria, vix ullum existit, quod pneumonitidi alienum dici posset. Sub iisdem, quae phlogoseos majorem nisum in hanc illamve successionem determinare consuescunt, conditionibus, etiam pneumonitis pervicax, quae solvi recusat, varium petit exitum. Ad hujus diversitatem vero plurimum confert: diathesis subjecti aegrotantis, causa praegressa, epidemiae genius, inflammationis vehementia, anomaliae sub decursu evolutae, complicationes, prava medendi methodus, atque substrati adfecti ratio; aliter enim inflammatio parenchymatis, aliter illa membranae serosae terminatur.

1484. Posthumis organicis, ceu frequentioribus, accensenda sunt suppuratio, exulceratio, hypoclepsis, scleroma, et caries pulmonum. Inter dynamica congestionem simplicem, erethismo et chronica tussicula nuptam memorasse sufficit, quam peripneumoniae lentae sub nomine jam alibi indicavimus.

SUPPURATIO.

Triller, Programma de differentia vomicarum opertarum, et apertarum. Viteb. 1769.

Boehmer, Diss. de vomica pulmonum. Jen. 1781.

1485. Pulmones eminentem nisum in liquationem purulentam manifestant, quo eorundem textura cellulosa et vascularis, sanguinis recenter oxydati redundantia, atque incitationis arteriosae summa energia plurimum contribuunt. Inde quoque patet, cur phlegmone, quae in parenchymate sedem figit, saepius ac aliae phlogoses suppuratione terminari soleat, et cur e contrario pneumonitis rheumatica, ad serosum limitata pulmonis amiculum, vix unquam huncce exitum petat.

1486. Quae metum suppurationis in pulmonibus se-

quuturae incutiunt, signa sunt: prava thoracis architectura, habitus phthisicus; causae praegressae violentae non amovendae, vel quibus aeger repetitis vicibus exponitur; morbus gravis, erga generosam methodum antiphlogisticam rebellis, diebus criticis non solutus, in alterum cyclum septenarium porrectus. Primum suppurationis germen nunc tertio, nunc quinto, vel septimo, raro tardius, nunquam tamen ultra decimum quartum diem formari solet.

1487. Factam suppurationem indicant horripilationes recentes, morbo jam ad fastigium adulto, incrementum febris, calor mordax, sitis permagna, genarum rubor circumscriptus, ardor in volis manuum, sudores profusi non levantes, eorundem symptomatum omni vespera renovatio, pulmonum functio pertinaciter laesa, ac reliqua symptomata thoracica notabiliter exasperata, dyspnoea, anhelitus, anxietas, praecipue post pastum et motum, decubitus in alterutrum latus difficilis, pectoris oppressio, sensus plenitudinis et caloris intestini, tussis sicca et summe molesta, oedema in thorace et carpo lateris patientis, torpor brachii. Crescente puris secretione etiam reproductionis languor succedit, atque tunc phthiseos pulmonalis exordium habetur.

1488. Vomica pulmonum triplici plerumque modo terminari solet: I. Volumine in dies aucto, praesertim dum superiorem obsidet pulmonis partem, et rumpi cunctatur, angorem et dyspnoeam eum in modum auget, ut, sublato respirationis et circulationis munere, aegrum vel suffocet, vel apoplexia lethali e medio tollat.

1489. II. Vel maturum apostema, ruptis, aut corrosis parietibus, contentum liquorem purulentum bronchiis infundit, tussi repetita magisque intenta excernendum, — nisi admodum copiosa et repentina nascatur inundatio, dormientes quandoque improvise enecans aegros, — quod praesertim sub motibus corporis, screatu, vociferatione, risu, tussi, aliove nisu contingit. Faventibus subjecti constitutione bona, morbo recente et rite tractato, suppurationis indole plastica, ejusque minori extensione, pure utpote candido, denso, odoris experte, et striis sanguineis notato, rupta vomica quandoque consolidationem, salu-

tisque restitutionem admittit, quo et urinarum purulentum laticem e corpore educentium largior fluxus suam confert symbolam. Quod si vero his contraria contingant, si nempe thorax male conformatus, totus corporis habitus ad phthisicum inclinans, si phlogosis pulmonum recidiva, neglecta, gravissima, per majorem organi ambitum extensa, cum dyscrasiis complicata, si plures vomicae eodem tempore factae, si loco puris blandi liquor mucoso-saniosus, virescens, luridus, lividus et foetens effertur (liquatio saniosa pulmonum), si phaenomena respirationis laesae indies augentur, febrisque ardens pertinaciter continuat,— omnis sanationis spes evanescit; atque aeger, suborta tali pacto phthisi pulmonali, ad inevitabilem citius tardiusve progreditur metam.

1490. III. Vel tandem rupta pulmonum pyokystis contentum liquorem purulentum, vel saniosum in pectoris cavum eructat, atque continuante secretione morbosa illud, quod pleuram a pulmone separat, spatium implet; empyema, aptius pyothorax. Rarius in cavum mediastini, pericardii, vel plane in abdomen, corroso diaphragmate, similes fiunt effusiones. Quandoque fluctuans extrorsum inter duas costas prominet tumor, quo rupto, praeter pus, etiam aër inspiratus exire visus est. Sub simili rerum positione sanitas vix unquam restitui potest, quum adeo gravis pulmonis destructio pristinam integritatem recuperare vetat.

HYPOCLEPSIS.

1491. Sub gravissimae pneumonitidis decursu, praesertim dum critica evolvuntur molimina, obstaculo vero quodam invento si salubris intercipitur anacatharsis, repentina non raro in alterutrum, vel utrumque pectoris cavum nascitur humoris serosi, lymphatici, aut puriformis transudatio, et effusio.

1492. Diagnosis summe fatalis hujus exitus, cui etiam hydrothoracis acuti nomen tribuitur, desumi poterit: ex symptomatum, quae characterem febris inflammatorium, topicamque phlogosin constituebant, manifesta remissione, respirationis contra difficultate superstite, imo

aucta, thorace fere immobili, oppressione et anxietate maxima, sputis parcis, crudis, vel omni anacatharsi derepente suppressa, siti flagrante, urinis parcis, cute sicca, oedemate thoracis et brachii alterius utrius, ejusdemque torpore; ex pallore et leucophlegmatia universali, pulsibus facile inaequalibus, contractis, e crasi demum sanguinis emissi in contrarium tendente statum, crusta enim phlogistica minus tenax et densa, potius gelatinosa, placenta exigua, principii contra serosi abundantia observatur. Quandoque mirificam cordis et arteriarum pulsationem funestum huncce exitum derepente subortum comitari vidimus, praesertim si latex effusus puriformem induit qualitatem. In casibus dubiis etiam percussio thoracis, ad mentem Auenbruggeri instituta (1), vel exploratio ope Stethoscopii (2), diagnostica suppeditant adminicula.

(1) Auenbrugger, inventum novum ex percussione thoracis, ut signo, abstrusos interni pectoris morbos detegendi. Vindob. 1763.

(2) Laennee, sur l'auscultation mediate, ou traité de diagnostic des maladirs des poumons etc. Paris 1819. — Seconde Edit. 1826.

1493. Conditiones potiores, sub quibus pneumonitis in hypoclepsin nititur, sunt: inflammatio pulmonis gravissima, versus internam praesertim superficiem protensa, contemporanea pleurae passio (pleuro-pneumonitis); vires valde suppressae; conamina reactionis vitalis, quae definitis periodis concitantur, insufficientia, crises proinde imperfectae, praepeditae; existentes pleuram inter et pulmonem adhaesiones; sputorum suppressio, diatheseos sanguinis phlogisticae in hydropicam conversio; venaesectiones, sive ex necessitate, sive ex imperitia, nimis largae et repetitae; abusus nitri; constitutio aegri in hydropem prona; temperamentum phlegmaticum, textura organismi laxa, viscerum abdominalium stases.

1494. Quae derepente diebus criticis efficitur, colluvies serosa nil aliud, nisi crisin erroneam quoad locum et materiam constituit. Id confirmat inflammationis decrementum, fatalem huncce exitum sequi visum, atque pulmonum conditio in cadaveribus hac ratione defuncto-

rum invenienda; saepe saepius enim nulla inflammatorii processus praegressi indicia deprehenduntur, sed collapsus pulmo copioso innatat latici seroso. Phlogosis formatione producti recentis quasi exhauritur.

1495. Quandoque debitis sub auxiliis effusi liquoris resorptio, et sanitatis restitutio obtinetur, multo crebrius vero cita suffocatione perimuntur aegri. Praeter materiae pleuram inter et pulmonis velamentum collectae copiam, majus, minusve periculum etiam ab ejusdem qualitate pendet; serum enim simplex facilius resorbetur, quam puriforme, floccosum, et lymphaticum.

1496. Eadem ratione, qua pneumonitis favente humorum in liquationem hydropicam nisu transudationem serosam et hydrothoracem acutum invitat; ita continuante sanguinis coagulabilitate in hypoclepsin lymphatico-plasticam tendit, unde adhaesiones morbosae pulmonum cum pleura contigua, et pseudomembranae originem suam trahunt.

1497. Concretiones nunc partiales, nunc magis extensae esse solent, ita quidem, ut nonnunquam pulmone parietibus thoracis undiquaque pertinaciter adhaerente, omne aboleatur spatium intermedium. Superficies pulmonis autem mox immediate adglutinatur pleurae, mox mediante membrana recenter producta nectitur, cujus denuo varia esse consuescit extensio, crassities, et cohaesio. Quandoque totus pulmo novo veluti amiculo cinctus parietibusque internis pectoris undique adhaerens invenitur in cadaveribus gravissima pneumonitide peremptorum, quo in casu atrocissimi dolores pleuritici praecedere solent. Ad ejusmodi posthumi genesin utriusque superficiei sibi invicem nexae inflammationem necessariam fuisse, jam alibi (§. 891) notavimus.

1498. Symphysis pulmonis cum pleura certis signis quidem determinari nequit; suspicari tamen eam majori cum probabilitate licet: si dolor urget fixus, aut sensus tensionis, et distractionis, sub minimo motu, orgasmo sanguinis incitato, corporis certa inclinatione increbescens; si tussicula molestat sicca, comite dyspnoea chronica; si

plenaria pectoris expansio praepeditur, atque perennis in organis spiritalibus fovetur propensio ad recidivam.

1499. Quemadmodum sub decursu peripneumoniae pervicacis et anomalae maximus, qui ab initio viget, plasticitatis gradus nonnisi pedetentim in hydropicam diathesin mutatur, atque crises erroneae aeque, ac salutares plerumque intercisis contingunt vicibus; ita quoque obtinet ejusdem pneumonitidis in duplicis generis hypoclepsin transitus, unde in cadaveribus productum transudationis plasticae (pseudomembranae), illudque secretionis serosae (hydrothorax) promiscue deprehenduntur.

SCLEROMA.

1500. Opitulante excessiva sanguinis coagulabilitate, principiique plastici abundantia, pulmones inflammati quandoque obdurescunt. Lympha utpote plastica e finibus arteriolarum egrediens in vasorum interstitiis colligitur, crystallisatur, ac ad organisationis perfectionem evehitur, unde substantia pulmonalis varium cohaesionis, tenacitatis et duritiei gradum adipiscitur.

1501. Quando haec metamorphosis organica per integrum pulmonem vel per majorem duntaxat plagam extenditur; in gradu leniori infarctus, in altiori hepatisationis nomine insignitur,' quod Laelius a Fonte primus introduxisse videtur (1). Plerumque simul massa organi quantitative aucta esse solet, parectama, ita quidem, ut pulmone volumen normali haud raro duplo majus adquirente, thoracis collapsus prorsus impossibilis reddatur, inque defunctorum pulmonibus exemtis costarum impressiones animadvertantur. Rarissime moles visceris indurati imminuta et quasi corrugata invenitur (2).

(1) Morgagni de sedibus et causis morborum. Epist. XXI. Art. 28.

(2) Portal, Cours d'anat. medic. V. p. 30.

1502. Alias indurationes, ceu phlogoseos praesertim chronicae posthumum, nonnisi ad glandulas bronchiales, vel plexus pulmonum lymphaticos limitatas videmus, sub forma nodorum vel tuberculorum, ad quorum genesin diathesis scrofulosa, vel ei summe analoga, per emi-

nentiam tuberculosa dicenda, plurimum confert. Quin imo haec sola tuberculis producendis saepenumero sufficit, quibus phlogosis secundario tantum accedit modo; pari enim tempore quo pulmones tuberculis scatent, alia quoque organa, maxime abdominalia, ejusdem cacoplasmatis vestigia offerunt.

1503. Scleroma pulmonum totale, praesertim ad hepatisationis gradum exaltatum, et parectamate junctum certis signis dignosci vix potest, nisi ex inflammatione imperfecte resoluta, ex defectu symptomatum aliam successionem indicantium, ex dyspnoea et immobilitate thoracis continuo dilatati, ac ulterius dilatari fere nequeuntis ad ejus praesentiam concludere fas sit.

1504. Scleromata partialia seu tubercula pulmonum indicare solent: febris et inflammationis decrementum, superstites dolores fugaces, punctorii per pectoris partem peculiarem, anxietas, ponderis sensus, respiratio decurtata, decubitus in alterutrum latus difficilis, tussis arida, aut qua mucus tenuis ejicitur, granulis quandoque solidioribus permixtus, febricula vaga cum pulsibus contractis, proclivitas in peripneumonias recurrentes, diathesis scrofulosa comes, vel alia systematis lymphatici labes, chronicis favens stasibus. Irritata, ac inflammata per vices tubercula in suppurationem abeunt, illamque tunc phthiseos pulmonalis formam constituunt, quam tuberculosam vocamus.

CARIES PULMONUM.

1505. Medium fere inter liquationem saniosam et scleroma locum tenet caries, seu exallaxis cariosa. (Germ. Mürbheit). Pulmo forinsecus contrectatus jecinoris offert consistentiam; incisus non edit illum crepitum, quem sani pulmonis parenchyma prodere solet, neque compressus aëris bullas extricat. Desideratur sueta organi elasticitas, cujus loco tanta cernitur friabilitas, ut substantia digito quaquaversum directo facile perforari, ac evulsae particulae intra digitos conteri possint. Color pulmonis cariosi variegatus est, cinereo-flavidus, vel fusco-viri-

descens, atris quandoque maculis pictus, ut quasi marmor effingat. Tota massa innumeris conflata videtur cellulis, sive cavernulis ichorosa pulte scatentibus, quarum nonnullae hinc inde confluunt, ac vomicas praebent eodem latice fusco-rubello, vel flavicante-cinereo, pultaceo, vel et granuloso refertas. Vasa sanguifera fere omnia obliterata adparent, quum incisum parenchyma nullum fundat cruorem. Haecce metamorphosis raro in ambobus invenitur pulmonibus; crebrius in uno, qui vel totus, vel in quibusdam tantum locis degenerationem illam subit.

1506. Efformatio cariei pulmonalis plerumque die quinta, aut septima ab exordio phlogoseos genitricis, sive phlegmonosae, sive catarrhalis contingit, nullisque aliis symptomatibus stipatur, quam quae exitum hepatisationis indicare consuescunt, comite sputorum purulenta et coenosa indole. Differt a scleromate per extinctam organi elasticitatem, manifestaque liquationis saniosae, quam parenchyma latice lymphatico farctum subit, indicia. Discrepat a communi suppuratione, quod haec immediate e processu inflammatorio scaturiat, deficiente parenchymatis sclerosi.

Franc. Hildenbrand Annales scholae clin. Ticinensis. Pars altera. pag. 9.

1507. Hactenus de potioribus posthumis a topica pulmonum inflammatione derivatis. — Sunt autem et aliae pneumonitidis successiones, quae a comite febre inflammatoria suam depromunt originem. Has inter recenseri merentur: transitus characteris inflammatorii in nervosum, vel septicum, quo quidem subjecti conditio, genius epidemicus, circumstantiae adversae, ac therapia prava plurimum conferunt; metastases demum, plus minusve funestae, sub inefficacibus moliminibus criticis, quibus abundans in massa humorum materies plastica, vel retenta alius generis in turgido pulmone elementa subigi et eliminari nequiverunt, obortae. Feliciori omine metastases in brachiis, cruribus, vel ad parotides nascuntur, praeviis tensione, calore et tumore, subsequae suppurationis prodromis. Magis ambiguo eventu depositio ad hypochondriorum viscera fieri consuevit, Hippocraticis observationibus evicta.

IN MORTEM.

1508. Maximam sine dubio inter omnes inflammationes, mortalitatis culpam gerunt peripneumoniae, sub quarum decursu lethum diversis e rationibus consequi novimus. Directo modo ferales fiunt, si omnis pulmonum functio supprimitur, phlogistico turgore ad summam vehementiam exaltato, mors suffocativa, quacum non raro apoplexia contemporanea jungitur. Huncce funestum exitum petit quoque simplex congestio pulmonum magno impetu oborta, haemormesis pulmonalis, quam interdum sine manifesto febris comitis vestigio post velocem cursum vel equitationem, vento inprimis adverso, derepente evolvi, ac intra unum alterumve diem jam, apoplexia veluti pulmonali, lethiferam vidimus.

1509. Minus frequentem mortis rationem praebet gangraena, quam ominari sinunt: altissimus phlogoseos rebellis gradus; symptomatum graviorum inopinata, ast dolosa declinatio; virium lapsus repentinus; pulsus tremuli, molles, exiles; anxietas maxima; stertor; extremorum frigus. Effectam gangraenam indicant debilitas paralytica; sopor; lingua arida; sitis inexplebilis; respirium stertens; sputa fusca, ichorosa, foetentia; sudores viscidi; facies hippocratica; carporum livor vel nigredo (chirothecarum adinstar), et cita mors. — Gangraenam ad majorem pulmonis ambitum extendi, ac in verum sphakelum converti vetat organi dignitas, ac ad vitam necessitas absoluta.

1510. Duas gangraenae species Laennec descripsit, diffusam utpote et circumscriptam, quarum utramque liquationis putridae in pulmonibus primitus obortae productum potius, quam phlogoseos progeniem esse defendit (1). Singulae tamen, quibus adsertum corroborare studet, observationes vix non ubique delitescentis inflammationis praesentiam patefaciunt. Hancce Laennecci sententiam, jam a Broussaisio explosam, clar. Naumann solidis refutavit argumentis (2).

(1) Laennec Traité de l'auscultation médiate. Tom. I. pag. 443.

(2) Naumann Handbuch der medicinischen Klinik. I. B. S. 120.

1511. Alias mortis rationes includunt supracitata inflammationis non resolutae consectaria; quibus vel repentine suffocantur aegri, uti hydrothorace acuto, vomica praegrandi, sideratione metastatica; vel mediante clade quadam lenta, phthisi pulmonali, atrophia, pedetentim ad stygias perducuntur aquas.

1512. Quid cadavera pneumonitide peremptorum extispici medico offerre possint, ex ejus vulgatioribus exitibus facile colligitur. Potiora vitia, ac visibiles metamorphoses sistunt: pulmonum moles aucta; infarctus; sanguinis atri redundantia; durities hepatica; texturae destructio, ejusque in massam friabilem, cariosam, porosam, hinc inde caseo, vel lardo similem, punctis suppuratis notatam degeneratio (exallaxis); vomicae magnitudinis diversae, pure blando, vel, quod saepius accidit, foetida et acri sanie refertae; quandoque integri pulmonum lobi graveolente putrilagine consumpti; effusiones seri, lymphae gelatinosae, liquoris puriformis, purulenti, vel ichorosi in pectoris cavo; tubercula; concretiones tenacissimae ad majorem, minoremve plagam extensae; pseudomembranae diversae crassitiei, tenaces, coriaceae, semicartilagineae, quandoque mire vasculosae, pulmonem ambientes, arcte stringentes, pleurae valide adnexae. — Inflammationis aeque ac ejus consectariorum vestigia in lobis inferioribus pulmonum crebrius quam in superioribus inveniri, Laennec aliique plures defendunt. Contrariam sententiam Petrus Frank tuetur.

1513. Recentiori aevo in Gallia plures extiterunt medicinae cultores, anatomen pathologicam pulmonum laudabili excolentes fervore, quos inter mentionem merentur Bricheteau, Lallemand, Broussais, Leminier, Andral et Laennec. Hicce ultimus, cujus industriae exactiores notiones circa metamorphoses morbosas pulmonum inflammatorum in acceptis referendas habemus, tres pneumonitidis, respectu anatomico, distinguit gradus; infarctus videlicet sanguinei (Engouement), hepatisationis et infiltrationis purulentae (1). — In primo gradu pulmonis substantia cernitur justo compactior et ponderosior, coloris lividi aut violacei, sub in-

cisione et compressione quidquam crepitans, insignemque dimittens partim cruoris, partim seri sanguinei et spumosi copiam. In secundo gradu textus pulmonis incisus et digitis compressus non crepitat amplius, atque consistentiam offert solidiorem, granulosam, parenchymati hepatis similem, coloris fusco-rubri, variegati. In tertio gradu pulmo eandem, ut supra, praebet consistentiam texturamque granulosam, colorem vero contrahit ex flavo cinerascentem, atque cultro incisus materiem fundit flavicantem, opacam, viscidam, fere inodoram, manifeste purulentam, substantia ipsa digitorum ope in pultem quasi unguinosam conterenda.

(1) Laennec Oper. cit. Tom. I. p. 395.

PROGNOSIS.

1514. Pneumonitidis in genere semper periculi plenas esse, facile concipitur ex organi nobilitate, cujus per pauca momenta intercepta functio vitam sufflaminat; ex eminente ejus teneritate; ex continuo cum injuriis externis conflictu, atque ex praevalente in organicas metamorphoses, plerumque irreparabiles, nisu.

1515. Momenta, quae principalem in praesagiendo exitu futuro respectum merentur, sunt: causae praegressae, genius epidemicus, subjecti constitutio, inflammationis vehementia, decursus ratio, anomaliae, conditio respirationis et sputorum, virium status, et febris comitis character simplex aut complicatus. — Prognosticae, quas posteritati tradidit divinus Hippocrates, regulae, in variis suis operibus sparsae, hodieque suum valorem practicum conservarunt.

1516. Funestum vel saltem ancipitem, caeteris paribus, exitum portendunt: (quoad subjectum) peripneumoniae in tenellis infantibus, in gravidis, puerperis, seniculis, in subjectis habitu phthisico, aut male configurato pectore praeditis, recurrentes phlogoses perpessis; (quoad causas) causae violentae, structuram organi laedentes, vel continuo in organismum influere pergentes; (quoad epidemiam) peripneumoniae aestivae, vel acer-

rimae brumae soboles, cum contagiosis incidentes morbis; (quoad vehementiam et decursum) pneumonitis gravissima, versus efficacem medendi methodum rebellis, ultra septimum protracta diem, intento per vices organismi virium molimine non fracta, febri minus intensa, quam topicae phlogoseos gradus deposceret, comitata, lenta; (quoad anomalias) peripneumonia complicata, nervosa, et septica.

1517. Ominosum, habito respirationis et sputorum respectu, eventum hariolari sinunt: peripneumonia sicca, cum pulmonis pleni fervore strepente, cum respirii munere adeo intercepto, ut supini, vel corpore erecto, thorace immobili, solo ferme diaphragmate et musculis abdominalibus animam miserrime reciprocare cogantur aegri (orthopnoea); respiratio decurtata et brevis, ad quemvis secundum vel tertium arteriae ictum renovari coacta; peripneumonia cum sputis derepente arescentibus, vel parcis, croceis, cruentis, lateritiis, spumosis, difficulter et absque solamine ejectis; cum haemorrhagia effraeni, vel cum sputis fuscis, atris, coenosis, luridis, dissolutis, foetentibus, aeruginosis. Itidem mali augurii esse solet pneumonia cum animi deliquiis, frigore et livore extremitatum, urinis continuo turbidis et lutosis, vel crudis et limpidis, cum carpis manuum tumidis, et livescentibus, pulsibus velocissimis, mollibus, intermittentibus.

Kletten Pr. de signis in peripneumonia quammaxime funestis et lethalibus. Viteb. 1807.

1518. Insigne tandem adhuc periculum includunt cunctae pneumonitidis anomaliae, et complicationes cum charactere bilioso, nervoso, cum exanthemate quodam contagioso: morbillo, scarlatina, purpura typhosa; contemporanea inflammatio tracheae, pleurae, mediastini, cordis, diaphragmatis, hepatis. Omnium pessima est pneumonitis, quae utrumque in omni ambitu prehendit pulmonem; quae in putridum, praeceps quasi acta, ruit charactcrem; quae in principio negligitur, aut prava methodo exasperatur.

1519. Peripneumoniae sub contrariis decurrentes conditionibus, laetiorem quidem admittunt prognosin, certum

tamen exitum praedicere eousque vetant, donec maturescente morbo salubrium simul conaminum effectus pateant.

THERAPIA.

IN DECURSU REGULARI.

1520. Praeter generales, quae curam inflammationum dirigunt, regulas, pneumonitis speciales quasdam in medendi opere deposcit cautelas, quae praesertim organon adfectum, et insigne, quod ab ejus dignitate pendet, discrimen respiciunt.

1521. Curae directae, quae causam efficientem amovere studet, nonnisi raro conceditur locus; atque etiamsi nota fuisset inimica, quae morbum induxit, potentia, eam amovisse non sufficit, cum effectus secundarii vix non semper persistant, therapiae indirectae rationalis necessitatem expetentes.

1522. Princeps omni intuitu, nulloque alio supplendum subsidium in pneumonitide acuta sistit venaesectio, veluti sacra anchora ab omnibus unanimi consensu propugnata practicis. Ejus tanta, adeoque prompta in peripneumoniis esse solet efficacia, ut fluente adhuc sanguine aegri se mirifice sublevatos sentiant; cujus quidem ratio inde facile liquet, quod turgor sanguineus in vasis majoris diametri, et circulationis fonti proximis obtineat, unde quaevis e venis amplioribus detractio, immediatam fere ac celerem pulmonum depletionem facit.

1523. Sanguis igitur amplo ex vulnere venae cujusdam brachialis ad largam dosin, nunquam tamen ad leipothymiam usque educatur. Quo magis suppressae fuerint vires, eo magis beneficae evadunt emissiones lautae, quas vero singulas libram excedere non suademus; etiamsi, ex opposito, detractiones octo unciarum quantitate minores nullius in morbi vigore utilitatis esse, abunde compertum habeamus, nisi aetas tenera, vel gracilis corporis constitutio similem jubeat moderationem.

1524. Numerus venaesectionum morbi vehementiae, et pertinaciae, plethorae gradui, genio epidemico, ac aegrotantis conditioni individuali respondeat, oportet. Quo

magis phlogisticam sanguis offerre continuat crasin, urgentibus respirationis admodum laesae symptomatibus, eo audacius repeti poterit. Nihilominus tamen intra nychthemeri spatium venam plus, quam ter, secare vix licebit, relicta inter unam, alteramve emissionem plurium horarum intercapedine, ut sanguinis massa ad aequilibrium componi queat. Summe beneficas semper vidimus venaesectiones illas, quae sub ingressu exacerbationis vespertinae instituuntur.

1525. Numerus totalis venaesectionum in decursu peripneumoniae gravis instituendarum, nulli prorsus regulae est subjectus; inflammationes enim pulmonum gravissimas, pro circumstantiarum concurrentium varietate, paucioribus, ac minus graves, obedire vidimus phlebotomiis. Quousque continuans diathesis phlogistica, orgasmus, pulsuum vigor vel suppressa reactio, eminens in pulmonibus turgor, et ominosa, quae inde pendet, respirationis laesio detractionem sanguinis postulat, viriumque exorbitantium, vel suppressarum status eam permittit, eousque etiam venaesectiones debitis cautelis repetendae. Sub ejusmodi rerum positione, neque complicationes, neque graviditas, neque menstruorum, lochiorumve fluxus, neque morbi aetas venaesectionis usui opponuntur. Ipsum Hippocratem, Anaxioni die octava morbi sanguinem cum emolumento detraxisse, novimus (1). Quamprimum vero phlogistica sanguinis educti crasis fracta cernitur, viriumque languor minitatur, ulteriori venaesectionum repetitione cautissime mercandum, etiamsi topica eam postulare videretur adfectio.

(1) Epidemior. Lib. III.

1526. Quae morbi initio, et praesertim e venis brachialibus lateris adfecti instituebantur phlebotomiae, majus levamen adferre visae sunt. Si de reiteranda agitur emissione, praeplacet recens potius infligere vulnus, quam prius jam inflictum denuo reserare. Caeterum relate ad usum venaesectionum omnia illa in mentem sunt revocanda, quae alibi exposita fuerunt (Pyret. gen. §. 556—562. et Pyr. spec. §. 643—656.), ac plurimum prudentiae medici committendum. Monuisse sat est, phlogisticam san-

guinis crasin, crustaeque pleuriticae conditionem per se spectatam, plerumque infidelem et dolosum sistere venaesectionis repetendae indicem; quandoque enim, monente eximio Petro Frankio, tertia vel quarta venaesectione detractus cruor, densum ac tenacissimum obtulit corium, qui sub initio vix ullum patefecit dyscrasiae inflammatoriae indicium; porro ipsa corii formatio ab accidentalibus nunc promoveri, nunc praepediri potest influxibus; tandem in quibusdam casibus, etsi usque ad mortem secetur, vena, semper crassum et tenacem profundit cruorem.

Berends, Diss. de recto venaesectionis in pneumonicis affectionibus usu. Francof. 1816.

1527. Ab hirudinibus pectori adplicitis in solvenda peripneumonia, nisi simul pertinax pleurodynia juncta foret, nullum prorsus emolumentum sperare licet; deficit enim immediata inter vasa thoracis externa, illaque pulmonum communio. Similiter incongruam essa censemus pectus scarificandi praxin, quousque altior viget phlogoseos gradus.

1528. Reliquas indicationis antiphlogisticae paginas absolvunt remedia eccoprotica, uti Manna, Tamarindus, sales medii mitiores, oleosa, clysteres aperientes; emollientia et refrigerantia, uti decocta Althaeae, Hordei, infusa florum Verbasci, Malvae, Papaveris Rhoeados, emulsiones Amygdalarum, acida vegetabilia diluta, Oxymel etc.; solventia, inter quae Nitrum, et Calomel principem locum tenent. Posterioris usus tunc praesertim vindicatur, ubi excessiva sanguinis plasticitas exitum inflammationis in scleroma vel hypoclepsin lymphaticam minatur.

Fabius Diss. exhibens observationes aliquot circa usum mercurii dulcis opio juncti in morbis pectoris inflammatoriis. Gruning. 1828.

1529. Magni denique momenti remedium in peripneumoniis praebet Digitalis purpurea; cujus tamen usus maximam requirit circumspectionem. Nemo inficias ibit hancce plantam narcoticam, aliarum ejusdem furfuris substantiarum instar, reactiones vitales, et praeprimis ar-

teriosas directe infringere, tali pacto conflictum nimis acrem inter sanguinem et parietes vasorum moderare, ac proinde in morbis inflammatoriis adprime indicatum esse medicamentum, et quidem tanto magis, quo vicinior fonti circulationis fuerit irritatio morbosa. — Si vero ex altera parte perpendimus, essentiam inflammationis nequaquam in solo irritabilitatis excessu consistere, sed, quod majoris sane momenti est, sanguinis quantitatem majorem (polyaemiam), ejusque qualitatem alteratam (dyscrasiam phlogisticam) peccare, ad utriusque hujus abnormitatis originem vero specifice alteratum, ac justo magis incitatum productionis organicae, in specie haematopoëseos munus concurrere; — si haec, inquam, omnia perpendimus, etiam sponte sua liquet, Digitalem solam omnibus indicationis vitalis paginis nullatenus satisfacere, aliorumque antiphlogisticorum, maxime vero emissionis sanguinis vices nunquam subrogare posse. — Insuper accedit Digitalem, ceu substantiam principio narcotico-acri, viroso et venenato scatentem, naturae animali summopere heterogeneam et inimicam esse, atque eapropter adsimilari nequire, quin insolitae turbae et reactiones, saltem in principio, suscitentur.

1530. Quare in primis stadiis pneumonitidis aeque, ac omnis alius inflammationis a Digitali non minus, quam ab aliis narcoticis, Lauroceraso, Stramonio, Belladonna sedulo abstinendum esse, juniores praesertim medicos amice adhortamur, ne augmentare juvent numerum tot infelicium victimarum, quas fanatici quidam sectatores, indigestae hucdum theoriae blandimentis obcoecati, Letheis undis commississe non erubescunt. — Ubi vero pluribus venaesectionibus praemissis optatum sequi cunctatur solamen, ubi vehemens et pertinax arteriarum vibratio acriorem in illis turbam indicat, ubi virium labi incipientium metus ulteriores sanguinis missiones suspendi, vel saltem moderari jubet, ubi denique morbo adulto, et fracta derepente diathesi phlogistica, serosum abundare incipit principium, atque crescens respirii laesio sub declinante phlogoseos vigore, una cum leucophlegmaticae inflationis signis hypoclepseos et hydrothoracis imminentis suspicio-

nem indicant; ibi omnino Digitalis purpurea adaequatum offert subsidium.

1531. Doses hujus remedii semper majores requiruntur; alias benefica, quam circulum retardando exerit, actio vel non obtinetur, vel nimis sero inducitur. Qui parcis ludunt dosibus, nunquam salutares experientur effectus; ideo autem nimis audaces esse debere medicos, praecipue juniores, nondum consequitur. Praeplacet forma infusi aquosi, ex drachma dimidia vel integra ad colaturam unciarum sex parati, cujus omni bihorio unum, vel duo propinentur cochlearia. Subjecti tamen, praesertim ejus idiosyncrasiae et sensibilitatis maximus habeatur respectus, ne incaute porrecto remedio praecox vomitus, vel caligines funestae excitentnr, ulteriorem necessario intercipientes usum. Quamprimum vero prima comparent indicia actionis Digitalis, prudenti adplicatione et gradario doseos augmento versus systema arteriosum ita directa, ut alia evitentur tumultuarii usus phaenomena, in enkephalo, vel in ventriculo obvia, (quod quidem ex pulsu irregulari et retardato colligitur); — tunc etiam in dosi medicaminis pedetentim recedendum, aut majoribus circuitibus interpolandum. Beneficas et specificas Digitalis purpureae dotes aliis narcoticis suppleri posse non credimus, ac ideo etiam amplexam a quibusdam methodum, pneumonitides acido hydrokyanico et Lauroceraso tractandi, rationali medicinae haud prorsus congruam esse opinamur; narcotica enim illa, etsi erethismum nervosum compescere juvent, in arteriosa tamen irritabilitate domanda vix ullam efficaciam ostendunt. Quod ratio a priori suadet, experientia abunde corroboravit.

1532. Virtutes medicatas Tartari emetici, quem ante plures jam annos Rasori (1) ejusque adseclae in pneumonitide tam acuta quam chronica manu subministrarunt generosa, novis iteram encomiis extulit Peschier, Professor Genevensis (2). Intra nychthemerum 6, 12, 15 grana Tartari stibiati e potione quadam aperitiva porrigenda suadet, indeque rarissime solum emesin citam fuisse adfirmat. Hancce medendi methodum imitati sunt Wolff, Albers, Wormes, Tortual, Wiedemann, Laen-

nec, Delagarde, Danvin, aliique plures, partim majoribus, partim refractis dosibus usi, quibus solis (sanguini prorsus parcendo) graves peripneumonias sustulisse gloriantur. Alii ex adverso, quos inter Elvert, Nasse, Bambach, Gremmler, Brosius et Sibergundi(3), exaggeratas illas laudes modestis circumscribunt limitibus, nec unquam sanguinis detractiones negligendas esse praecipiunt.

(1) Ueber die entzündliche Peripneumonie und ihre Behandlung mit Brechweinstein von Rasori. (In der Med. chirurg. Zeitung. 1814. I. 393.)

(2) Hufeland's Journal d. prakt. Heilk. 1822. Oktob. II.

(3) Sibergundi die Verschiedenheit zwischen Pneumonia und Pleuritis acuta etc. (In Harless Rheinisch. Jahrbüch. 1825. IX B. 3 St. S. 47 — 127).

1533. Licet cunctis aegris gravi pneumonitide adfectis eximia medicamentorum acrium tolerantia communis esse soleat, unde etiam majores Tartari emetici doses perferuntur, quin vomitum cieant, protractumque sub nausea continua usum notabilis energiae vitalis languor sequatur; nihilo tamen minus jam ideo deprimentem hujus pharmaci actionem defendere velle, erronea foret sententia. Quamobrem in acuta et simplici pulmonum phlogosi, — quae plerumque eo tutius curatur, quo simplicior fuerit medicina, solis circumscripta adminiculis strenue antiphlogisticis — ab usu Tartari stibiati libenter abstinemus. Si tamen in casibus peripneumoniae anomalae, chronicae, nothae, vel gastricae ejus virtutem experiri luberet, id nunquam fiat, nisi prius phlogoseos impetus phlebotomiis aliisque praesidiis sedantibus fractus fuerit. Emolumentum vero, quod ipsimet sub ejusmodi rerum statu saepe experti sumus, ex antagonistica, quam stimulus emeticus in ventriculi membranis efficit, reactione, e specifica metasyncrisi, blandaque promotione anacatharseos et sudorum, potius quam e viribus directe deprimentibus, sive contrastimulantibus, ut ajunt, adamussim intelligimus.

1534. Topicorum remediorum usum pneumonitis non admittit, organi reconditi, ac solidis parietibus inclusi causa, nisi excipiamus vapores emollientes ex spongia

calido et mucilaginoso liquore imbuta, vel ex machina Mudgiana saepius de die absorptos, quorum, ceu fomenti interni, insignis, in respiratione sublevanda, tussique lenienda, esse solet efficacia. Fomenta et cataplasmata pertinax solum pleurodynia comes petit.

1535. Eodem tempore, quo remediis internis et externis febriles motus temperare, atque topicam pulmonum congestionem reserare adnitimur, praemissis praesertim sine levamine venaesectionibus, necesse est, ut vicariae excitentur et sustineantur reactiones mediantibus sinapismis, aliisve epispasticis, quae dorso pedum, suris, vel brachiis adponi solent.

1536. Cum omnibus hisce remediis, rationalem indicationem explentibus, in eundem scopum collimare debebit regimen diaeteticum probe selectum. — Maximam sane adtentionem exigit atmosphaerae, ceu stimuli pulmonem immediate lambentis, moderamen. Aër esto moderate calidus, aequabilis, subhumidus, purus quidem, et irritantibus principiis, uti fumo, vaporibus sulfureis expers, nequaquam tamen justo majori oxygenis copia dives; unde nimis solers ventilatio prudenter vitanda. — Cibus requiritur nullus, vel parcissimus; quare jura tenuia et panatellae sufficiunt, ut saltem ventriculi incitatio sustineatur. — Potus subministretur copiosus, partitis captus vicibus, tepidus, mucilaginosus, acidulus. — Corporis motus, jactatio irrequieta, et sermocinatio interdicenda. Tussis, per quantum fieri potest, ab aegro retinenda, vel saltem nixus impetuosi coërcendi et moderandi; profundior contra inspiratio aërisque retentio (κατάληψις του πνεύματος) crebrius tentanda, ut, pulmonibus inde magis explanatis, circulus sanguinis liberior promoveatur (1).

(1) Ph. G. Hensler, über die heilsame Beförderung der Bewegung im Innern, durch Hochathmen etc. (Vide Hufeland's Journal. VIII. B. 3. St.)

1537. Praeter curam vitalem, omnibus hucusque enumeratis adminiculis explendam, cujus pro singulorum casuum varietate modificatio medentis prudentiae comitti debet, particularem adhuc adtentionem meretur quorun-

dam symptomatum, maxime vero tussis violentae, et anacatharseos moderamen.

1538. Tussis ferox et continua non solum nocturnam perturbat quietem, sed etiam respirii molestias notabiliter auget impetuosis totius corporis concussionibus; quare aptis, per quantum fieri licet, remediis componenda, bechicorum nomine notis. Est autem eorundem actio summe relativa; quot enim in praxi existunt tussis fontes et causae, tot etiam diversa esse debebunt antidota. Quae igitur molestam, vigente processu phlogistico in pulmonibus, tussim complacare valebunt, remedia alia esse nequeunt, quam antiphlogistica, quae inter tamen mucilaginosa et saccharina eminent; inde decoctum radicis Salep, linctus demulcentes, e mucilagine Gummi arabici et syrupo quodam conflati, taleolae et pasta de Althaea, Liquiritia, Mel despumatum, gelatinae animales vulgatissimis accensentur bechicis. Conatuum denique ad tussim moderamen plurimum juvat.

1539. Quatenus sputa communissimam ac summe beneficam sistunt excretionem, qua toties critica obtinetur pneumonitidis resolutio; eatenus etiam in cura maximum postulant respectum. Hinc si sub decursu peripneumoniae, eave ad summum culmen evecta, tussis continuat sicca, vel secedentia in principio sputa derepente supprimuntur, salutaris hujus secretionis promotio inter principales sanitatis facilius restituendae conditiones pertinet. — Quod vero de relativis bechicorum virtutibus mox antea retulimus, aequa ratione de remediis expectorantibus, sive apophlegmatizontibus valet, de quorum actione absoluta nimis limitata a quibusdam medicis habebatur opinio. — Quousque altior phlogoseos in pulmonibus gradus anacatharseos parcae, vel prorsus interceptae causam sistit; melius expectorans non habetur, quam venaesectio, praesertim in connubio cum aptis remediis internis, nitro, mucilaginosis, saccharinis, vaporibus emollientibus. Nocebunt in hocce casu quaevis irritantia, antimonialia, squillitica. Cum vero morbus magis provectus, atque praemissis venaesectionibus largis et multis certus quidam languor in processu vitali, et praesertim in vasis

capillaribus organi adfecti diutius obrutis adparet, unde beneficus, quem sputorum secessus praebet, salutis fons arescit, vel nimis tenax mucus, e bronchiis separari et ejici nequit, tunc omnino mucilaginosis leniter irritantia, uti est Antimonium, Squilla, Polygala, Senega, Gummi ammoniacum, copulare oportebit. Vesicantia, praesertim pectori imposita, priorum efficaciam plurimum acuere juvant, dummodo inflammationis ferocia maximam partem fracta sit.

1540. Reliquorum symptomatum tam molestorum, quam criticorum tractamen generalibus innititur curae symptomaticae canonibus (Pyret. gen. §. 681 etc.), habito solum characteris praedominantis, et organi adfecti respectu. Quatenus evacuationes criticae in febribus solius naturae medicatricis opus sistunt; eatenus quidquid boni medicus praestare vult, in virium libertate restituenda, nimia exorbitantia compescenda, atque colatoriis aperiendis consistere debebit. Efficacissimas crises praebent anacatharsis et ephidrosis; quare sputorum secretio expedienda et sudores blande movendi, quem in finem decocta mucilaginosa cum Oxymelle, tepide sorbillata, optime conveniunt. Si propter auctum sub critica perturbatione turgorem venaesectione opus esset, parca nonnisi extrahatur sanguinis copia.

1541. A stimulantibus omnis generis, acribus, et opiatis sub decursu pneumonitidis acutae regulari sedulo cavendum; vitalem enim incitationem adaugendo, morbum necessario exasperare, nisum in organicas metamorphoses promovere, simulque crises praepedire debent.

1542. Fracta debitis remediis, ac morbi gradui adaequatis pneumonitis, sub continuato antiphlogisticorum leniorum usu, coadjuvantibus moliminibus virium vitalium, non solum ad decrementum perducitur, verum etiam in laetam transit convalescentiam, neque opus est aliorum pharmacorum in declinatione opes implorare, dummodo nullae intercedant anomaliae. Residuus in quibusdam aegris pulmonum erethismus pervicaci tussi junctus opiatis, et pulveribus Doweri vesperi propinatis plerumque facile cedit.

THERAPIA.

IN DECURSU ANOMALO.

1543. Non semper peripneumoniae adeo regularem observant decursum, ut simplici obediant medelae antiphlogisticae; nunc enim vires diutius suppressae in languorem conjiciuntur, unde conamina critica irrita, turgor pulmonum contumax, et suffocationis periculum; nunc morbus per omne iter regulari excurrens modo, sub actu critico rebellis evadit; nunc variis complicationibus inquinatur. Pro varietate anomaliarum, quarum quinque potiores supra exposuimus, diversimode modificanda erit ipsa medendi ratio.

1544. Peripneumonia chronica quidem acutae adinstar antiphlogistice tractanda erit; venaesectionibus tamen caute mercandum, ne vires vitales in suo frangantur vigore. Ubi cachectica quaedam labes, vel organicum pulmonis vitium pneumonitidem fovet, illa requiruntur medicamina, quae reproductionis munus in toto, vel in parte alteratum emendare valent. In connubio igitur cum decoctis mucilaginosis, pectoralibus, sero lactis, emulsis oleosis, nunc nutrientia, nunc tonica, resolventia, vel etiam narcotica exhibenda.

1545. Eminentem laudem in reserandis diuturnis pulmonum stasibus, comite praesertim diathesi scrofulosa, degeneratione tuberculosa, erethismo, tussi pervicaci, et excreandi impotentia, sibi promeruerunt: caules Dulcamarae, Kermes minerale mercurio dulci, vel Digitali nuptum, radix Polygalae amarae et Senegae, aquae soteriae, paregorica per vices porrecta, vesicantia diutius irritata, ulcera artificialia. Increscente virium languore, solidorumque atonia conveniunt amaricantia: Lichen islandicus, Quassia, Gummi ammoniacum, Asa foetida, martialia, decoctum Chinae cum lacte, ciocolatae medicatae. — Regimen diaeteticum simul ita directum sit, oportet, ut omnes evitentur stimuli pulmonem excitare valentes, uti potus spirituosi, victus nimis lautus, atmosphaera corrupta, irritans, venti asperi, exercitia corporis et organorum spirita-

lium immodica, uti cursus, equitatio, vociferatio, cantus. Rusticatio, et usus lactis recenter mulsi egregie conducunt.

1546. Peripneumonia notha, quam contemporanea status pituitosi praesentia distinguit, vix non iisdem, ac lenta, regulis curanda venit. Princeps medelae scopus in eo versatur, ut justo uberior pituitae secretio infringatur, ejus qualitas tenax corrigatur, atque ejectio per sputa facilitetur, ut praedominans compagis solidae atonia emendetur, talique pacto omnes illae tollantur conditiones, quae anomalam sustinent pneumonitidem, evitando prae aliis irritamenta quaevis pulmonibus inimica. E foro pharmaceutico indicata sunt: caules Dulcamarae, praeparata Stibii, Lichen islandicus, radix Polygalae et Enulae, pulveres Doweri, Squilla, gummiferulacea, spiritus salis ammoniaci aquosus et anisatus, flores Benzoës; itidem vesicantia ad pectus, cucurbitulae, vapores cum aceto, quandoque emetica.

1547. Peripneumonia biliosa, quae nimirum ex fomite felleo, pulmones per consensum irritante, originem trahit, ejus evacuationem ante omnia exposcit, quam per emeticum, vel catharticum efficere nitimur, prouti saburram sursum, vel deorsum turgere videmus. Ante vero quam emetici decernitur usus, semper venaesectio praemittenda erit, ut minor reddatur sub nixu ad vomitum versus pulmones turgescentia. Reliquam curationis paginam absolvunt remedia aperientia, acidula, salina, eccoprotica, clysterés evacuantes, diaeta adaequata. Si gastrica nota feliciter abstersa, simplex continuat pneumonitis, antiphlogistico tractamine prosequenda.

Romain Essai sur la maniére de traiter les péripneumonies bilieuses. Metz. 1774.

1548. Longe frequentiorem anomaliam patitur peripneumonia ex parte virium vitalium, sub decursu labentium, nervosa dicta. Accidit nempe, reactiones vitales per universum organismum, praesertim post iteratas, largasque venaesectiones, vel sub potentiarum valide deprimentium concursu pedetentim infringi, quin tamen incitationis in pulmonibus adauctae saevities decrescat; imo ea ratione, qua debilitas universalis progreditur, respirii

difficultas cum anxietate et tussi molestissima intendi videtur.

1549. Hac sub rerum positione plerumque arduum esse solet consilium; illis enim, quae labentes vires erigere juvarent, remediis, topicus turgor pulmonum necessario adhuc major incenditur; eis contra adminiculis, quae phlogosi locali medentur, virium ominosus lapsus nequaquam corrigitur. Quare diagonalem quandam quaerere oportet, quae utrique statui urgenti, prospicere possit, atque hanc unice methodus antagonistica, sive revellens suppeditat. Epispaticorum, et praesertim vesicantium divinas opes, vix ullo alio supplendas remedio, multiplici confirmatas habuimus experientia. Praemissis duobus vesicantibus ad suras, post aliquot horas tertium pectori immediate imponatur; et si eorum post nychthemerum infructuosa pateat usurpatio, alia duo brachiis, vel et sextum inter scapulas cum emolumento adhibentur. Dum relictae plagae exiguum reactionis gradum manifestant, ope pulveris Sabinae, vel unguenti cum principio efficaci Mezerei aut Cantharidum confecti lautus fluxus sustinendus. Unicum, quod ex hacce medendi ratione summe benefica, etsi primo intuitu crudeli, proficiscitur incommodum, est convalescentia aliquantulum lenta, quam tamen curare non licet, ubi de salvanda vita agitur. Diligens emulsionum usus acres Cantharidum vires mitigare juvat.

1550. Modus, quo antagonistica cura funestam hancce anomaliam debellat, e generalibus therapeutikes regulis concipitur. Nervis enim superficiei cutaneae potenter exstimulatis, reactiones incitationis universalis intendit, humores aliorsum invitat, producto irritamento in remotis locis, pulmonum turgorem minuit juxta leges antitheseos in organismo vivo continuo vigentes, transpirationem promovet, spasmos solvit, talique ratione criticas operationes adjuvat. Contemporaneus antimonialium usus, sputorum secretionem promovendo, vesicantium virtutes mirum in modum acuit.

1551. Quemadmodum sub initio debilitatis spuriae in veram nitentis, una cum externo Cantharidum usu, ve-

naesectiones parcae, praesertim exacerbationis vespertinae tempore, cum emolumento institui solent; ita evoluto magis virium languore ad leniter excitantia transire oportet, ab ulteriori abstinendo sanguinis detractione. Seligimus tamen tales substantias, quibus nervorum acuitur incitatio, quin arteriosae reactiones incendantur, atque circulus sanguinis acceleretur. Eminent hoc intuitu substantiae fragrantes, quae per poros inorganicos, ut ajunt, lucis et caloris instar penetrant; prae aliis Camphora, Moschus, et Ammonia pura, ad pauca grana in die, et quidem dosibus semper refractis, forma aurae, in connubio cum decoctis mucilaginosis, vel emulsis nitrosis exhibita.

1552. Urgentibus sub decursu peripneumoniae nervosae aliis quoque symptomatibus, quae peculiarem postulant respectum, uti esset tussis ferox, anacatharsis suppressa, pervigilium, circuli velocitas excessiva, hydrothoracis acuti praeludia, ipsa indicata diversimode modificanda et combinanda erunt; nunc antimonialia, praesertim Kermes, nunc mercurialia in connubio cum Digitali, Opio, Camphora, Moscho, et vesicantibus; inter pharmaca composita notabilem valorem sibi vindicarunt pulveres Plumeri, Hamiltoni, et Doweri. — Quo magis demum nervosa evolvitur debilitas, eo evidentius quoque fatiscunt phaenomena phlogoseos topicae, atque tunc omnia ea, quae in capite de febribus nervosis indicaturi sumus, adhibenda veniunt.

1553. Funestissimam tandem anomaliam constituit peripneumonia septica, sive maligna, quae illico ad efficacissima arma clamare jubet, ut virium resolutio, ac massae organicae liquatio praecaveatur, omni intuitu exitialis. Recedendo ab antiphlogisticis generosis, praesertim a phlebotomiis, a purgantibus et nitro, solis mucilaginosis superstitem pulmonum irritationem compescere, tussim lenire, et expectorationem expedire studemus. Scopo vires labentes erigendi, atque infractam oxysin promovendi, omnis generis stimulantia et roborantia requiruntur, uti Camphora, acida mineralia, vel acetum concentratum e blando quodam decocto, cortex peruvianus, radix Serpentariae, naphthae, spiritus salis ammoniaci oleosus; ex-

terne conveniunt vapores aceti aromatici, linimenta volatilia, rubefacientia et vesicantia, aër purissimus, ventilatus, vaporibus Chlori, methodo cel. Guyton-Morveaux aut Labarraque extricandis, emendatus; victus nutriens, potus vinosus.

POSTHUMA.

1554. De cura successionum potiorum eatenus solum aliquid subjungimus, quatenus in primordio cum inflammatione vix exantlata intime nectuntur, de ejus charactere participant, ac ideo particulares quasdam expetunt in medendo modificationes.

1555. Concurrentibus, quae factam suppurationem indicant, phaenomenis — unicum, quod medicus praestare valet, auxilium consistit in debito phlogistici processus moderamine; ab hujus enim vigore continuato ipsius suppurationis vehementia plurimum dependet. Hinc venaesectiones caute replicatae, eccoprotica, potus mucilaginosi, diluentes, tepide sorbillati, et prae aliis calor moderatus et aequabilis vaporibus, fomentis, vel balneis sustentatus, etiam inchoatae jamjam pyogeniae opponi debebunt.

1556. Perducta ad maturationis culmen vomica pulmonum, quam ex summo inflammationem indicantium phaenomenorum decremento, aliorum e contrario, quae purulenti fomitis praesentiam revelant, numero et gradu in dies auctis dignoscimus, jubet, ut ejus ruptura quantocyus sollicitetur; clausam enim suppurationem, etsi benignum plasticumque pus secernatur, constanter in organi adfecti destructionem niti, abunde notum est. — Destituimur autem directis, quae apostematum internorum aperturam et evacuationem efficere valerent, auxiliis, quare id indirecto tentare oportebit modo, remediis utpote blandissimis, vaporibus emollientibus et modica thoracis concussione, in quem finem vel sternutamenta ope pulveris nasalis, vel tussis vaporibus aceti excitari solet; et quidem illis periodis, quibus abscessus, secundum observationes Hippocratis, maturationis fastigium adtingere novimus, die utpote vigesimo, aut trigesimo. A violentioribus commotionibus, vomitu, equitatione, omnino cavendum.

1557. Evacuato per bronchia pure, vel sanie, chronica remanent ulcera, quae proprium inducunt atrophiae et cacochymiae genus, phthiseos pulmonalis nomine notum, cujus medela ad alium spectat nosologiae locum.

1558. Pyokystis infeliciori omine in thoracis cavum rupta, inevitabilem parit mortem, nisi prompta parakentesis, palliativum saltem, ferre juvet auxilium. Educto purulento latice, injectiones blandae, emollientes, aliquoties in die replicandae sunt, ne extra circulum posita materies spontaneo processu chemico corrumpatur. Eodem tempore latens in pulmone exulcerato inflammatio adaequata methodo moderanda, febris hectica mitiganda, vires vitales sustinendae, atque imminens liquatio arcenda.

Giorgi dell' Empiema e dei casi principali in cui si può eseguire l'operazione. Imola. 1829.

1559. Terminata in hydrothoracem acutum pneumonitis sollicitam laticis effusi eductionem postulat, quam diureticis, purgantibus, et revellentibus praestare adnitimur. Combinantur simul omnia illa pharmaca, quae reactiones vasorum absorbentium promovere (alterantia acria), et humorem extravasatum pro resorptione magis idoneum reddere valent (solventia). — Quousque adhuc de genitrice inflammatione aliquid superest, quod ulteriorem hypoclepsin sustinere juvat, eousque antiphlogistica therapia suum adhuc defendit locum, summa tamen circumspectione adhibita. A venaesectionibus ideo, nisi vespertinis sub exacerbationibus periculosus incendatur pulmonum turgor, vel prorsus abstinendum, vel vena vix secta, ac aliquot sanguinis unciis detractis, illico vesicans pectori imponendum, illiusque secretio in vigore sustentanda. Interne Digitalis generosa dosi subministranda, ejusque actio deprimens, alterans et diuretica nunc Antimonio, nunc Mercurio dulci, Nitro, aut Cremore tartari, pro circumstantiarum necessitate, acuenda. Decocta pectoralia, et leniter diuretica, uti decoctum Hordei, Graminis, Althaeae, Liquiritiae, caulium Dulcamarae, Ononidis cum oxymelle squillitico et aceto ammoniacali, cum prioribus in eundem saluberrimum scopum collimare, praxis docuit. — Parakentesis pectoris nonnisi in casu desperato, con-

spirante plurimorum medicorum consilio proponenda. — Persistens, fracta inflammatione, hydrothorax, ac ad chronicum inclinans decursum, suis regulis tractandus.

1560. Cura sclerom atis pulmonum, vel tuberculorum eo potissimum respicit, ut lympha plastica pulmones infarciens resolvatur, ac in massam humorum recipiatur. Prae aliis indicata sunt antimonialia, et mercurialia, pulveres Plumeri, extracta amaricantia, caules amarodulces, nitrum, aquae soteriae, acida vegetabilia, succi vegetabilium saponaceorum recenter expressi, balnea, epispastica repetita, regimen diaeteticum exquisitum. — Si de concretionibus, vel pseudomembranis suspicio esset, iidem remediis utendum. — Plurimum vero interest, ut lenta peripneumonia, quae omnis generis posthumis organicis constanter adhaeret, apta methodo moderetur, ejusque adeo faciles recidivae vitentur; quod praesertim obtinere studemus diaeta apte directa, methodo antiphlogistica leniori, per vices in usum tracta, vel etiam prophylacticis phlebotomiis.

1561. Pneumonitis, quae imminentis gangraenae signa offert, omnibus illis remediis promptissime adgredienda, quae malignam peripneumoniam postulare diximus. Praesertim revulsiones repentinae et violentae principem sibi vindicant locum. Inter revellentia etiam aqua fervens, vel ipsum cauterium potentiale numerari debent; — anceps tamen semper sub tanto discrimine adminiculum.

PLEURITIS.

Trilleri, Commentatio de pleuritide, Francof. 1740.
J. B. Verna, princeps morborum acutorum pleuritis. Venet. 1715.
F. Wendel, Diss. sist. observationes de pleuritide et peripneumonia. Goett. 1763.
Zeviani, della vera pleuritide.
Mortehan Traité de la pleurésie. Paris. 1805.
Schürmayer die Krankheiten der Pleura. Karlsruhe. 1830.

1562. Etiamsi pleuritis juxta etymologiam vocis (πλευρα, latus) qualemcumque ad latus pectoris obvenientem inflammationem indicaret; nihilosecius tamen, com-

muni medicorum consensu, hocce nomine specialius insigniri solet inflammatio membranae pleurae, parietes thoracis laterales investientis, ut distinguatur a phlogosi musculorum intercostalium, myitide intercostali, et ab illa periostei costarum. Atque haecce pleuritidis distinctio, quoad sedem specialem, jam ab acutissimo Avicenna indicata invenitur.

Mos. Labaud, (auct. Sprengel) spec. inaug. de locis in pleuritide adfectis. Hal. 1796.

Sprengel, pragm. Geschichte. II. 415.

1563. Notabilis medicorum, praesertim antiquorum, caterva majorem sane huic morbo dignitatem tribuere voluit, quam revera meretur, quo quidem plurimum contulit; quod exacta inter pleuritidem et peripneumoniam differentia stabilita non fuerit, atque communiter etiam inflammatio pulmonum pleuritidis nomine insigneretur. — Si consideramus pleuram esse membranam serosam, hoc itaque intuitu, caeteris saltem paribus, in veras inflammationes minus pronam; si perpendimus eam in nullo immediato cum injuriis mundi externi nexu existere; facile jam a priori minor pleuritidis primitivae frequentia concipitur. Inde evenit, plerasque pleurisias esse secundarias, symptomaticas, vel sympathicas, ac originis fontem vel in pulmonibus, vel in hepate, aliove organo vicino agnoscere; per se solas, etiamsi idiopathicae forent, vix unquam decurrere, sed vel hepatitidi, vel splenitidi, vel, quod frequentissimum est, pneumonitidi junctas incedere, atque in cunctis hisce casibus et morbi gradum, et febris vehementiam, et periculum non a membranae pleurae, sed ab organorum mox relatorum inflammatione contemporali pendere.

1564. Inde quoque patet, tractatum de pleuritide notabilem restrictionem admittere; quare nostram adtentionem ad illa solum limitandam esse censemus momenta, quae ad membranae pleurae adfectionem immediate referri possunt, missa faciendo cuncta ea, quae a synchrona pendent pulmonum adfectione, e priori capite jam abunde nota. Constans pleuritidis cum pneumonia connubium prae caeteris comprobavit Petrus Servius, qui in trecentis

aegris pleuriticis Romae post mortem dissectis, ubique unum alterumve pulmonem simul adfectum conspexit (1).

(1) Triller, de Pleuritide Cap. I. pag. 10.

1565. Relate ad modum tamen, quo pleurae adfectio cum illa pulmonis cohaeret, essentialis obtinet differentia. Mox enim turgor et dolor membranae pleurae est secundarius, a pulmonum phlogosi dependens, sub ejus decursu evolutus, et ea ratione, qua pulmonis expansio minuitur, evanescens; quo in casu neque morbi essentiam constituit, nec semper ad verae inflammationis gradum extollitur, illamque praesentat formam, quam pleuroperipneumoniam passim nuncupant. — Mox vero primitivus phlogoseos focus in pleura formatur, ac inde ad contiguum diradiatur viscus; acerrimus tunc dolor ab omni initio morbi usque ad finem urget et persistit, atque huic inflammationi pectorali pleuritidis idiopathicae nomen tribuitur.

1566. Unicum, e quo ad pleurae inflammationem concludere fas est, phaenomenon praebet dolor fixus et pungens in quodam thoracis loco, sub inspiratione profunda exasperatus. Ast neque hocce symptoma prorsus infallibile dici posse, Morgagnii, Stollii, et Portalii sectiones docuerunt; acerrimo enim sub dolore defuncti pulmones solummodo inflammatos, pleuram vero salvam obtulerunt. Caeterum simplex etiam in aliquo thoracis latere saevire potest pleurodynia, quin ab inflammatione pendeat. — Omnes reliqui pleuritidis comites referuntur vel ad febrem inflammatoriam, plus minusve vehementem, vel ad contemporaneam pulmonum congestionem, respiriique munus inde laesum. Particularia, e functione organi laesa depromenda signa, quae ad aliarum inflammationum internarum diagnosin plurimum contribuunt, pleuritis non offert, quatenus pro substrato agnoscit simplicem membranam, nullo, praeter vaporosi madoris exhalationem, specifico munere distinctam. Ejus autem functionis alteratae cognitio, nisi ad notabilem liquidus latex colligatur copiam, e definitis hucdum desumi nequit indiciis. Quare in describenda pleuritide aeque, ac in ejus diagnosi stabilienda, pulmonis constanter compatientis ratio negligi nequit.

HYPOTYPOSIS.

1567. Pleuritis idiopathica, — quam a pleuro-peripneumonia non ideo distinctam habemus, quod eam ab omni pulmonis congestione liberam credamus, sed quod in pleura princeps et primaria inflammationis sedes existat, — invadit horrore valido, per plures aegrum quatiente horas, cui aestus subsequitur universalis, orgasmus, turgor, sitis, kephalaea, anxietas cum urinis rubris, et pulsibus acceleratis, plenis, fortibus, et duris. Eodem tempore pungens emicat inter costas dolor, ab initio quidem vagus et levis, ast brevi centrum figens, citissime crescens, acerrimus, qui praesertim sub inspirationis profundioris tentamine immaniter exacerbatur, atque pectus transversim perscindit, cultri immersi adinstar. Spectata sede mox unam, mox alteram, rarius utramque occupat pectoris partem. Pleuritis dextera quidem frequentior practicis dici solet, cujus phaenomeni causam in hepate quaerere volunt; nihilominus tamen aequalem, ne dicam majorem sinistrae pleuritidis frequentiam observare licet in certis regionibus, et sub illis circumstantiis mox climaticis, mox individualibus, sub quibus lienis vitia majorem ejusdem lateris dispositionem in turgores fovent. Quo gravior esse consuevit pleuriticus dolor, febri et diathesi phlogistica intensiori stipatus; eo minores etiam, sub decursu magis continente, offert inducias. — Nisi musculi intercostales, vel periosteum costarum simul inflammentur; ab adtactu cruciatus non exasperantur; quin imo adfecto lateri plerumque libentius incumbunt aegri.

1568. Membranae serosae, utut in statu normali exiguum offerant sensibilitatis gradum, maxima, dum inflammantur, et praesertim dum tenduntur, excitare solent tormenta; quapropter etiam sub pleuritide jam a consueta thoracis dilatatione, praecipue autem a sternutamentis, tussi, risu, corporis incurvatione, eum in modum augentur dolores, ut miseri aegri inspirare vix audeant, unde intolerabiles patiuntur anxietates. Impeditam tali pacto pulmonum explicationem, et adtractionem ejus quantitatis aëris, quae pro sanguinis unda per pulmones acta oxydan-

da, pro pulmonibus, ut ita dicam, saturandis requiritur, — impeditam hancce, inquam, pulmonum functionem automatice supplere student animam crebrius reciprocando; quare inter constantiora phaenomena numerari debet respiratio brevissima, ac adeo citata, ut interdum ei binos solummodo arteriarum ictus respondere, vel plane inspirationes cum pulsu isochronas esse videamus. Sub tali autem rerum positione nil mirum est, pulmonum turgorem eum in modum augmentari, ut vera evolvatur inflammatio, quam cuncta symptomata peripneumonica, alibi exposita, abunde distinguere juvant. Tussis vix unquam deest, violenta, molesta, sicca, vel paucis sputis comitata. Copiosior anacatharsis contemporalem pulmonum, vel bronchiorum irritationem supponit, atque nonnullis practicis (1), cum aliqua licentia, pleuritis humida vocatur.

(1) Stoll, Aphorismi de cognosc. et cur. febrib. N. 128.

1569. Increscente in dies morbo, diathesis phlogistica, et febris angiosthenica ad summum intenditur culmen; inde sanguis eductus placentam compactam, corio tenaci et denso (pleuritico dicto) tectam cum pauco sero exhibet, vel totus quantus in massam hepaticam coit; pulsus micant celerrimi, nunc liberi et fortes, nunc suppressi et fictitie debiles, nunc contracti, duri, serrati. Characteristicis pleuritidis signis clar. Laennec quoque adnumerat aegophoniam, sive sonum caprae mutienti similem, stethoscopii ope eruendum. Sunt denique adhuc alii, ast minus fideles pleuritidis comites, ut deliria, pervigilium, convulsiones, dysphagia, singultus, vomitus, quorum praesentia vel a subjecti conditione, vel a morbi gradu, vel a synchrona contiguorum organorum irritatione dependet.

1570. Pleuritis regularem tenens decursum circa quintum, septimum, vel nonum diem suum adtingit fastigium, quo adepto crisibus plurimum apostaticis solvitur, atque serius, ocyusve ad decrementum inclinat. Simplex tamen pleurae congestio, quae a causae permanentis irritamento sustinetur, critica quidem non excludit molimina, illis vero plerumque inefficacibus judicari nequit, ac ideo indefinitam excurrere solet periodum.

ANALOGIAE ET DIFFERENTIAE.

Gilbert de quarumdam sive pulmonis sive thoracis acutarum affectionum, peripneumoniae pleuritidisque, analogiis et dissimilitudinibus. Paris. 1804.

1571. Pleuritis facile cum aliis confundi potest morbis, et quidem vel cum inflammationibus organorum contiguorum, vel cum analogis in eodem substrato adfectibus. Inter phlogoses varias pleuritidem mentiri possunt: hepatitis, splenitis, pericarditis, diaphragmitis, oesophagitis, myitis intercostalis, et periosteitis costarum. Veram pleurae inflammationem a simplici irritatione sive congestione activa ad lectnm aegrorum distinguere non licet; quapropter uterque adfectus indiscriminatim nomine pleuritidis venit.

1572. Hepatitidem distinguit dolor mox punctorius, mox gravativus ad hypochondrium dexterum, sub tactu increbescens, pleurodynia potius instabilis ad scapulas usque protensa, hepatisque functio laesa. Lectione digna sunt, quae circa differentiam pleuritidis et hepatitidis olim jam Alexan. Trallianus protulit (1).

(1) De morbis et febribus. Lib. VI. Cap. I. pag. 266.

1573. Eadem phaenomena in sinistro comparentia hypochondrio, computata cum causis excitantibus lieni infensis, uti sunt febres intermittentes quartanae autumnales, endemicae, vel cum manifestis aucti voluminis et duritiei morbosae signis, splenitidis existentiam evincunt.

1574. Pericarditidem laesa cordis functio constanter comitatur: palpitatio enormis, fixus et acerrimus ad circulationis fontem dolor, carotidum vibratio, suspiria, animi deliquia, febris gravissima.

1575. Diaphragmitidem tunc nonnisi cum pleuritide confundi posse, ubi thoracica septi transversi superficies adficitur, facile liquet. Quatenus autem illa lamina serosa, (utut pleurae continuationem sistat), integrantem diaphragmatis partem format, atque inflammari nequit, quin hujus quoque functio laedatur, superfluum

redditur diaphragmitidem inter et pleuritidem diaphragmaticam discrimen.

1576. Oesophagi inflammationem a pleuritide abunde discernit dolor acerrimus inter scapulas, sensus ardoris interni, deglutiendi summa difficultas vel impotentia, cum ingestorum regurgitatione, et causae efficientis notio.

1577. Myïtis denique intercostalis, cui ineptum pleuritidis spuriae nomen tribui a quibusdam solet, a pleurae phlogosi differt dolore magis superficiali, sub tactu valdopere exacerbato, cui non raro reliqua inflammationis externae symptomata, uti tumor, calor, et rubor junguntur. Difficilior hujus a periosteitide esse solet distinctio; princeps respectus ad causas et dyscrasias osseo systemati infensas habendus.

1578. Pleuritidem, vel pleurodyniam rheumaticam a phlegmonosa distinguere juvant notio causae praegressae, rheumati producendo idoneae; doloris vaga sedes; remissio per vices manifesta; tussis absentia, ac reliqua signa diathesi rheumaticae propria.

DIVISIONES.

1579. Diversae a medicis institui solebant pleuritidis divisiones, quarum quidem nonnullae practico valore non destituuntur, aliae, e contrario, nullius prorsus momenti negligi omnino possunt. — Essentialis est pleuritidis in plegmonosam et rheumaticam partitio, quae nosogeniae diversitati innititur, atque differentem medendi rationem dirigit. Ecquidem utraque antiphlogistico eget tractamine; posterior vero specialem atrii, quod morbi origini favet, respectum sibi postulat. Non minus gravis, tum quoad curam, tum quoad prognosin, est distinctio pleuritidis in simplicem, comitatam, et complicatam; in regularem et anomalam; in acutam et chronicam. — Pleuritidem simplicem rarissime occurrere, sed plerumque aliorum organorum vicinorum inflammatione comitatam esse, jam e prioribus patet. — Inter anomalas pleuritides vix non omnes illae notari debent species, quas peripneumoniae communes esse

diximus (§. 1441). Eminent tamen pleuritis chronica (anomalia quoad decursum), vitiorum organicorum fidelis comes, nunc manifesta, nunc clandestine latens et occulta; atque pleuritis biliosa (anomalia quoad characterem) aestivis diebus frequentissima.

Fiorani sulla pleuritide biliosa epidemica. Firenze. 1792.

1580. Quoad sedem dispescitur in fixam et vagam; in partialem et totalem; in membranaceam et muscularem, cui tamen ultimae myïtidis intercostalis nomen magis convenit. Divisio pleuritidis in lateralem, anticam et dorsalem — vocis significatui contradicit. Dirimitur tandem adhuc quoad originem in idiopathicam, symptomaticam, et sympathicam; in primariam et secundariam; in sporadicam et epidemicam.

CAUSAE.

1581. Si excipiamus omnia illa momenta, quae majorem universim in phlogoses et speciatim in pneumonitides fovent proclivitatem, praecipue organica vitia pulmonum, eorum concretiones cum pleura, et viscerum hypochondriis reclusorum obstructiones; peculiares, quae pleuritidem invitarent, dispositiones vix observantur. Bruma rigida et clima hyperboreum eatenus solum pleuritidis ortui favere videntur, quatenus pulmonum inflammationi patrocinantur.

1582. Inter causas procatarcticas, pleuritidi phlegmonosae et idiopathicae producendae pares, numerantur: violentiae traumaticae, vulnera, ictus, contusiones, uti v. g. sub poena militum virgis exequi solita, distorsiones trunci, musculorum pectoralium contentiones sub tussi vehementi, sternutamentis repetitis, saltu, laboribus strenuis, sub respiratione nimis accelerata, commotiones pectoris, costarum fracturae; quae omnia modo pleuram, modo musculos intercostales vel periosteum, modo plures partes una laedere possunt. Refrigerium repentinum rheumaticam potius, quam phlegmonosam pleurisiam inducere credimus, quatenus congestionis in membrana serosa ortus ex laesa atrii cutanei functione pendet. Ita etiam re-

liquas atmosphaere injurias, — excipiendo excessivum foci calorem, aut frigus acre immediate versus thoracem, sudante prius corpore, directum, uti v. g. in illis contingit, qui humido cespiti incumbunt, — pleuritidi directe producendae vix idoneas esse censemus, nisi prius in pulmonibus, cum mundo externo immediate nexis, phlogisticum incendant processum; cui tandem secundaria succedit pleuritis.

1583. Pleuritidem symptomaticam progignunt: inflammationes organorum thoracis, vel abdominis ad pleuram propagatae, uti pneumonitis, pericarditis, diaphragmitis, hepatitis, mastitis; tumores kystici in thorace externo; skirrhus mammae; exostoses costarum; vitia organica viscerum thoracis, vomicae et tubercula pulmonum, aneurysma cordis et vasorum majorum, praesertim concretiones et pseudomembranae; metaschematismi et metastases impetiginum, exanthematum; suppressio menstruorum, lochiorum, epistaxeos.

1584. Quidquid autem de pleuritide sympathica narrant practici, ad pleurodyniam simplicem sive pleurosymphoresin potius referri debet; stimulus enim in remota quadam parte, ut in utero, vel intestinis, consensualem quidem dolorem atque statum irritationis subinflammatoriae in pectoris parietibus, ex mutua membranarum serosarum relatione concipiendum, nequaquam tamen phlogosin veram inducere valebit, cui alioquin pleurae structura, ob vasorum rubrorum penuriam, minus favet.

EXITUS.

1585. Pleuritis idiopathica acuta in salutem abit praeviis evacuationibus criticis, quas universim inflammationibus febrilibus communes esse novimus. Prae aliis sudores profusi, et urinae saturatae cum sedimento copioso, roseo vel lateritio, rarius epistaxes die septima, nona, vel etiam tardius subortae, pleuritidem nunc prompte resolvere juvant, nunc saltem ad gradarium perducunt decrementum.

1586. Crisibus evacuatoriis idiostaticis, quas alibi adeo salutares esse novimus, pleuritis vel ex eo solvi nequit, quod substratum morbi extra seriem organorum emunctoriorum situm est, secretionis igitur qualiscunque producta evehi nequeunt, nisi prius absorpta, et versus consueta colatoria determinata fuerint. Inde concipitur, ipsa sputa, quibus pleuritidem quandoque solutam fuisse observatio docuit, vel apostaticam constituere crisin, (relate ad pleuritidem), vel vero idiostaticum pneumonitidis comitis judicium sistere, quo in casu solutio pleuritidis benigna nequaquam anacatharsi, sed pneumonitidi per anacatharsin levatae adscribenda erit. Quapropter superfluas, nullius-que prorsus momenti existimamus replicatas illas medicorum discussiones circa sputa pleuriticorum, atque circa vias, quibus materiem morbosam ad pulmones pervenire sibi imaginati sunt quamplures.

G. Richter, Prolus. de viis sputi Pleuriticorum. In ejusd. Opusc. med. Vol. III.

1587. Pleuritis, quae alius inflammationis socia, hujus resolutionem sequitur. Symptomatica, et praesertim chronica pleurae symphoresis, solemnibus caret crisibus, atque nonnisi cessante causa, quae irritationem sustinet, imminuitur ac pedetentim exstinguitur, facili tamen negostio reditura, ubi organica in pectore vitia continuam fovent in recidivas pronitatem.

1588. Inter posthuma pleuritidis, benignam respuentis resolutionem, notari praecipue merentur: congetio chronica, sive pleurodynia symphoretica, hydrothorax acutus, et concretiones.

1589. Hydrothoracis acuti, admodum facilis post pleuritidem graviorem successio, ex ipsa substrati indole sine negotio concipi poterit. Quid mirum enim, si vasorum capillarium exhalantium incitatione adaucta, eorumque numero notabili ad arteriosorum canalium dignitatem elevato, major, quam par est, et quam ex altera parte absorberi potest, secedit laticis serosi copia. Hujus, quin qualitas alterata esset, ubera in cavum pectoris effusio, hypoclepsis serosa, hydrothoracem simplicem efficit. Mutata simul effusi liquoris conditione, ita, ut lym-

phae gelatinosae, vel puri analogus fiat, hydrothoracis puriformis forma nascitur.

1590. Sive ejusmodi transudatio e serosa pulmonum superficie, ceu pneumonitidis productum, sive ex pleura parietes cavi pectoris investiente, ceu pleuritidis idiopathicae consectarium, contingat, semper iisdem stipatur phaenomenis, ac easdem pro origine supponit conditiones. Quare hic omnia illa in mentem revocanda, quae, de peripneumoniae analogo exitu disserentes, exposuimus (§. 1491 — 1495.

1591. Effectum hypoclepseos lymphatico-plasticae, transudationis utpote, eum in modum modificatae, ut, qui suffuratur, fomes illico in membranas coeat, et crystallisetur, vel utriusque superficiei serosae contiguae conglutinationem producat, constituunt concretiones pulmonum cum pleura vel immediatae, vel mediante quadam pseudomembrana effectae. Ejusmodi producta processus organico-plastici ultra normam incitati mox ad pauca solum puncta limitantur (filamentorum sub forma), mox ad ampliores plagas extenduntur, atque vel primitivum conservant organi generantis, serosae utpote membranae typum; vel vero majori vasorum rubrorum copia scatentia, eminentiorem adquirunt characterem organicum. Principales, quae inde originem trahunt, molestiae, sunt: dyspnoea chronica, tussis sicca, ac summa in recidivas pleuritides, vel saltem pleurodynias proclivitas.

1592. Suppuratio, in quam serosae membranae universim minorem habent nisum, etiam pleuritidi nonnisi rarissime succedit; pleura enim, etsi congestionibus activis frequenter obnoxia, vera tamen inflammatione tunc solum corripitur, dum magis violentae praecedunt causae, vel plurium relative incitantium stimulorum concursus phlegmonis ortui favet, vel dum ex parte diuturnae, et saepius recurrentis congestionis pleura serosa pedetentim in membranam arteriosam transformatur. Pleurodyniae rheumaticae et sympathicae exitum in suppurationem nunquam agnoscunt. — Vomicam veram aut pyothoracem quandoque simulat effusio liquaminis puriformis inter laminas pseudomembranosas kystidem efformantes. Deficit autem

in ejusmodi vomicis spuriis solutio unitatis organicae tam in pleura, quam in pulmone; abraso enim amiculo lymphatico-puriformi integra subjectarum partium textura adparet (1).

(1) Franc. Hildenbrand Annales scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. pag. 209.

1593. Gangraena aeque ad summe raras pertinet pleuritidis successiones, ex iisdem, quae antea protulimus, rationibus. Transitum in scleroma pleura, tanquam membrana simplex et hyalina, prorsus excludit, nisi callositates, quas pseudomembranarum invicem coalescentiam strata efficiunt, hoc nomine insignire placuerit. Particulari autem subjecta cernitur metamorphosi pathologicae, videlicet ossificationibus, ad quarum genesin phlogoses chronicae, et praesertim rheumaticae concurrere videntur, favente maxime senectute, aliave, faciliorem calcarei principii separationem promovente, diathesi.

1594. Quae de metastasibus pleuritidem excipientibus a Baglivio, aliisque practicis referuntur, vel ad febrem comitem, vel ad rheumaticam potius pleurae phlogosin releganda videntur, eminenti in metaschematismos nisu distinctam.

1595. Mortis, pleuritidem sequi visae, ratio nunquam ex inflammatione pleurae per se spectata dependet, sed vel in synchrona organi cujusdam nobilioris, pulmonis, cordis, diaphragmatis, adfectione, functionisque suppressione, vel in febris inflammatoriae comitis altiori gradu, vel in charactere nervoso secundarie evoluto, vel demum in organicis metamorphosibus, hypoclepsi, suppuratione, empyemate quaerenda.

1596. Prognosis in pleuritide, caeteris paribus, semper laetior institui poterit, quam in aliis organorum pectoris inflammationibus. Si aliquod imminet periculum, illud vel graviori pneumonitidi comiti, vel processui phlogistico per majorem pectoris ambitum extenso, vel anomaliis, complicationibus, moliminum criticorum inefficaciae, aliisve sinistris, ex parte subjecti, causae violentae, et constitutionis epidemicae, circumstantiis tribui omnino debebit.

THERAPIA.

1597. Nisi directae curae concedatur locus, causis sufficienter notis, ac facile amovendis, princeps in tractanda pleuritide indicatio eo dirigatur, oportet, ut irritatio morbose aucta in parte inflammata aeque, ac in toto systemate arterioso compescatur; unde therapiae antiphlogisticae necessitas sponte fluit.

1598. Quo altior morbi gradus, quo evidentior pulmonis contemporanea passio, respiriique laesio, eo minus venaesectione carere possumus. Quidquid autem de sanguinis emittendi copia, de phlebotomiarum numero et modo in capite de peripneumonia subjunximus, etiam ad pleuritidem refertur. Haud magni momenti esse credimus illas lites medicorum, quae circa locum venaesectionis instituendae saeculo XVI. imprimis habitae fuere (1). Neque ratio anatomica, neque experientia venaesectionem e brachio lateris adfecti praeferendam esse suadent.

(1) Pet. Brissot, de incisione venae in pleuritide. Basil. 1529.
R. Moreau, de missione sanguinis in pleuritide. Paris. 1630.
W. T. Moschke, (auct. Sprengel,) Diss. qua historia litis de loco venaesectionis in pleuritide, saeculo XVI. imprimis habitae, ventilatur. Hal. 1793.

1599. Hirudinum et scarificationum usus in pleuritide majorem sibi vindicat dignitatem, quam ei in pulmonum inflammatione concessimus (§. 1527), ob directas anastomoses vasorum cutis externae et pleurae. Prae caeteris autem topicas depletiones conducere videmus in gravi, magisque locali inflammatione pleurae musculorumque intercostalium, quae a traumatica pendet causa, et cui febris vehementia non respondet.

1600. Reliqua auxilia consistunt in remediis internis eccoproticis, emollientibus, mucilaginosis, in potibus refrigerantibus affatim sorbillatis; quibus etiam cataplasmata et fomenta jungere oportet, quatenus tepor madidus eminens dolorum pleuriticorum sedativum praebet. Eximius Svieten solutione saponis in lacte aqua diluto, pannis, linteis, vel spongia excepta, ac dolenti loco dili-

genter adplicita cum emolumento usus est. Decantata vero utilitate destitutam esse observabimus ejusdem maximi Viri methodum, qua locum dolentem, dum sanguis e vena fluit, leniter perfricandum suadet. Neque arridet vesicantium in pleuritidis principio et vigore usus, a quibusdam medicis, Baglivii ad mentem, commendatus, nisi rheumatica faveat morbi indoles.

1601. Quousque inflammationis ferocia continuat, eousque etiam cum antiphlogistico tractamine progrediendum, cujus tamen gradus morbi vehementiae adprime respondeat, oportet. Decrescente morbo a venaesectionibus recedimus, solo potuum temperantium, et fomentorum emollientium usui insistentes, donec vires vitales ad pristinum moderationis statum reductae, ac topicus in pleura et pulmonibus turgor prorsus resolutus fuerit. Si vero febri comite ad manifestum decrementum perducta, atque reactione inflammatoria undiquaque infracta pertinax continuat dolor, versus debilitantem medelam rebellis, cucurbitula cruenta, vel largo vesicante ad ipsum locum dolentem adplicito optime opitulari solemus.

1602. Remedia sic dicta sympathetica, a plebejis dilecta, uti sanguis hircinus recens, dentes apri e collo suspensi, infusum stercoris equini, et similia, quorum encomia absurdis superstitionibus innituntur, e foro medicinae rationalis omnino exterminanda.

1603. Quidquid demum de cura pleuritidis chronicae, anomalae, complicatae, ac in posthuma organica nitentis notandum esset, ex adlatis, in capite de peripneumonia, regulis therapeuticis sine negotio intelligitur, dummodo illae adjungantur modificationes, quas pleuritis ex parte substrati patientis postulat.

MESODMITIS ET THYMITIS.

Kerstens, Progr. de pleuritide mediastini. Kil. 1784.

1604. Nihil quidem obstat ortui inflammationis, vel saltem congestionis activae in duplicata pleurae lamina, quae thoracis caveam, mediastini sub nomine (graecis μεσοδμη), in duas partes aequas dividit, et utrique sterni

lateri inserta, triangulare quasi format, quo cor et vasorum majorum trunci recluduntur, spatium; rariorem tamen esse in praxi morbum, cognituque difficilem, unanimes declarant medicorum observationes.

1605. Praeter exempla pleuritidis dorsalis ab Hippocrate (1), et Aretaeo (2) notata, ac a nonnullis ad mesodmitidem relata, hujus prima vestigia clariora apud Arabem Avenzoar invenire licet (3), qui se ipsum tali morbo laborasse retulit, uti ex eruditissimi Freindii opere (4) colligitur. Cum illis, quae Avenzoar de mediastini inflammatione scripserat, pulchre combinant observationes Salii Diversi (5); atque seriori aevo ex sectionibus indefessi Morgagnii (6) alia ejusdem adfectus specimina innotuerunt. Trombellum Medicum Bononiensem, pariter mesodmitide peremptum fuisse, fertur (7).

(1) De morbis Libr. IV. Sect. XXI.
(2) Cap. de pleuritide.
(3) Theisir. Venet. 1496. Libr. I. Tract. 16. c. VI.
(4) Historia medicinae. Lugd. Bat. 1734. pag. 242.
(5) De febri pestilenti, et curationibus particularium morborum etc. Cap. VI. pag. 247.
(6) De causis et sedibus morbor. Tom. I. Epistl. XXI. 30.
(7) Sauvages, Nosol. method. Tom. I. pag. 496.

1606. Potiora symptomata, e quibus mesodmitis dignosci potest, sunt: obtusus ac veluti gravativus in medio thoracis dolor, qui secundum longitudinem sterni porrigitur, versus ensiformem declinans cartilaginem; sensus angustiae et fervoris intestini; inquietudo magna; sitis ingens; tussis sicca, vel sputis parcis et coloratis comitata; spirandi multo minor, quam in pneumonitide, difficultas, ipsaque inspiratio profunda haud notabiliter praepedita; febris acuta inflammatoria. Optime jam notat Salius Diversus minus dolere inflammatum mediastinum, quia dilatato inter inspirandum thorace non distrahitur, ut pleura. Ob intimum nexum cum organis pectoris, vix non constanter eorum inflammationi nupta incedit. Ubi ad pericardium adeo vicinum propagatur phlogosis, syncope solet accedere, et pulsuum mira perturbatio.

1607. Circa causas, exitus, et curam mesodmitidis ni-

hil prorsus addendum restat, quod e praemissis non flueret tractatibus organorum pectoris inflammatorum. Adjunxisse tantum sufficit, in casu, quo manifesta patent effusionis purulentae, aut serosae in cavo mediastini anteriori signa, terebrationem sterni propositam fuisse (1), cujus operationis auctores sunt Columbus et Barbette.

(1) De Fabrice, Diss. de empyemate mediastini anterioris, ejusque curatione ope trepani. Altdorf 1796.

1608. Mesodmitidi summe analogum adfectum constitueret Thymitis, sive inflammatio thymi, illius utpote glandulae oblongae, et rutilantis, quae in cavo mediastini antico, ante asperam arteriam in collum usque adscendens, posita est.

1609. Thymus omnes per eminentiam includit conditiones, quae pro subeundo processu phlogistico requiruntur, et quidem tanto magis, quod ejus functio in certa quadam relatione cum officio pulmonum esse videatur; praesertim in embryone, in neonatis, in mammalibus amphibiis, et hyemalem somnum ducentibus. Porro cadaverum extispicia glandulam thymum inflammatam, suppuratam, induratam, et ossificatam demonstrarunt (1). Quatenus tamen functio hujus glandulae nondum clare innotuit, functionis vero laesio generatim unicum sistit signum certum, e quo ad organi cujusdam interni adfectionem concludere licet; eatenus hodieque nullam de diagnosi thymitidis ideam concipere licet. Tumorem ad imam colli partem, et vomitum rebellem, ceu symptomata Kynanches thymicae a Cel. Sauvages relata (2), prorsus insufficientia esse ad morbi praesentiam determinandam, quivis facile colligere poterit.

(1) Boneti, Supulchret. Observ. II. pag. 478. — Lieutaud, Histor. anat. med. Libr. II. Observat. 763. 866. 867.

(2) Nosologia method. Tom. I. pag. 492.

CARDITIS ET PERICARDITIS.

Senac J. B. Traité de la structure du coeur. Paris. 1774. Chap. VI. et VII.

Mortzfeld, Diss. de carditide. Regiom 1789.

Corvisart, Essay sur les maladies et les lesions organiques du coeur. Paris 1806.

J. F. Davis Inquiry into the symptoms and treatment of Carditis. Bath. 1808. — A. d. Engl. von Choulant. Halle. 1816.

A. J. Testa, sulle malattie del cuore. Bologna 1810. — A. d. Italien. Mit Anmerk. v. Sprengel. Halle 1813.

Lemazurier Diss. sur la péricardite. Paris. 1810.

Allan Burns, von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankh. Aus dem Englischen v. Nasse. Lemgo 1814.

Kreysig, über die Krankheiten des Herzens. Berl. 1814 et 1815. 2 Th. — Traduzione italiana del Dr. Ballarini. Pavia 1820. Vol. III.

Hertzberg de Carditide. P. I. II. Hal. 1817.

Folchi, Riflessioni sulla diagnosi della carditide e pericarditide Roma 1819.

Petrenz de Pericarditidis pathologia. Lips. 1822.

Brissault Essai sur la péricardite, considérée dans son état aigu et chronique. Strasb. 1826.

Glas über Herzentzündung. Würzb. 1826.

Goldberg Diss. de Carditide. Berol. 1830.

1610. Quemadmodum veteres existentiam inflammationis cordis prorsus negare voluerunt, supponendo hominem prius perire debere, autequam hic morbus evolvi possit; ita seriori aevo major sane, quam passim credebatur, carditidis innotuit frequentia, a quibusdam tamen neotericis nimium in modum exaggerata. Rondelet (1) decimo sexto vivens saeculo, primus fuit, qui carditidis exactiorem descriptionem dedit; ejus vestigia secuti sunt Salius Diversus et Forestus. Inter recentiores, qui in arduo hocce objecto majus lumen diffundere adlaborarunt, laudes merentur Corvisart, Testa, Burns et Kreysig, quorum opera supra citavimus.

(1) Methodus curandorum morborum. Lugd. Bat. 1575. C. 10. pag. 185.

HYPOTYPOSIS.

1611. Ad eliciendam carditidis diagnosin sequentia principalem adtentionem merentur phaenomena: initium morbi ab horrore valido, cui brevi aestuans subsequitur calor, sitis intensa; respiratio brevis, accelerata; anxietas, cujus sublevandae gratia saepius profunde inspi-

rare, vel praecordia comprimere tentant aegri; suspiria igitur crebra, et semper cum aliqua euphoria replicata, (unde notabilis a pneumonitide et pleuritide differentia); sensus oppressionis, constrictionis suffocativae, fervoris interni, plenitudinis, quammaxime in pectore sinistro, quandoque cum punctorio alternans dolore; inquietudo et jactatio; cordis pulsatio ab initio fortis, a procul visibilis, accelerata, aequalis (cardiopalmus), — serius inordinata, confusa, suppressa, tremula (cardiotromus), subinde intermittens, cum strepitu, ac summe ingrata bullientis quasi liquidi, vel pectoris cavo per vices infusi sensatione conjuncta; tussis rara, sicca, vel parcis tantum et puriformibus sputis comitata; dolor fixus ad scrobem cordis, aut vagans inter scapulas, inque ipsis artubus; decubitus supinus facilior; facies turgens et rubra, vel, quod frequenter accidit, pallens, squalida et distorta; oculi prominentes, photophobi, unde clausis oculis libenter cubant aegri; ictus arteriarum illis cordis respondentes, celeres, fortes, pleni, magni, vel suppressi, modo aequales, modo irregulares et intermittentes.

1612. Increbescente phlogoseos vigore, cuncta gradu intenduntur symptomata, et quidem passu adeo praecipiti, nt die jam tertia summum adtingant culmen; anxietas urget intolerabilis, cum suffocationis metu, quem suspiriis crebrioribus lenire student; exasperatur tussis cum sputis seroso - cruentis; continuat irregularis, et stridulus cordis, cum sanguine incenso acriter colluctantis, motus, per vices in adeo vehementem degenerans palpitationem, ut animo linquantur aegri, vel tetra obcoecentur caligine, sudoribus frigidis undiquaque exortis; interdum ad malleolos intumescunt pedes; vires prosternuntur; urinae jumentariae parcis secedunt dosibus. Malo tandem ad maximam ferociam perducto, orthopnoica evadit respiratio; totus mirum in modum vibrat thorax; evolvitur singultus, quandoque vomitus, agrypnia, delirium, sopor, dysphagia, aphonia, hydrophobia; impotentia situm corporis absque deliquio mutandi, donec tandem sub motibus cordis et arteriarum summe inordinatis, formicantibus, exilibus, extremorum frigore, sudoribus viscidis, stertore, sensuum-

que perturbatione mors suffocativa, vel syncoptica finem imponat, quod plerumque inter quintum et septimum contingere solet diem.

1613. Habetur autem et alia carditidis species, quae diutinum magis tenet decursum, atque hocce decursus lentore quasi resarcit, quod ei symptomatum ferocia deficit; dicitur ideo carditis lenta, sive chronica. Distinguitur iisdem, quae acutam carditidem indicant, phaenomenis, gradu tamen levioribus, ac saepe adeo obscuris, ut oculatissimi medici aciem effugiant; quapropter clandestino serpens passu tanto magis insidiosa evadit, aliorum malorum praesentiam mentitur, atque carditidis occultae nomine insignitur.

1614. Constantioribus signis adnumerantur: febricula cum exacerbationibus vagis, respiratio quidem non accelerata, sed anxia, suspiriis crebris, iisque pro momento levantibus interpolata; tussis nulla, vel rarissima; anxietatis a compressione pectoris, a motu et calore augmentum; cordis palpitatio fortis, tremula, irregularis plerumque; arteriarum pulsus similes et synchroni; sensus constrictionis in thorace et gutture; dolor obtusus ad scrobiculum cordis a tactu non auctus; astasia (instabilitas, inquietudo) molesta; faciei turgor; sitis parca; singultus; insomnia gravantia. Pro diversitate coëxistentis diatheseos, aut vitii organici in praecordiis, cujus comitem constantiorem sistere solet carditis lenta, alia quoque phaenomena in connubio esse possunt.

1615. Substratum carditidis utriusque largitur vel superficies externa pericardio contigua, vel substantia muscularis, vel membrana interna. Pro hacce diversa inflammationis sede, quidam auctores carditidem propriis signis distingui posse defendunt (1). Ita in phlogosi superficiei externae, quae constanter cum pericarditide jungitur, pulsum per vices intermittentem, summamque anxietatem supponunt. Inflammationem substantiae muscularis repentinis insultibus cum maxima anxietate, oculis rigidis, cum praecipiti quodam se gerendi modo, specie delirii, ac pulsu cordis arteriarumque summe inordinato distinctam volunt, quae phaenomena etiam

inflammationi superficiei internae tribui solent, praeter peculiarem in concrementa polyposa nisum. Vix unquam tamen inflammationes illae adeo solitariae occurrunt, ut earum signa non confluant, vel ob imperfectam evolutionem recenti dubio occasionem non praebeant. Praevalens unius alteriusve partis adfectio potius post mortem tantum ex ratione terminationis innotescit.

(1) Kreysig, Op. cit. 2. Thl. pag. 125.

1616. Quod diagnosin carditidis adeo difficilem reddit, est ejusdem adeo frequens cum vitiis organicis cordis, atque cum inflammationibus organorum adjacentium, pleurae, mediastini, pulmonum, diaphragmatis, complicatio; quibus omnibus, dum ad altiorem gradum evehuntur, diversa cordis in suo munere laesi phaenomena competunt. Juxta adsertum peritissimi Kreysig quaevis febris inflammatoria carditidis suspicionem excitat, si cum pulsu cordis et arteriarum frequenti, dyspnoea, doloribus vagis in pectore, facie turgida, oculis fixis, et animi deliquiis juncta incedit (1).

(1) Oper. cit. 2. Thl. pag. 127.

CAUSAE.

1617. Inter momenta, quae in carditidem disponunt, recenseri merentur: temperamentum calidum; habitus plethoricus; abusus spirituosorum, et aromatum; venus nimia; motus corporis excessivus, cursus velox, scalarum et montium ascensio, vento praeprimis adverso; certa quaedam opificia inclinato corpore peragenda, unde ruricolae, hortulani, bajuli, cisiarii et rhedarii, prae aliis dispositi cernuntur; contentio corporis quaevis cum diuturniori spiritus retentione, uti sub clamore, cantu, instrumentorum inflandorum tractatione, sub nimio alvum deponendi nixu; animi pathemata, quorum insignis in alterandis cordis motibus potestas, praecipue amor, ira, terror, moestitia, nostalgia; evacuationes suetae, uti menstrua, vel haemorrhoides, suppressae; exanthemata retropulsa; diathesis arthro-rheumatica, scrofulosa, hysterica et chlorotica; puerperium.

1618. Causis excitantibus accensentur inprimis omnes illae potentiae, quas proclivitatem inducere diximus, si diutius in organismum agunt, vehementia crescunt, vel si plures relativae concurrunt; porro laesiones mechanicae, ictus, concussio, lapsus, vulnera usque ad pericardium, vel ad ipsum cor penetrantia; fomites quidam contagiosi, uti scarlatinosus, venereus, psoricus, hydrophobicus; metaschematismi arthro-rheumatis; inflammationes graves partium cordi vicinarum, maxime pulmonum et pleurae; vitia organica, quae maxime carditidem lentam producunt et sustinent. Hancce ultimam in infantibus quandoque tussis convulsivae, cachexiarumque abdominalium effectum esse, clariss. Puchelt (1) testatur.

(1) Puchelt Commentarius de carditide infantum. Lips. 1824.

1619. Praeter mox prolatas injurias, quae sporadicam carditidem gignunt, etiam conditio atmosphaerae, tam hyemalis, quam specifica, ad cordis incendium ducere potest; quatenus enim mediante pulmone in sanguinem influit, etiam incitationem in fonte circuli facile alterare poterit. Quamobrem constitutione epidemica inflammatoria ad altiorem gradum evecta phlogoses cordis, pericardii et vasorum majorum haud infrequenter occurrunt, mox pneumonitide, mox pleuritide comitatae, quales anno 1819 Ticini vidimus atque descripsimus (1). Id confirmare juvant exempla carditidis epidemice grassantis, ab Huxhamo (2), et Trecourtio (3) notata. Quae a Hendriksz et Huber anno 1814 inter milites obsidionis observata fuit, carditis epidemica (4), Harlessio recte monente potius ad inflammationem pericardii et pleurae, sub auspiciis constitutionis rheumaticae ortam, referri deberet.

(1) Annales Scholae clinicae Ticinensis. Pars altera. pag. 100.

(2) Oper. phys. med. T. III. p. 50. Lips. 1764.

(3) Trecourt's, Chirurg. Abhandlungen und Wahrnehmungen. Aus dem Französischen. Leipz. 1777.

(4) Huber Diss. de Carditide, quae epidemice grassabatur inter milites anno 1814 in obsidione castelli Delfzyl. Groningae. 1819.

TERMINATIONES.

1620. Carditis nonnisi raro in perfectam terminatur salutem, benignae resolutionis ope, quo quidem naturae molimina critica plurimum conferunt, sudoribus profusis, et urinarum hypostaticarum copioso secessu distincta. Quae die tertio non frangitur cordis inflammatio, parum spei relinquit, sed vel repentinam parit mortem, suffocativam aut syncopalem, vel in immedicabilia transit vitia, citius, seriusve lethalia.

1621. Inter posthuma organica, quae carditidem acutam, aut lentam excipere solent, vulgatissima sunt — effectus hypoclepseos serosae, aut lymphaticoplasticae. Hujus ratio e substrato eminenter adfecto facile concipitur, quod vix non semper cordis manticula serosa, et contiguum pericardium largitur.

1622. Uberior laticis serosi per inflammatam cordis et pericardii superficiem secretio, ejusque in cavo pericardii collectio — hydrocardiam acutam efficit, quam non raro cum alterata liquoris effusi qualitate, plerumque puriformi conjunctam observamus, facile empyema pericardii aemulantem (1). — Ubi vero secedens latex plastica eminet virtute, brevi coit et crystallisatur, unde I.) immediata cordis cum pericardio concretio (2), quae si per omnem obtinet ambitum, adparentem defectum posterioris praesentat; II.) vel genesis pseudomembranae, floccorum et villorum, cor sic dictum villosum (3). Demum et concrementa polyposa, sive coagula materiae fibrosae sanguinis in ipsis antris durante vita efformantur, ubi inflammatio maxime ad internas cordis superficies viget, casus omnino rarior, carditidis polyposae nomine insignitus (4). Diagnosis horum vitiorum maximis sane premitur difficultatibus, atque nonnisi ex signis carditidis acutae vel lentae, computatis cum defectu illorum, quae hydrocardiam, anevrysma, vel aliud alius generis malum indicare solent, desumi cum aliqua probabilitate poterit. Specialius adhuc accensentur sensus tensionis et adhaesionis in praecordiis, atque proclivitas in syncopen, dum sinistro lateri incumbunt aegri.

(1) Fabricius über eine Eitersammlung im Herzbeutel (In Harless Rhein. Jahrbüch. 1819. I B. 1. St. S. 156.)

(2) Müller (F.) Diss. de concretione morbosa cordis cum pericardio Bonn. 1825.

(3) Roux, Fr. L. de carditide exsudativa. C. tab. aen. 4. Lipsiae 1820.

(4) Maincourt de sanguineis lymphaticisque, male polypis dictis, concretionibus in corde. Paris. 1789. — Adelmann Geschichte einer Carditis polyposa. (In Harless Rhein. Jahrbüch. 1820. II. B. 1. H. S. 120.)

1623. Rariores contra sunt carditidis transitus in suppurationem, exulcerationem, steatosin, malakiam, extenuationem, incrassationem substantiae carnosae, et gangraenam. Ossificationes, haud infrequens, praesertim in senibus, valvularum metamorphosis (Diclostosis), pariter phlogoseos lentae effectus esse possunt, quatenus membranis serosis proprium sistunt adtributum.

1624. Ex hisce potioribus carditidis, tum acutae, tum lentae exitibus, facile colliguntur mutationes pathologicae, quae in cadaveribus reperiri consuescunt: rubor et turgor vasorum capillarium, speciosum rete formantium, in alterutra, vel utraque cordis superficie; transudationes lymphae coagulabilis, flavescentis, quae pro varia sui consistentia mox collectiones puriformes, mox concrementa floccosa vel pseudomembranas gignit; serum limpidum vel cruentum in cavo pericardii; concretio partialis, vel totalis cum pericardio; ostia vasorum majorum coarctata, substantia muscularis inspissata; coagula lymphatica (Gerinnsel) fibris muscularibus interstrata; fibrae ipsae pallidae, laxae, marcidae, quasi dissolutae; (cardiomalakia); polypi veri, ceu pseudorganisationes luxuriantes, quae internae faciei cordis firmiter adhaerent, vel spurii, simplicia utpote materiae fibrosae sanguinis coagula; ossificationes; exulcerationes. Plerumque una cum hisce alterationibus etiam inflammationis praegressae visibilia phaenomena, rubor insolitus, turgescentia vasorum, animadvertuntur. Quandoque autem nulla prorsus patent processus inflammatorii, recentium productorum formatione exhausti, vestigia. Qui de organicis cordis mutationibus, carditidem

acutam vel lentam sequi visis plura scire cupiunt, eximium adeant clariss. Naumanni opus (1).

(1) Naumann's Handbuch der medicinischen Klinik. Berlin. 1830. 2 B. S. 101 — 143.

1625. Mortis, quae carditidem sequitur, ratio latet semper in abolita functione cordis ad vitam absolute necessaria, quam ulterius progredi vetat: vel nimia copia sanguinis omnem reactionem opprimentis; vel paralysis efficientiae cordis nimium in modum exagitatae, ac demum exhaustae; vel mechanica obstacula circulo posita per latices effusos, polypos; vel chronica labes insanabilis; vel tandem ipsa ruptura in casu cardiomalakiae.

1626. Carditis sive acuta, sive lenta semper periculi plenum sistit morbum, qui mox intra paucos dies sua ferocia enecat aegros, ob maximam organi adfecti dignitatem, mox irreparabilia relinquit consectaria. Quapropter dum de futuro eventu praedicendo agitur, summa semper cautione opus.

THERAPIA.

1627. Juxta easdem, quas alibi praecepimus regulas, etiam cordis inflammatio tractanda; ea solum differentia, quod maxima requiratur in adhibenda methodo antiphlogistica promptitudo et liberalitas, praesertim primis morbi diebus. Hinc venaesectiones largae et repetitae, cavendo tamen ab animi deliquio, cardinale praebent auxilium. Hirudinum vero et scarificationum usum ad lentam plerumque restringimus carditidem vel potius pericarditidem. Reliqua pharmaca erunt omnis generis refrigerantia, relaxantia, aperientia, eccoprotica. Digitalis, morbo adhuc crudo, vehementi, ac in dies crescente, damnosum vel saltem summe anceps sistit remedium. Adprime vero convenit, ubi carditis versus reiteratas phlebotomias rebellis persistit, earumque ulteriorem usum moderari jubet, ob imminentem virium languorem; magis adhuc in phlogosi chronica, praesertim in connubio cum acidis mineralibus, Nitro, Camphora, Plumbo, Zinco. —

1628. Regimen diaeteticum cum prioribus in eundem scopum collimare debebit; abstinentia ab omni motu,

a cujuscunque generis irritamento, cibo eupepto, calore; tractamen potius frigidum; debitus exeretionum respectus.

1629. Pericarditis ad carditidem se habet, uti pleuritis ad pneumonitidem; absque cordis contemporanea phlogosi, vel saltem irritatione concipi nequit, propriis signis caret, nisi dolorem magis punctorium in praecordiis excipere velis, atque ex iisdem causis proficiscitur. Inde jam liquet summa diagnoseos difficultas. Imo ferme impossibilem esse carditidis et pericarditis distinctionem, Viri eximii Davis, Kreysig et Abercrombie (1), non sine jure fatentur. Caeteroquin inflammatio pericardii analogas cum illa superficiei externae cordis terminationes agnoscit, ac iisdem prorsus regulis tractatur. Illis unice in casibus majori cum verisimilitudine primitivum et eminentem phlogoseos focum in pericardio supponere licebit, ubi causae praecesserant, quas membranis serosofibrosis per excellentiam infensas esse novimus, v. g. refrigerium repentinum, aut metachoreses rheumatismi acuti; vel ubi contemporanea viget pleuritis. Qui ab auctoribus referuntur casus rheumatismi cordis (2), nil nisi pericarditides rheumaticae fuisse videntur. Synchronam cordis et pericardii inflammationem in praxi procul dubio communissimam Marcus, Professor Bambergensis, Cardipericarditidem (?) nominandam esse proposuit.

(1) Sammlung auserles. Abhandl. für prakt. Aerzte. Neue Folge. 8. B. 1824. — Bouillier Diss. sur la difficulté du diagnostic de la péricardite. Paris 1812.

(2) Cox (Thom.) Observations on acute Rheumatism and its metastasis to the heart. Lond. 1824. — Hawkins Rheumatisme and some diseases of the heart. Lond. 1826.

DIAPHRAGMITIS.

L. A. Ebeling, Diss. de inflammatione diaphragmatis. Goett. 1771.

G. M. Gattenhof, Spec. sist. paraphrenitidis rationem et curationem. In ejusd. Dissert. med. Vol. I. Heidelb. 1791.

Baehrens die Diaphragmitis in diagnostischer und therapeutischer Rücksicht. (In Harless Rhein. Jahrbüch. 1822. V. B. 1. St. S. 9.)

1630. Inflammatio diaphragmatis jam antiquis nota, ac Paraphrenitidis sive Paraphrosynes nomine indicata invenitur, quod ei tributum videtur, tum quod membranam, quae pectoris viscera ab inferioribus disjungit, διάφραγμα καὶ φρένες vocaverint, ut legitur apud Ruffum Ephesium (1), tum quod delirium, phrenitis, cui praepositum παρὰ minorem intensitatem exprimere vult, ceu essentiale habebatur symptoma. Qualiscunque autem generis fuerit insania, diaphragmatis inflammatione inducta, semper sympathicum et secundarium sistit adfectum, in nonnullis vero casibus prorsus deficit. Quare pro compellanda exactius inflammatione diaphragmatis, organi adfecti nomen sumitur, solitam affigendo terminationem itis.

(1) De corporis humani partium appellationibus. Lib. I. pag 38.

1631. Diaphragmatis structura musculoso-aponeurotica inflammationis ortui non contraria quidem est, longe tamen minus amica; — inde etiam morbi raritas haud difficulter intelligitur, quo adhuc multum contribuit, immediatum deficere illud inter et res extra nos positas commercium. Qui contra communem medicorum sententiam diaphragmatis inflammationem in praxi crebro occurrere opinantur, eam procul dubio cum adfinibus morbis confundunt.

1632. Notio diaphragmitidis, ejusque ab adfinibus morbis differentia desumitur: ex dolore acuto, vehementissimo, ardente, qui cinguli adinstar thoracis inferiora constringit, sub quolibet corporis motu, loquendi vel tussiendi conatu, ac praesertim sub inspiratione immaniter augetur; ex respiratione celeri, anxia, parva, solo ferme thorace peracta, saepius interrupta, erecto tantum trunco perficienda; ex hypochondriorum introsursum repulsione; praecordiorum tensione, tantaque interdum sensilitate, ut nequidem adtingi patiantur aegri; e febre inflammatoria acutissima cum pulsu veloci, duro, spastico, viriumque muscularium summo languore; singultu pervicaci, et tussicula sicca; convulsiva angulorum oris distorsione, quod phaenomenon risum sardonicum, alii spasmum kynicum vocant; convulsionibus musculorum abdomi-

nalium; dysphagia et molestissima constrictione pharyngis; vomitu irrito, vel porraceo; desipientia, vel furore.

1633. Pro diversitate substrati specialius adfecti nunc haec, nunc illa magis praedominantur symptomata, ipsaque diaphragmitis non solum cum inflammationibus partium confinium facile commutari, sed etiam illis copulata incedere poterit. Inde summa diagnoseos difficultas absque negotio concipitur. Quando in diaphragmatis superiori superficie contrahitur malum, qui casus frequentior esse consuevit, pleuritidem, pneumonitidem, mesodmitidem, vel pericarditidem mentitur, iisque reapse jungitur. Eminent tunc symptomata respirationis laesae. Irritata contra septi transversi tunica inferiori, sive peritonaeali, pro hepatitide, gastritide, vel peritonaeitide imponit, ac rebelli vomitu sociatur. Ad musculosam vero partem, vel ad tendineum speculum propagata, aut ibidem primitus exorta phlogosis, dirissimam praesentat morbi formam, nervosis praesertim, tum kephalicis, tum convulsivis symptomatibus stipatam; quorum ortus ex simplici sympathia non minus, quam (quod magis arridet) ex phlogistica irritatione super nervum phrenicum diradiata (Nevritis) concipi poterit.

1634. Decursus diaphragmitidis semper praeceps, summique periculi esse solet, ita quidem, ut post paucorum dierum spatium, vel suffocati, vel ex animi deliquiis, vel vero ex gangraena pereant aegri. Exempla diaphragmitidis chronicae (1) inter rarissima spectant.

(1) Aaskow, In Act. Hafn. Vol. I. p. 205.

1635. Diaphragmitis in consuetas inflammationis successiones raro nititur, tum quod structura organi non favet, tum quod brevi lethalis evadit morbus, quamprimum ad altiorem extollitur gradum. — Quae ad superficiem serosam, pleuriticam, vel peritonaealem limitatur inflammatio, quandoque coalitus diaphragmatis cum pulmonibus, hepate, aut ventriculo, alias ossificationes partiales (1) relinquit. Abscessus diaphragmatis, qui vel ex ejusdem idiopathica adfectione, vel vero e pulmonibus una inflammatis et cum septo transverso concretis originem trahunt, lethali semper eventu liquorem purulentum in ca-

vum pectoris, vel abdominis eructant. Frequentiora esse solent posthuma dynamica, et quidem particularis sensilitas, quae, minima causa data, singultum concitat, vel saltem insolitam fovet in cachinnos proclivitatem; — phaenomenon, quod etiam ab asthmate Millari relinqui vidimus.

(1) Voigtel's, Pathol. Anatom. II. 201.

1636. Excitandae diaphragmitidi prae caeteris causis, in capite de peripneumonia et pleuritide adlatis, idoneas esse novimus: vulnera, praecipue punctim inflicta; commotiones pectoris ex lapsu in podicem; aër frigidus versus thoracem solito magis calentem directus; potionis frigidae et glaciei usus immodicus; violenta et continuata diaphragmatis sub risu immodico, fletu, vel singultu agitatio; suppressio profluviorum habitualium; herpetis repulsio; cartilago xiphoidea introrsum flexa; thoracula feminarum nimis arcta.

1637. Tanti mali, quale diaphragmatis inflammatio praebet, ancipitem esse curationem, nemo inficias ibit. Est autem eo magis dubia, quo gravior fuerit morbus, praesertim a traumaticis inductus potentiis. Therapia antiphlogistica princeps et unicum offert subsidium; quare optimum factu erit, quantocyus sanguinis emissionibus incitationis compescere augmentum; leni alviductione humores deorsum invitare; diluentibus et refrigerantibus sanguinis circuitum temperare; hirudinibus juxta diaphragmatis insertionem adplicitis fomentis et clysteribus emollientibus, nec non balneis tepidis localem imminuere turgorem.

1638. Maxima vero requiritur medentis circumspectio, ne adparente virium languore, vel motibus convulsivis ad summe deleterium stimulantium usum, vel plane ad emesin, vomitus aeruginosi gratia, ciendam seducatur. — Superstes, inflammatione devicta, singultus Opium Mercurio dulci nuptum, Moschum, flores Zinci, Valerianam, aliave hujus farinae medicamina sibi exposcit.

MASTITIS ET FEBRIS LACTEA.

Chapelle, Diss. de mammarum inflammatione. Lugd. Bat. 1670.
Clubbe, Treatise on the inflammation of the breasts. Lond. 1779.

Rowley über die gefährlichen Zufälle an den Brüsten der Kindbetterinnen. Bresl. 1794.

Schamberger, Diss. de causis febris lacteae hactenus dubiis. Francof. 1805.

Benedict (T. W.) Bemerkungen über die Krankheiten der Brust- und Achseldrüsen Breslau 1825

Neuermann Commentatio med. chirurg. de mammarum morbis curandis. Rostochii 1831.

1639. Mammae, insigne illud feminarum decus, ceu organa glandulosa, numerosissimis vasis sanguiferis, ac nervis instructa, omni quidem aetatis periodo inflammari possunt, dummodo communes influant stimuli, quos generatim inflammationi producendae pares esse novimus. Tali ratione nascitur mastitis (μαζός, mamma) phlegmonosa sive biastica, quae in viris aeque, ac in feminis occurrere poterit, ex dolore, rubore, tumore, calore, duritie, atque febri comite facillime dignoscenda. Ad solam papillam limitata phlogosis, thelitis audit.

1640. Est autem adhuc alia, et quidem specifica mammarum inflammationis scaturigo, quam altilis liquoris, proli nutriendae destinati, secretio largitur. Jam a conceptionis momento major in mammillis excitatur turgor, ex admirabili eas inter et uterum consensu, qui incitatione pedetentim aucta per indies progredientem graviditatem eum in modum crescit et modificatur, ut simul specifica metamorphosis organica evolvatur, cujus ope, postquam foetus maturatus, et exclusus fuerit, novus ibidem praeparatur humor, lactis nomine notus. Sub hacce organismi feminei haud indifferenti evolutione, non solum orbes lactei justo magis intumescunt, turgent, obdurescunt, dolent, vel saltem tenduntur, verum etiam febricula irritativa ephemera, lactea communiter dicta (Milchfieber), incenditur. Quatenus haec phaenomena a puerperio, tanquam physiologica metamorphosi, pendent, quae in mulieris natura, et propagationis fine fundatur, atque cogitari nequit sine aliquali incitationis vitalis augmento; eatenus etiam extra dubitationis aleam ponitur, neque illam congestionem uberum transitoriam mastitidis, neque

febricosas illas systematis arteriosi turbas, febris morbi ideam exhibere.

1641. Quamprimum vero supradicta reactionis vitalis incitatae signa normalis moderationis cancellos excedunt, atque ad justo longius extenduntur temporis intervallum, tum omnino morbosum efficiunt statum, quem ad sola ubera restrictum, mastitidem galacticam, sive puerperalem, ad reliquam vero simul incitationem corporis propagatum febrim lacteam protractam, seu galactopyram appellamus.

1642. Intra secundum et quintum a partu diem praevio horrore et lassitudine calor subnascitur aestuans, comite kephalaea, turgore faciei, siti, levi spirandi difficultate, inquietudine, pulsibus acceleratis, plenis, duriusculis, quae cuncta symptomata quotidie vespertinis exacerbantur horis, ac versus auroram sub sudoris, acidum spirantis, secessu manifeste remittunt. Prima, vel secunda post febris ingressum die, alterutra, vel utraque inturgescit mamma, tuberosas offerens inaequalitates, tenditur, dolet, et incalescit; papillae eriguntur, aliquid seri profundunt, ac tantam plerumque contrahunt sensibilitatem, ut a minima contrectatione atroces excitentur cruciatus, unde lactandi impotentia (athelasmus), pervigilia, febris augmentum, atque sympathica glandularum subaxillarium irritatio. Inter communiora hujus febris symptomata spectant etiam miliaria alba, opaca, lactea passim dicta, non semper pro criticis habenda.

1643. Plerumque circa quintum, vel septimum a principio diem febris lactea minuitur, suffragantibus virium vitalium moliminibus, quibus modo crises evacuatoriae apostaticae, sudores profusi et subacidi, vel lochiorum lactescentium uberior fluxus; modo idiostaticae, spontaneum utpote lactis e mammillis stillicidium (galactorrhoea critica), inducuntur.

1644. Proxima causa febris lacteae comitisque mammarum inflammationis latet in specifica illa evolutione, quam organismus muliebris partu absoluto, lactis secernendi gratia, patitur. Conditiones ad genesin hujus adfectus absolute necessariae sunt: 1) Puerperium,

ceu momentum disponens; citra puerperium enim nulla obtinet lactis secretio, impossibilis proinde redditur febris lacteae origo; unde etiam febris puerperalis nomine digna. 2) Mammae, ceu substratum morbi, quae in gratiam specifici contextus, visque vitalis peculiari ratione modificatae, unicum sistunt lactei liquoris fontem; exclusa mammarum praesentia, excluditur etiam lacteae secretionis possibilitas. — An cogitari posset ortus febris lacteae in femina, cui ante partum mammae resecantur? — 3) Metamorphosis organica mammarum non solum, sed etiam totius organismi, quae post partum evolvitur, et lactis formationi innititur, ad altiorem potentiam evecta, atque redundantis humoris impedita eductio.

1645. Remotiori intuitu ad genesim febris lacteae contribuunt omnia illa momenta, quae lactis formationem intendunt, ejusque in mammis secretionem, exaltato incitationis vigore, promovent, uti victus nimis nutriens; spirituosorum abusus; status plethoricus puerperae, debito lochiorum fluxu non fractus; epidemia hyemalis; irritationes topicae quaevis, per fascias, per thoracula angustiora, suctionem violentam; quae lactis secreti exitum praepediunt, quo praesertim lactationis neglectus, refrigerium repentinum, et animi pathemata referuntur.

1646. Praemissa hacce nosogenia, facile patet, febrim lacteam oriri nequire, nisi prius topicae in mammis incitationis augmentum praecedat, quod, sive intra simplicis congestionis limites consistat, sive ad verae inflammationis potentiam evehatur, morbi essentiam constituit, atque sufficientem febris symptomaticae causam largitur, concurrentibus simul universalis evolutionis turbis.

1647. Potiora febris lacteae posthuma vel ex mammarum inflammatione graviori, vel ex praepedita lactis excretione derivantur. Huc prae aliis spectant abscessus et indurationes mammarum, quas ultimas tamen, utut diuturnas et pertinaces, nunquam in carkinoma versas vidimus. Magis funestam successionem sistunt metastases lacteae, quarum genesin e vicariis et antagonisticis secretionibus facilius, quam ex materiali laticis lactei migratione concipi posse existimamus. Communes esse solent

illis febribus laeteis, in quibus, vel propter maximum gradum phlogoseos mammarum, vel propter alias causas, lactis secretio supprimitur (galactischesis). Inde parotides, abscessus sic dicti lactei in artubus, lochiorrhoea lactiformis, melancholia et mania originem petunt. Dementias, per anomalum puerperium inductas, pertinaces quidem esse, recenti tamen graviditate sponte solvi, pluribus casibus edocti sumus.

Wolff, Diss. de metastasi lactea. Bon. 1796.

1648. Lethales febris lacteae exitus vel a metastatica enkephalitide, vel a contemporanea metritide puerperali, vel a mutato charactere inflammatorio in nervosum aut septicum, dependent.

1649. Perspecta mastitidis puerperalis, comitisque galactopyrae inflammatoria indole, nulla in formandis indicationibus occurrit difficultas. Methodus antiphlogistica in morbo regulari et recenti princeps praebet subsidium; venaesectio, alviductiones moderatae, salinis praesertim citae remediis, quae inter arcanum duplicatum et sal amarus eminenter laudari solent; potus emollientes, temperantes, — uti emulsa, ptisanae, acida, — vel diaphoresin leniter moventes, uti sambucina; victus tenuis. Ab omnibus, quae reactiones vitales exstimulare valerent, uti sunt aromata, vinum, calor nimius, animi commotiones, corporis exercitia, sedulo cavendum.

1650. Mammis nimium in modum repletis, turgidis, et dolentibus medemur fomentis siccis, suctu tempestivo, vel artificiali lactis, cucurbitularum ope, extractione. Si vero inflammationis altior exstiterit gradus, mammillae cataplasmatibus emollientibus fovendae. Inflammatas et excoriatas papillas cremore lactis, butyro Cacao, vel mucilagine seminum Cydoniorum illiniendas suademus.

1651. Eodem tempore diligens habeatur lochiorum respectus, quorum justo parcior secretio pediluviis, epithematibus laxantibus, vel spongia madefacta sinui admota optime promovetur. Aristolochica quaevis damnosa sunt.

1652. A mastitide galactica distinguere oportet alias inflammatarum mammarum species, quarum origo, etsi durante puerperio nascantur, ex accidentalibus derivatur

causis, plurimum mechanicis, ut e laesione traumatica, suctu violento, morsu, etc.

1653. Occurrunt denique adhuc in praxi sympathicae quaedam mammillarum irritationes, ex intimo eas inter et systema sexuale consensu oriundae, quas in puellis pubertati proximis, vel in aliis feminis tempore catameniorum periodice comparere videmus. Quamvis interdum notabilem tensionis et turgoris gradum offerant, ad phlogoseos potentiam tamen vix unquam extolluntur, sed primitiva uteri turgescentia composita sponte evanescunt.

D. INFLAMMATIONES ABDOMINALES.

PERITONAEITIS.

Walther, de morbis peritonaei. Berol. 1785.

Laennec, Histoires d'inflammations du péritoine. Paris 1804.

Van Leeuwen Spec. inaug. de peritonaeo ejusque inflammatione. Ultraj. 1819.

Bates Practical Treatise on acute abdominal and pelvic inflammation, containing a comprehensive clinical view of inflammation of the Stomach, Bowels, Peritonaeum, etc. Lond. 1829.

1654. Negari quidem nequit, membranis serosis eam inesse proprietatem, ut seorsim pati queant, quin viscerum, quae ab illis recluduntur, munus notabiliter adfectum adpareat. Id tamen de illis tantummodo censendum adfectibus, quorum origo in specifica, vel mere relativa potentiarum excitantium actione fundatur, uti esset rheuma, vel contagiosa labes; nunquam vero de absoluti cujusdem stimuli effectu, qualem esse supponimus inflammationem phlegmonosam. Quare phlogosin membranae serosae, viscus quoddam investientis neque concipere, neque dignoscere poterimus, nisi contemporanea existat ipsius visceris laesio. Limitamus itaque nomen Peritonaeitidis (περὶ circum, et τείνω tendo) ad inflammationem, vel simplicem congestionem peritonaei, quo loco viscera non ambit, membranae utpote serosae internam parietum ventris superficiem obducentis.

NOSOGRAPHIA.

1655. Symptomata eminentiora, e quibus ad cognitionem peritonaei inflammati pervenimus, sunt: dolor acutissimus, urens, aut punctorius, per totum abdominis ambitum aequabiliter diffusus, non quidem prorsus superficialis, sed neque nimis profundus, omnem reformidans tactum, sub contractione musculorum abdominalium auctus, continuus, vel obscure remittens; anxietas; respirium acceleratum; febris inflammatoria comes; defectus signorum, quae visceris cujusdam inflammationem indicare consuescunt. — Ast nonnisi raro haec symptomata adeo solitaria observantur, ut quodvis deficiat synchronae splanchnitidis indicium, praesertim enteritidis, quae summe familiarem ejus copulam constituit. Diligentia et replicata extispicia a Morgagno, aliisque scrutatoribus instituta idem confirmarunt; quapropter recentiorum quidam segregatam peritonaeitidis a viscerum inflammationibus consideratione prorsus negligendam esse credunt (1).

(1) Portal, über die Entzündung des Bauchfelles. (In den Rheinischen Jahrbüchern von Harless. Band I. St. 2. pag. 117 — 129.)

1656. Peritonaeitidem cum securitate ab aliis viscerum abdominalium inflammationibus distinguere vetat membranae peritonaei intimus cum interna contentorum superficie nexus, et consensus, immediatusque contactus, nec non defectus eminentis functionis, e cujus laesione ad topicam tuto concludi posset adfectionem. Neque ejusmodi subtilis distinctio ad modificandam therapiam multum contribuit; in praesagiendo tamen eventu futuro semper aliqualem sibi vindicat valorem.

1657. Praeeuntibus variae intensitatis horripilationibus, intensus evolvitur aestus cum siti, kephalaea gravativa, turgore universali, cui illico dolores subnectuntur lancinantes, ab initio vagi, sensim sensimque per totum extensi ventris ambitum, adeoque vehementes, ut nec tangi prae dolore abdomen possit. Sub inspiratione, tussi, nixu, corporisve erectione omnes cruciatus et tensiones augentur, unde aegri continua anxietate oppressi, decubitu supino,

crura sursum adtrahendo aliquod saltem sibi conciliare student levamen. Vomitus sympathicus in gravi malo vix unquam deest; alvi tamen constipatio minus constans, quam in enteritide. Pulsus arteriarum veloces, duri, parvi et spastici, quos universim dolorificis membranarum serosarum inflammationibus familiares esse novimus, etiam peritonaeitidem constanter comitantur, maxime si intestina simul irritata fuerint, quod frequentissime accidit.

1658. Postquam peritonaeitis die septima, nona, undecima, vel decima quarta summum adtigit culmen, mox sub consuetis evacuationibus criticis, sudoribus, urinis, vel metrorrhoea solvitur, mox sine ullo manifesto molimine critico pedetentim ad decrementum perducitur. Lenta peritonaei congestio, quae vitiorum organicorum fidelis esse consuevit comes, definitum non agnoscit decursum, sed per septimanas, imo menses quandoque perdurat, clandestine serpens, ac ob defectum certorum signorum facile praetervidenda.

1659. Quae de pleuritidis divisionibus subjunximus, exacte ad peritonaei inflammationem adplicari possunt. — Principales ideo differentias offerunt: quoad decursum, peritonaeitis acuta et chronica, simplex et comitata, regularis et anomala; — quoad indolem specialem, phlegmonosa et rheumatica; — quoad substratum et sedem, totalis et partialis, membranacea et muscularis, antica et dorsalis. — Obscurissima sunt symptomata peritonaeitidis dorsalis, quae adeo facili negotio cum myelitide, mesenteritide, nephritide, vel psoitide, nec tamen cum tanto aegrorum damno, confunditur. — Differentias diagnosticas peritonaeitidis contemporanea visceris cujusdam phlogosi comitatae, qualis foret entero-peritonaeitis, metro-peritonaeitis, et s. p. subministrant omnia illa symptomata, quae eis speciatim competunt, suo loco adsignanda.

1660. Inflammatio musculorum abdominalium, Myïtis abdominalis, quam Dodonaeus (1560) primus observavit (1), et magnus Petrus Frank peritonaeitidis muscularis nomine exactius depinxit (2), difficulter a mem-

branae serosae subjacentis phlogosi distinguitur. Signa, quae ad rariorem huncce adfectum referuntur, sunt: abdominis sensibilitas, frequentius circa umbilicum quam alibi, ut nec minimum aegrotantes perferre valeant adtactum; dolor ad certam fornicis abdominalis regionem fixus, ardens, sub contractione musculorum abdominalium immaniter crescens, calor ejusdem loci auctus; durities et circumscriptus tumor, quem fibrae musculares distorsae, vel effusa in vaginis lympha coagulabilis producit; causae demum myitidi producendae idoneae, quas inter laesiones traumaticae, et praesertim fibrarum muscularium sub nixu violento, ponderisve elevatione dislocationes principem tenent locum.

(1) Sprengel, pragmat. Geschichte. 3. B. S. 171.
(2) Epitome de curand. hom. morbis. T. II. §. 215.

1661. Peritonaeitidem rheumaticam distinguunt: dolor vagus, per vices manifeste crescens, iterumque remittens; febris mitior; diathesis rheumatica cum doloribus, vel tensionibus artuum, sudoribus profusis, et urinis hypostaticis; causa praegressa in atmosphaerae injuriis, et temperaturae vicissitudinibus reponenda.

CAUSAE.

1662. Eminentem in peritonaei phlogoses dispositionem cuncta illa patefaciunt subjecta, quae plethoram quandam abdominalem fovent, vel quibus peritonaeum insolitas et replicatas patitur tensiones. Ita dispositos esse novimus homines obesos, laboriosos, haemorrhoidarios, herniosos, testiculorum vitiis adfectos; feminas gravidas, parturientes, puerperas, quibus catamenia parce et irregulariter fluunt.

1663. Causis occasionalibus adnumerantur omnes potentiae incitantes, phlogosin producere solitae, dum earum versus peritonaeum dirigitur actio, atque nonnullae specialiores abdominis organis infensae: vulnera, contusiones, ictus; violentae musculorum abdominalium contractiones sub tussi, vomitu, lucta, ponderum gestatione, corporis contentione, quibus peritonaei tensio, status

herniosus, vel saltem subherniosus viscerum ventre reclusorum inducitur; bracheria inepte adplicita; herniae incarceratae, earumque operatio; testiculorum descensus impeditus, vel neglectus suspensorii sub eorum tumore praegrandi usus; abortus; partus difficilis; puerperium anomalum; mensium et lochiorum fluxus suppressus.

1664. Peritonaeitidis secundariae et symptomaticae fons in metastasibus et metaschematismis varii generis non minus, ac in viscerum abdominalium inflammationibus quaerendus. Prae caeteris autem intestinorum et uteri phlogoses ad contiguum propagari solent peritonaeum. Inde fit, ut non solum enteritides et metritides graviores, sed etiam leviores eorundem organorum congestiones, quas v. g. sub menstruatione, vel puerperio nasci videmus, abdominis peritonaealem superficiem in consensum trahant, atque facili negotio pro peritonaeitide idiopathica imponere possint. — Refrigerium, aliaeve injuriae atmosphaericae ad rheumaticam potius ducunt peritonaei inflammationem.

TERMINATIONES.

1665. Peritonaeum, ceu membrana serosa, paucissimis instructum vasis rubris, atque nervis prorsus carens, ut physiologi defendunt, processum verae inflammationis subire nequit, nisi summe violenti accedant stimuli; vel simplex irritatio, in praxi longe communior, sub concursu potentiarum incitantium ad altiorem evehatur gradum. Inde etiam liquet rarior, quem omnis aevi experientia abunde confirmat, peritonaeitidis in metamorphoses pathologicas, sive abnormia productionis alteratae producta nisus, praesertim in suppurationem, indurationem, gangraenam. — Dum autem ejusmodi vitia inflammationem peritonaei sequi observantur, tunc vel stimuli positivi violentam, aut saltem continuatam actionem, vel successivam membranae serosae, per diuturnas et recidivas congestiones, in organon haematophorum permutationem supponunt. Id prae caeteris adhuc corroborare juvat rarior peritonaeitidis acutae, et praesertim rheumaticae, e causis dynamicis ortae, — frequentior contra chronicae in vitia organica transitus.

1666. Inter vulgatissimas peritonaeitidis successiones pertinent diversae hypoclepseos species, quarum genesis duplici concipitur ratione. Quousque irritativus status peritonaei intra simplicis congestionis limites consistit, transudatio ex sola vasorum exhalantium incitatione aucta derivanda; quamvis enim irritationem in organis secernentibus secretio justo magis incitata constanter comitatur. Lenta in hocce casu habebitur hydropis origo, neque notabiliter alterata esse solet liquoris serosi qualitas. — Quamprimum vero congestio activa ad inflammationis verae potentiam extollitur, sublata inter sphaeram irritabilem et reproductivam vasorum capillarium indifferentia; per vigentem processum phlogisticum praesertim altiorem, exhalationis et secretionis officium quidem supprimitur pro momento, illo autem ad maturationis culmen perducto critica sequitur explosio, atque humores serosi majori copia versus partem irritatam invitati, ibidemque diversimode alterati vinculis solutis secedunt, ac ejus, in quod patent, cavi inundationem creant, sub forma criseos idiostaticae erroneae. Magis celerem sub hac rerum positione, ac non raro repentinam esse effusionis morbosae genesin, ipsiusque materiae suffuratae qualitatem plerumque alienatam et ratio suadet, et observatio convincit.

1667. Effectus transudationis notabiliter variant pro diversitate qualitatis, quam secretio serosa sub decursu phlogoseos vitiata contrahit. Seri liquidi ac limpidi in abdominis cavum effusio hydrokoeliam simplicem efficit; materiei contra magis albuminosae, vel puri analogae collectio askitis lymphatici, aut puriformis formam creat. — Plastici demum, ac cito coëuntis fomitis secessus concretiones morbosas peritonaeum inter et superficiem intestinam viscerum contentorum, vel pseudomembranas, et callositates diversae crassitiei generat. Coalitum vero duarum superficierum organicarum fieri nequire, nisi utraque inflammata prius fuerit, jam alibi monuimus.

1668. Hydropis peritonaealis partialis specimen offert collectio laticis serosi in sacco hernioso. — Hujus cum omento vel intestinis inclusis cohaesio, quam haud raro invenire licet, nihil aliud est, nisi effectus hypoclepseos

lymphatico-plasticae, quam lenta phlogosis in peritonaeo et serosa intestinorum superficie produxit.

1669. Rariorem metamorphosin morbosam peritonaei, chronicae inprimis phlogoseos posthumum, offerunt tubercula; quae quidem antiquioribus medicis ignota non erant, a Boneto praesertim et de Haenio notata, clarius tamen recentiorum quorumdam observationibus illustrata innotuerunt. Tubercula peritonaei mox mere topicum sistunt adfectum, mox universalis diatheseos, (quod quidem crebrius accidit,) effectum, contemporanea metamorphosi pseudoplastica ejusdem generis in aliis quoque organis conspicua.

J. Baron, An inquiry illustrating the nature of tuberculated accretions of serous membranes etc. London 1819.

1670. Perspecta simplicissima peritonaei fabrica, ejusque minori in conservando processu biotico dignitate, facile liquet, peritonaeitidem lethum directe adducere nequire, nisi alia in sphaeram reactionis morbosae trahantur viscera, vel eorundem functio organicis degenerationibus laedatur.

1671. Quidquid autem de terminationibus peritonaeitidis, viscerum abdominalium inflammationes comitantis, atque de signis, e quibus ad funesti exitus praesentiam concludere fas est, notari meretur; ex earundem monographiis serius patebit, ac ideo hic loci, superfluae repetitionis evitandae gratia, lubenter omittitur.

THERAPIA.

1672. Generales curandae inflammationis regulae etiam peritonaeitidi adprime convenient, habito semper substrati adfecti, atque praevalentis characteris respectu. Venaesectio in morbo graviori, etsi propter pulsus parvos et spasticos minus necessaria videretur, non solum instituenda, sed etiam pro casus necessitate repetenda. Hirudinum dolenti regioni adplicatarum in minuendis velamenti abdominalis, et praesertim musculorum congestionibus multo major esse solet efficacia, quam ubi de viscerum inflammatione agitur; cujus quidem ratio e vasorum anasto-

mosibus facile intelligitur. Reliquas indicationum paginas absolvere juvant remedia leniter eccoprotica, emollientia, potiones refrigerantes, balnea, semicupia, fomenta tepida, unctiones oleosae, clysteres aperientes, aliave ad adparatum antiphlogisticum spectantia.

1673. Una cum mox recensitis adminiculis scrupulose combinanda, si fieri potest, causae producentis indago et amotio. Ita visceris herniosam strangulationem chirurgica manu solvere, menstruationem languentem expedire, testium vitia emendare oportebit. — Fracta phlogosi, et imminente hypoclepseos periculo, prompta revulsione per vesicantia suris, aut ipsi abdomini admota succurrendum. — Repentina effusio in cavum abdominis parakentesin postulat. — Specialiores, quibus cura peritonaeitidis obnoxia esse potest, modificationes, atque modus ejus posthumis medendi, ex tractatu enteritidis alioquin patebunt.

EPIPLOITIS.

Halder, Diss. de morbis omenti. Goett. 1786.
Berends, Diss. Epiploitis. Regiom. 1788.
Vallot, Diss. de morbis omenti. Vesunt. 1792.

1674. Easdem difficultates, quas in dignoscenda peritonaeitide invenimus, vix non in majori gradu offert inflammatio omenti, perperam omentitis, rectius epiploitis dicta. Nequaquam tamen rara dici potest haec inflammationis forma, quin imo priori crebrior esse solet, cujus etiam ratio ex ipsa structura facile conjicitur; omenta enim, quae peculiares sistunt peritonaei productiones, bursam quasi clausam repraesentantes, majori vasorum rubrorum copia irrigantur, ac notabili vesicularum adipi secernendo dicatarum numero scatent, unde characterem magis arteriosum adipiscuntur.

1675. Symptomata, quae ad inflammationem omenti referuntur, sunt: dolor in epigastrio, versus umbilicum protensus, fixus, urens; sensilitas partis eum in modum aucta, ut omnem reformidet adtactum; abdominis tensio et durities; anxietas; vomitus; febris inflammatoria comes. Haec tamen omnia phaenomena nonnisi sub altiori gradu

morbi evolvuntur, quo in casu plerumque cum signis inflammationis viscerum contiguorum, hepatis, ventriculi, vel intestini coli nupta incedere solent.

1676. Levior contra epiploitidis gradus interdum adeo clandestine delitescit, ac serpit, ut etiam summe periti medici adtentionem effugiat. Neque desunt exempla diversarum omenti degenerationum in peremptis inventarum, quas inflammationis chronicae constantes effectus esse novimus, quin praegressae phlogoseos signa adparuerint; quo quidem organi minor in oeconomia animali dignitas plurimum confert. Ita Ruyschius memorat consumptionem totius omenti post mortem inventam, quin durante vita aliquod mali indicium praecederet. Ipse Galenus gladiatoris vulnerati mentionem facit, cui integro ferme omento exscisso, nullum, praeter abdominis frigus, accidit incommodum. Pariter novimus varias omenti portiones sub herniotomiis recisas, vel ligatas fuisse, absque notabili aegrorum damno, ast semper pedissequam induxisse inflammationem; quo in casu epiploitidis diagnosis majori cum certitudine institui posset, etiamsi isochrona phlogosis peritonaei vix unquam deficiat.

1677. Causis epiploitidem progignere solitis adnumerantur: vulnera, contusiones, herniae incarceratae, praesertim illae, quae partem omenti (epiplokele), vel intestini coli includunt; refrigerium; metastases. Symptomaticam et secundariam omenti phlogosin excitant irritamenta in organis vicinis, eorumque inflammationes; puerperium; vitia organica ventriculi et hepatis.

1678. Crebriores exitus sunt: 1) Suppurationes lentae, quibus non raro integrum omentum gastrocolicum consumptum deprehendebatur; inde phthisis epiploica, vel pyokoelia lethalis. Quandoque pus per umbilicum sibi viam sternere visum est. 2) Symphyses cum ventriculo, hepate, intestinis, peritonaei fornice, unde vomitus rebellis, cardialgia, colica, incarcerationes internae, hydrokoelia, diarrhoea chronica. 3) Induratio et parectama panniculi adiposi inter omentorum lamellas positi; quae physconiam epiploicam, aliasque chronicas labes inducunt. 4) Gangraena, quae praesertim inflam-

mationem omenti ex strangulatione herniosa excipere consuevit.

1679. Cura hujus inflammationis nullas prorsus agnoscit particularitates. Praeter generales canones therapeuticos, omnia illa huc referri debent monita, quorum in capite de gastritide et enteritide fusior mentio fiet.

MESENTERITIS.

Eberhard, Diss. de statu mesenterii naturali et praeternaturali. Jen. 1755.

Barth, Diss. de glandularum mesaraicarum inflammatione. Halae 1821.

1680. Diagnosis mesenterii inflammati priori vix non obscurior redditur, ob profundam organi sedem, ejusque intimam cum intestinis connexionem. — Symptomatum a practicis adsignatorum seriem constituunt: dolor profundus, a spina dorsi versus umbilicum extensus, urens, fixus, assiduus, sub tussi, sternutatione, trunci motu, et quavis contrectatione rudiori crescens; alvi oppilatio; vomitus; febris inflammatoria; quandoque tumor inaequalis, et durities quasi nodosa in medio ventris. His adhuc ischuriam renalem, ceu constans phaenomenon adjungit R. Willan (1), praesertim dum infantes hac labe adficiuntur, quorum cadavera rimando, intestina et mesenterium inflammata, glandulas mesaraicas tumidas, atque vesicam urinariam vacuam invenisse testatur.

(1) Medical Facts and Observat. Tom. III.

1681. Rara est mesenteritis idiopathica, primaria, acuta, et simplex; frequentior symptomatica, secundaria, chronica, et complicata. Nunc enim comitem enteritidis, peritonaeitidis vel nephritidis; nunc effectum vitiorum organicorum in glandulis mesaraicis, aliisve partibus vicinis constituit. Utroque in casu chronicum libenter sequitur decursum, ac non raro adeo occulto serpit modo, ut nonnisi post aegri obitum solitis inflammationis exitibus patefiat.

1682. Mesenteritis juniori praesertim insidiatur aetati, atque tunc communissimum scrofulae mesentericae co-

mitem sistit, nunc pro ejus causa, nunc pro effectu secundario declaranda.

1683. Potiora inflammationis mesenterii, praesertim chronicae consectaria sunt: glandularum chyliferarum indurationes, tubercula, skirrhi, parectamata, abscessus, et exallaxes variae; earundem utpote in massas caseosas, lardaceas, aut melliformes metamorphosis. Inde variae calamitates, plurimum insanabiles, suam repetunt originem, quas inter notari merentur: consumptio saniosa musculorum lumbalium, caries vertebrarum, claudicatio, paresis artuum inferiorum, nephritis et urinarum suppressio, phthisis mesenterica; askites serosus aut purulentus.

Nootnagel, Diss. de abscessu mesenterii. Hal. 1712.
Hebenstreit, Diss. de scirrho mesenterii. Hal. 1756.

1684. Cura mesenterii inflammati ab illa enteritidis nullatenus differt, nisi peculiares quasdam excipere vellemus modificationes, quas chronica mesenteritis ob diathesin scrofulosam, cui adeo frequenter nupta esse solet, sibi exposcit.

GASTRITIS.

Henning, Beschreibung der Kennzeichen und der Cur der Entzündung des Magens und der Gedärme. Coppenh. 1787.
Johnston, Tentamen de gastritide Edinb. 1790.
Quicieux Essay sur la gastrite, ou l'inflammation de l'estomac. Paris. 1811.
Malin Diss. de gastritide. Berol. 1819.
Pohl (Fr. G.) Diss. sistens collectanea quaedam de gastritidis, morborumque, qui eam sequuntur, pathologia. Lips. 1822.
Czermak (J. C.) Diss. de gastritide. Pragae 1822.
Broussais Vorlesungen über die gastrischen Entzündungen. Nach der 2. Ausg. übers. von Fleck. Rudolstadt 1829.

1685. Ventriculum, ceu organon vasis nervisque ditissimum, summe sensile, ac mirabili consensu cum universo corpore nexum, cunctis per eminentiam pollere conditionibus, quae ad inflammationis genesin requiruntur, cuivis notum est. Nihilominus tamen nequaquam adeo frequens dici potest vera gastritis, quam a priori crederetur, vel a quibusdam medicis habita fuit (1). Videtur continua

stomachi cum stimulo ciborum colluctatio, atque naturale quoddam organi robur pro tanto, quale digestio est, munere absolute necessarium, minoris sensilitatis, saltem in superficie externa, sive mucosa, rationem sistere; unde fit, eam a stimulis relativis vix ac ne vix quidem ad morbosas incitari reactiones, nisi particularis faveat diathesis, ex parte individualis, vel epidemicae constitutionis derivanda. Longe faciliorem contra gastritidis originem, e potentiis etiam levioribus, esse novimus, dum earum actio versus internam superficiem, aut versus nervorum epigastricorum plexus dirigitur, quibus tanto eminentior inest sensilitatis organicae gradus, quod centro sphaerae gangliaris proximi sint, et quod mediante nervo vago cum enkephalo intime cohaereant. Quam recentiorum multi, clariss. Broussais doctrinam amplectentes, in cunctis ferme febribus supponunt, gastritis vel gastro-enteritis, mox merum praeoccupatae mentis phantasma sistit, mox simplicem tantum tunicae mucosae ventriculi et intestinorum irritationem praebet, phlogoseos nomine haud dignam. De hocce statu pathologico in capite de febribus catarrhosis, et gastricis scitu necessaria exponentur.

(1) Fr. Hoffmann, de gastritide frequentissima.

1686. Substratum speciale largiuntur singula tunicarum, quibus stomachus componitur, strata. Quamquam interdum plus minusve separatas, vel saltem eminentes unius alteriusve tunicae phlogoses observare liceat, praesertim ubi specificae, aut mere relative incitantes causae ventriculi incendium produxerunt, quemadmodum id de gastritide catarrhosa et rheumatica valet, quarum prima membranam externam mucosam, altera internam serosam eminentius adfectam agnoscit; — nihilosecius tamen gastritidem phlegmonosam, e violentioribus utpote causis productam, etiamsi modo in una, modo in altera tunica princeps delituerit phlogoseos focus, nunquam ad unam superficiem limitatam cernimus.

NOSOGRAPHIA.

1687. Potiora, quae inflammationem acutam ventriculi distinguunt phaenomena, sunt: dolor atrox ardens,

fixus, assiduus ad scrobiculum cordis, quem levissima immaniter exacerbat compressio, ita quidem, ut neque consuetum stragulorum pondus perferre valeant; nausea continua; vomitus dolentissimus, chymosus, porraceus, vel inanis, tantusque stomachi erethismus, ut quaevis ingesti, sive solidi, sive liquidi portiuncula illico cum violentia eructetur; regionis epigastricae tensio et inflatio; anxietas praemagna; singultus; sitis inexplebilis cum frigidae desiderio, qua ardoris intestini molestissimum sensum minuere student; prostratio virium animalium summa; eclyses transitoriae, febris inflammatoria cum pulsibus velocissimis, duris, parvis, contractis, filiformibus, saepe inaequalibus.

1688. Praegresso utplurimum horrore valido, universalis evolvitur aestus, cui illico mox citata junguntur phaenomena, si non omnia, saltem plura. Morbus citissimo crescit passu, atque in decursu alios quoque lubenter evolvit satellites, qui phlogoseos vehementiam, stomachi summam sensilitatem, ejusque cum diversis partibus philadelphiam, ac isochronam organorum vicinorum irritationem sequuntur. Haec inter prae caeteris notasse juvat inquietudinem et jactationem, ejulatus, deliria, oculorum rubedinem, praesertim in toxicatis, faciem collapsam, vultum desperabundum, animi deliquia, extremorum frigus, alvi constipationem, atque sudores copiosos, tormentorum violentia extorsos. Propter maximos, quos aegri a propinato potu patiuntur cruciatus, ejus aversatio cum spastica gulae constrictione, species hydrophobiae nascitur, cui in junioribus convulsiones crebro junguntur.

1689. Nisi phlogoseos frenetur impetus, intra paucos dies eum in modum crescit periculum, ut subortis convulsionibus, debilitate maxima, mentis constante aberratione vel sopore, membrorum marmoreo frigore, atque continuante irrito vomendi conatu miserrime excruciati aegri gangraenae efformatae mortiferum sequantur nutum.

1690. Plurimum sane interest, ut gastritis non adeo a contiguorum viscerum phlogosi, sed maxime ab aliis ventriculi adfectibus non inflammatoriis scrupulose distinguatur.

1691. De inflammatoriis loquendo morbis, confundi potest cum enteritide, epiploitide et peritonaeitide. Ubique tamen deficit immanis ille ad scrobiculum cordis dolor, pervicax, post quemvis mox adsumptum potum vel cibum, vomitus, anxietas praecordialis, virium insignis prostratio, ac facilis in eclyses pronitas. Difficilior quandoque esse solet gastritidis ab inflammatione hepatis distinctio, praesertim dum hujus lobus sinister adficitur, quem non raro super stomachum usque ad splenis regionem protensum esse posse, sectiones defunctorum docuerunt. Deest in hocce casu, saltem a morbi principio, intolerabilis ille ad stomachum dolor et fervor, a quovis adsumpto crescens, nec vomitus tam cito, ac sub tantis angustiis excitatur, nec pulsus adeo mire contracti et exiles, nec virium tanta dejectio comparent.

1692. Inter alias aegritudines non phlogisticas, quae gastritidem mentiri, et si pro ea habentur, facile ad damnosam medendi rationem ducere possunt, spectant febris biliosa, cholera et cardialgia spasmodica.

1693. Etiamsi sub decursu febris biliosae interdum notabilis evolvatur ventriculi erethismus, quin imo manifesta irritationis, ab acrioris bilis stimulo pendentis, signa occurrant; ideo tamen gastritidis praesentiam suspicari nondum licet. Defectus phaenomenorum inflammato stomacho propriorum, atque manifesta saburrae, et bilis undiquaque praevalentis indicia, uti vomitus continuo biliosus, lingua sordida, sopor amarus, hepatalgia obtusa, albuginea flava, vel polycholia universalis, in connubio cum cognitione causae producentis, geniique epidemici aestivi, differentiam utriusque adfectus sat clare indicant.

1694. Cholera, ceu praeceps et frequens per os et anum evacuatio, — sive merum symptoma, passionem utpote eminentem (πάθος) irritationis catarrhalis per fistulam alimentarem diffusae, aut saburrae ibidem collectae, constituat, sive autonomum illud morbi genus (νόσος), quod ab aliquot annis totum fere orbem inexorabili depopulatur saevitie, — a gastritide defectu doloris acuti ad stomachum, omnem contrectationem reformidantis, et febris inflammatoriae abunde discrepat.

1695. Cardialgia demum spasmodica, etiamsi quoad dolorem igneum ac fixum, virium prostrationem et leipothymiam primo intuitu aliquam cum gastritide similitudinem offerat, differt tamen febris, vomitusque rebellis absentia, et, quod maximum est, accessibus brevibus, manifeste remittentibus, vel plane intermittentibus. — Causarum denique excitantium adtenta indago, in similibus diagnoseos dubiis dilucidandis, maximum respectum meretur.

1696. Praeter diversas, quas gastritis cum aliis inflammationibus communes habet divisiones, praecipui valoris esse existimamus discrimina, quae indoli specificae, substrato, et decursui innituntur. Summe essentialis partitio gastritidis est in phlegmonosam, catarrhalem, et rheumaticam, habito utpote naturae specialis et substrati eminenter adfecti respectu. Gastritis phlegmonosa, sive phlegmone ventriculi, qualemcumque texturae stomachi partem plectit, ex positivis sine ulla distinctione, et plerumque violentis stimulis proficiscitur, atque generales solum inflammationis characteres offert, specificis notis destituta. — Gastritis catarrhalis mucosam pro substrato agnoscit tunicam, ex potentiis relative incitantibus originem trahit, quibus functio cutis et systematis mucosi laeditur, obtuso dolore, ac uberiori pituitae, per vomitum ejectae, secretione stipatur, talique pacto specificum quemdam praebet characterem, in substrati natura et nosogenia fundatum. — Gastritis rheumatica serosum prehendit velamentum, ex analogo, qui priorem generat, fonte nascitur, modo tamen diverso construitur, atque particulares quasdam ex parte substrati notas sub decursu patefacit, uti dolorem acutissimum, sed inconstantem, vomitum minus violentum, nisum in metaschematismos, atque specificae diatheseos rheumaticae indicia. Eandam sistit formam, quam alii erysipelaceam appellant, epitheto fors minus adaptato; cum erysipelatis nomine nonnisi dermati propriam insignire soleamus phlogosin. Differenticae diagnosticae harum gastritidis specierum e doctrina inflammationum specificarum adhuc clarius patebunt.

1697. Qualiscunque autem specialioris indolis fuerit inflammatio stomachi, quoad decursum in a c u t a m et c h r o n i c a m subdividi consuescit. Prior intra quinque septemve dies suum absolvit cyclum definitum, haud ambiguo discrimine juncta. Altera sine lege per plures septimanas, imo menses excurrit, permanentis cujusdam irritamenti, vel vitiorum ventriculi organicorum fidelis comes; ac non raro adeo dolose delitescit (gastritis occulta), ut consuetis defecta signis, sagacioris quoque observatoris adtentionem effugere soleat, praesertim dum minus sensilis tunica villosa sedem morbi sistit (1).

(1) De Haen, Rat. med. T. IX. p. 24. — Max. Stolii, Rat. med. T. III. p. 384.

1698. Potioribus g a s t r i t i d i s c h r o n i c a e signis adnumerantur: dolor ad epigastrium fixus, continuus, ardens, vel ejus loco sensilitas duntaxat major, contrectationis impatientia, sensus ponderis et plenitudinis, quae omnes molestiae post cibum adsumptum increbescunt, maxime autem ab aromaticis et spirituosis exacerbantur; lingua praeter morem rubra, praesertim ad apicem et margines, in medio mucosa, saepe fissa, vel aphthis obsessa; plerumque anorexia et insuperabilis alimentorum aversatio, rarius fames insolita; oris siccitas et ardor cum siti aucta; constrictio gulae; ructus, vomituritiones, ipseque vomitus ingestorum vel solius humoris gastrici; tussicula sine sputis, oculorum conjunctivae suffusio levis; physiognomia tristis, facies collapsa, rugosa; animus iracundus, morosus; pulsus parvi et celeres absque manifestis pyrexiae indiciis, nisi vespertinas excipias horas; macies universalis indies crescens cum singulari partium mollium rigiditate (marasmus); cutis decoloratio ad ochraceam vergens; alvus pigra, remediis purgantibus aegre obediens, vel ex adverso proclivitas ad diarrhoeam. Inter symptomata mali ominis clariss. B r o u s s a i s notat peculiarem brachium extendendi difficultatem. — Quae vitia organica ventriculi aut hepatis comitatur, gastritis diutina, illorum quoque copulata incedit symptomatibus.

C h a i g n e a u Diss. sur la gastrite chronique. Paris 1823.

Jaenecke Diss. de Gastritide chronica. Berol. 1830.
Parona Diss. de Gastritide chronica. Ticini 1831.

CAUSAE.

1699. Peculiares, quae ventriculi inflammationi faverent, dispositiones non existunt, nisi generalia excipere vellemus momenta, quae universim inflammationum genesi obsecundant, morboso ventriculi erethismo nupta, atque procatarcticas potentias leviori in gradu stomachum offendentes.

1700. Causas occasionales offerunt quaevis incitamenta mechanica, vulnera, ictus, contusiones, peregrina deglutita, uti vitrum tusum, aciculae, aristae, ossa acuta, nuclei fructuum; ventriculi oppletio nimia; cartilago xiphoidea introrsum curvata; thoracula nectilia nimis arcta. Ast vix non crebrius adcusari debent substantiae diversae, nomine alimenti, medicamenti, aut veneni ingestae, quae chemicis ventriculum irritant virtutibus: cibi acres, aromata; potus spirituosi, et fermentantes, quorum excessiva quantitas semel absumpta acutam, protractus autem minoribus dosibus usus chronicam gastritidem invitat; medicamina emetica, drastica phlogistica, venena corrosiva, uti Arsenicum, Mercurius sublimatus corrosivus, Aerugo, Tartarus stibiatus, Cantharides, Phosphorus; — producta secretionis et reproductionis vitiatae, uti bilis corrupta, vermes, ichor e faucibus depluens, succus gastricus acrior, qualis in famelicis generatur.

1701. Potentiis, quarum actio mere dynamicis innititur legibus, adnumerari debet excessus temperiei in polos e diametro oppositos; cibus utpote calidissimus, potus glaciatus, vel ipsa glacies aestuanti prius stomacho copiose affatimque ingesta, vel promiscua potus frigidissimi cum cibis calidis sorbitio. — Organicis demum incitamentis accenseri merentur: vomitus contumax et diuturnus, cardialgia saepe recurrens; phlogoses organorum vicinorum, hepatis, diaphragmatis, omenti, peritonaei, intestinorum ad stomachum protensae; reactiones vicariae post profluvia derepente suppressa, vel repercussos morbos cutaneos sequi visae, unde haemorrhoides, menstrua, erysipelas, rheu-

mata, herpes non infrequentem gastritidis deuteropathicae culpam tenent. — Injuriarum vero atmosphaericarum minor universim in stomacho inflammando esse solet potestas, atque catarrhales solum, aut rheumaticas ventriculi adfectiones quandoque favente constitutione epidemica progigni videmus.

1702. Vitia demum organica varii generis, uti callositates, skirrhi, ulcera, quamvis plerumque praegressae cujusdam gastritidis effectum sistant, ex altera parte ad reproducendam et sustinendam inflammationem, praesertim chronicam, frequenter contribuunt.

TERMINATIONES.

1703. Benigna, dum faventes circumstantiae concurrunt, gastritidis resolutio sub consuetis phaenomenis criticis succedere solet, urinarum utpote, sudorum, vel alvi secessu, quinta vel septima morbi die oborto.

1704. Longe frequentior autem inflammationis acutae non minus, ac chronicae exitus est mors, modo necopina, modo lenta. — Repentinae mortis rationem sistit: 1) Virium nervosarum resolutio, maximo inflammationis gradu inducta, cujus ortus ex organi sensibilitate, nervorum abundantia, et intima cum cerebro sympathia facile concipitur; inde mors syncopalis, et apoplectica. 2) Gangraena, stomachi et intestinorum acutas phlogoses libenter excipere solita, praesertim dum serosa et muscularis tunica princeps phlogoseos substratum sistit, vel dum ex toxicatione originem repetit morbus. Funestissimum huncce in gangraenam transitum indicant: inflammationis vehementia, praeceps decursus, ac pertinacia versus generosam methodum antiphlogisticam; doloris acerbissimi repentinum silentium; spirationes creberrimae, spasmis interceptae; angores perpetui; stertor; vox clangosa; animi deliquia; desipientia; sopor; lingua aspera; facies hippocratica, extremorum frigus; maculae lividae in superficie corporis; virium plenaria resolutio. Stomachus post mortem dissectus maculas lividas, atras, atque cunctas tunicas profundo rubore suffusas, quandoque marcidas, et quasi dissolutas offert.

1705. In cunctis gastritide acuta peremptorum sectionibus materies ventriculo contentae adcuratissimo examini sunt subjiciendae, ob facilem, quae in simili casu sponte sese obtrudit, veneficii suspicionem.

1706. Exitus gastritidis in suppurationem tuto decidi nequit, nisi, mutato prius dolore ardente in pulsatorium, febris suppuratoriae, atque puris per vomitum vel diarrhoeam secedentis, aut cavum abdominis inundantis signa succedant. — Vomicae majoris voluminis raro nascuntur; crebrius aphthae et ulcuscula, quae mucosam pedetentim exedendo membranam, vomitum materiei saniosae cum halitu oris tetro, gastrodyniam chronicam, ac febrim hecticam eousque sustinent, donec horrida macie consumptus aeger perire debeat, phthiseos gastricae victima. Rarioribus in casibus abscessus introrsum rumpitur, askite purulento repentinam parans necem, vel vero pus inter omenti laminas colligitur, et speciem hydropis purulenti saccati aemulat. Neque desunt exempla suppurationum ventriculi, quae, favente ejus cum peritonaeo concretione, musculorum abdominalium strata consumpserunt, talique pacto extrorsum sibi viam pararunt, foedam relinquendo fistulam stomachalem.

Kleudgen Pathologia phthiseos ventriculi. Bonn. 1820.

1707. Aliud non minus fatale gastritidis, praesertim chronicae, et quidem per eminentiam illius, quae in potatoribus et epulonibus evolvitur, posthumum — est skirrhus et carkinoma ventriculi; ad pylorum glandulis divitem crebrius, quam ad cardiam obvium, teterrimum omni intuitu, cognituque difficillimum, omnesque medentis conatus eludens malum. Symptomata concomitantia esse solent: ructus acidi, vel foetidi, vomitus rebellis materiae chymosae, biliosae, vel etiam saniosae et graveolentis; murmura ventris; flatulentia; dolor fixus, acerbus ad epigastrium, a vomitu et pastu exacerbatus, in principio remittens, vel intermittens, serius continuus, intolerabilis, omnem somnum arcens; transitoria post evomitionem euphoria; ardor gulae; singultus; angores; molestus famis sensus, quem sedare metuunt aegri ob recens cruciatuum, quod inde experiuntur, augmentum; quandoque manifesta

ad regionem pylori durities, mobilis, ad tactum dolens; animi desponsio; febris hectica; diarrhoea colliquativa; macies sicca; mors denique placida, vel convulsiva, quam desperabundi aegri, ceu optatissimum vitae terminum, anxie exspectant. — Sectiones defunctorum exhibent pylorum angustatum, callosum, induratum, skirrhosum, in massam lardaceam vel cartilagineam concretum, insulis osseis, vel fungosis excrescentiis notatum, foeda ulceratione, ac vero cancro exesum; quandoque eaedem metamorphoses ad cardiam reperiuntur.

Triller, Diss. de fame lethali ex callosa oris ventriculi angustia. In Opusc. med. Vol. I.

Chardel, des dégénerations scirrh. de l'estomac. 1806.

Germain Diss. sur les causes et le diagnostic du squirre du pylore. Paris 1817.

René Prus Neue Untersuchungen über die Natur und die Behandlung des Magenkrebses. A. d. Franz. v. Balling. Würzb. 1830.

1708. Obviae in quibusdam cadaveribus ventriculi cum propinquis organis concretiones, omni jure quidem ad praegressam ejus superficiei internae phlogosin concludere sinunt, durante tamen vita certis signis dignosci nequeunt, nisi, absentibus alius successionis phaenomenis, ex vomitu post pastum, quo ventriculus repletus ac vicinis arcte adhaerens partibus, quum debite expandi nequeat, ingratam patitur distractionem, atque violentiorem nisum in contractionem exerit, ad simile vitium concludere liceret.

1709. Singularem illam metamorphosin pathologicam tunicarum ventriculi, qua cohaesionis gradus eum in modum imminuitur, ut quandoque spontanea accidat ruptura, recentiori tantum aevo exactius observatam (1) et gastromalakiae nomine insignitam, quidam auctores, et inter illos praecipue Billard (2), phlogoseos mox acutae, mox lentae effectum esse contendunt. Longe plures contra productum vegetationis abnormis declarant.

(1) Jaeger über die Erweichung des Magengrundes. (In Hufeland's und Himly's Journal. 1811.) — Cruveilhier über die gallertartige Erweichung des Magens und der Gedärme. A. d. Franz. von Vogel. Liegnitz 1813. —

Ramisch de Gastromalakia et gastropathia infantum. Pragae 1824.

(2) Billard de la membrane muqueuse gastro-intestinale, dans l'état sain et dans l'état inflammatoire. Paris. 1825. p. 408.

PROGNOSIS.

1710. Omnis gastritis periculi plenum sistit malum, quod mox citam parat necem, mox insanabilia relinquendo posthuma, ad eandem metam lentiori passu conducit. Fluit autem periculum et repentina mors non adeo ex organi eminente nobilitate, — cum vitam, sublata etiam ejus functione, per plures dies persistere posse noverimus — quam potius ex summo, dum inflammatur, in gangraenam nisu, ex nervorum insigni copia, horumque sub decursu gastritidis irritatione, ad systematis nervosi centrum propagata, unde etiam adeo facilis esse solet ventriculi inflammati cum symptomatibus kephalicis complicatio. — Multum denique sanationi obstat impotentia interna retinendi pharmaca, ob continuos vomendi conatus. — Inter cunctas gastritidis species omnium pessima est, quae corrosivis inducitur venenis. — Skirrhus pylori, et maxime carkinoma palliari quidem potest, sanationem tamen semper excludit.

THERAPIA.

1711. Gastritis acuta venaesectionem promptam, generosam, ac pro phlogoseos vehementia saepius repetitam sibi exposcit, nullo prorsus ad fallacem pulsuum exilium, debilitatisque adparentis conditionem respectu habito. Ab internis medicamentis, quae inter omnis generis emollientia et refrigerantia, emulsa, decocta mucilaginosa, mannata, oleosa spectant, parum sperare licet, ob maximum stomachi erethismum, rebellemque vomitum; quare parcissima dosi exhibeantur, oportet.

1712. Majorem efficaciam exerunt remedia externa, cataplasmata emollientia, vel si pondere suo molestant, fomenta simplicia, semicupia, balnea; clysteres oleosi aliquoties de die injecti; pediluvia irritantia, epispastica suris, vel ipsi epigastrio adplicita. Molestam sitim, quam

miseri aegri sorbitionibus sedare adamussim nequeunt, taleolis fructuum aurantiorum, vel rotulis Berberidum ore volutis lenire studemus.

1713. Cane et angue pejus vitanda sunt omnia carminantia, opiata, et sic dicta stomachica, ad quorum usum vel adparens virium languor, vel pro cardialgia spasmodica habita gastritis, minus oculatum medicum facile seducere posset. Idem valet de emeticis, drasticis, atque de ipso haustu antemetico, cujus usum non sine jure reformidare solent practici (1). Quare maximi momenti regula esto: »qualiscunque doloris ventriculum rodentis curam semper a lenioribus ordiri remediis.«

(1) P. Frank, Epitome. T. II. §. 237.

1714. Decrescente inflammationis vigore, ac imminuta stomachi sensibilitate, cogitandum est, ut fractae pedetentim erigantur vires, et nutritionis, per inediam inductus, languor corrigatur. Talis autem esse debebit nutrientium selectus, ne recens in ventriculo concitetur incendium; cremores oxyzae, vel hordei, panatellae tenuissimae cum vitello ovi, juscula pullorum blanda et insulsa, omni intuitu aromaticis et vinosis praeferenda. Glaciei syrupis acidulis conditae prudens usus quandoque vomitui sedando plurimum prodest.

1715. Una cum mox adlatis adminiculis, naturae morbi oppositis, quibus therapiae indirectae rationalis indicationibus satisfacere studemus, directam simul medendi methodum illi postulabunt gastrididis casus, ubi irritans et praecipue veneficus in ventriculo continuat stimulus. Hunc quantocyus evacuare, vel saltem enervare oportet.

1716. Promptissimum pro eliminando heterogeneo subsidium praebet emesis, cujus tamen ciendae gratia aquam tepidam mellitam, saccharinam, lacte vel oleo permixtam, affatimque haustam acribus vomitoriis non solum ex eo praeferimus, quod inflammationem minus exasperant, sed quod simul venenum diluere, parietesque stomachi lubricare juvant. Eodem tempore veneni hospitantis deleterias actiones enervare adnitimur antidotis, vel generalibus: oleo blando, butyro, cremoribus mucilaginosis, solutione saponis; vel vero specificis substantiae venenosae indoli contra-

riis. Ita Arsenicum hepate Sulfuris calcareo, Cuprum et Hydrargyrum albumine ovi, Plumbum Sulfate alcalino, Cantharides Camphora, Opium acidis, et s. p. innocua reddi posse compertum habemus. Omnibus tamen hisce auxiliis directis nonnisi in gastritidis principio locus conceditur.

1717. Residua post devictam stomachi inflammationem sensibilitas amaricantibus, et narcoticis compescenda. Quassia, Absinthium, Opium, scuta stomachica cum Theriaca, et volatilis ad epigastrium litus in connubio cum victu adaequato, aliis palmam praeripiunt.

1718. Quae de variis gastritidis complicationibus et anomaliis, earumque cura dicenda essent, cum illis exacte combinant, quae in capite de enteritide, morbo in praxi multo frequentiori, exposituri sumus.

POSTHUMA.

1719. Qualecunque fuerit ventriculi inflammati consectarium, maximam in medendo postulat circumspectionem; lenta enim, quae vitiis organicis constanter adhaeret congestio, aut phlogosis a levissimis facile exacerbatur irritamentis, ac recentes texturae insidias struit. Quare cuncta, quae ex classe alimentorum et potuum sumuntur, blanda et digestu facilia sint, oportet, parce et frequenter propinata.

1720. Cognitus gastritidis in suppurationem transitus nos jubet, phlogosin peripheriçam, quae omnes abscessus comitari solet, moderari, blandi puris secretionem expedire, ejusque, rupto vomicae pariete, eductionem promovere. Continuatus emollientium ex omni parte usus, sub parcissimis iisque blandis et liquidis alimentis, unicum sistit artis subsidium, quo molestias lenire, ac funestiores sequelas procrastinare adnitimur. Consolidatio ulceris solius naturae opus.

1721. Indurationem ventriculi resolvere tentamus saponaceis, salinis, amaricantibus, aquis soteriis, mercurialibus, balneis, epithematibus, interpolando, si dolores urgent, paregorica, mucilaginosa, in harmonico cum

exquisita diaeta connubio. Etiamsi radicalis cura vix unquam obtineri possit, molestiae saltem leniuntur ac vita prolongatur. Quaeque alia proponuntur remedia, tum stomachica decantata, tum potenter resolventia, emetica, vel drastica, dolores augere, canceraticam in parte skirrhosa phlogosin, et pessimam, quae inde proficiscitur, liquationis speciem invitare, mortemque acerbissimam accelerare juvant.

ENTERITIS.

Mommeyer, Diss. de enteritide. Lovan. 1786.
Henning, von den Kennzeichen und der Cur der Entzündung des Magens und der Gedärme. Coppenh. 1787.
Riedel Diss. de enteritide. Viteb. 1811.
Abercrombie pathologische und praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, des Darmkanals, etc. A. d. Engl. von Busch. Bremen. 1830.

1722. Intestina non solum quoad fabricam, sed etiam quoad particularem sensibilitatis distributionem, stomacho summopere analogum sistunt organon; certa enim stimulorum genera, etsi notabilem acredinis et potentiae gradum habeant, uti bilis, faeces, vermes, saburrae, etc., morbosae reactioni excitandae pares non redduntur, nisi peculiares concurrant circumstantiae. E contrario autem simplex vicissitudo temperiei, — cui nequaquam tanta stimulandi potestas tribui potest, si ad solam quantitatis rationem respicimus, — facillimo negotio acres dolores, atque sat gravem phlogosin excitare valet.

1723. Praeter hancce relativam erga stimulos qualitate differentes receptivitatem, mirifica adhuc in intestinis viget sensibilitatis discrepantia et antithesis, habito nimirum respectu ad superficiem, versus quam stimuli dirigitur actio. Eadem enim materies biliosa, eadem faex, quae pro externa sive mucosa intestinorum facie indifferens sistit irritamentum, summe violentas concitat reactiones, ubi internum, sive serosum adtingit velamentum.

1724. Quae de speciali substrato gastritidis dicta fuere, adprime ad inflammationem tubi intestinalis referri

possunt. Phlegmone intestinorum determinato substrato non adstringitur; attamen modo in una, modo in altera tunica eminentem focum figit, pro cujus diversitate etiam enteritidis, quoad indolem ejusdem, symptomata aliquam modificationem patiuntur.

1725. Est autem alia adhuc enteritidis quoad sedem distinctio facienda, prouti nempe vel intestina crassa, vel — quod crebrius accidit — tenuia specialius infestantur; inde enim et symptomata, et periculum notabiles inducunt variationes.

1726. Stomacho multo majorem, quam intestinis, inesse sensibilitatis gradum, nemo inficiabitur; et tamen intestina facilius et frequentius inflammari, quotidiana convincimur experientia. Hujus phaenomeni rationem explicandam aliis lubenter committimus.

NOSOGRAPHIA.

1727. Symptomata essentialia inflammationis phlegmonosae intestinorum sunt: dolor vehemens, fixus, assiduus, tactum non ferens, a quavis preli abdominalis concussione exacerbatus, plerumque ab umbilico ad reliquum ventris ambitum radiatim dispersus; nausea et vomitus; anxietas et inquietudo summa, alvus pertinaciter clausa, vel irritus ad eam deponendam tenesmus; febris inflammatoria; virium prostratio insignis; pulsus veloces, duri, tensi, parvi, contracti.

1728. Hisce signis phlegmone intestinorum distinguitur: 1) ab inflammationibus partium contiguarum, hepatis, ventriculi, peritonaei, uteri; 2) ab aliis enteritidis formis, specifica indole et origine diversis, uti est catarrhalis, rheumatica; 3) a doloribus intestinorum non inflammatoriis.

1729. Hepatitidem distinguit dolor fixus, vel sensus gravedinis in hypochondrio dextro, pleurodynia ejusdem lateris, vomitus constanter biliosus, icteri plus minusve clara indicia; gastritidem dolor acerbissimus et urens ad epigastrium, nonnisi per sympathiam deorsum extensus, vomitus a minima ingestorum copia suscitatus; peritonaeitidem aequabilis dolorum magis su-

perficialium per abdomen diffusio, vomitus rarus, alvi excretio minus impedita; metritidem denique doloris ad hypogastrium eminens sedes, vomitus et stypsis minus constans, et causae praegressae utero infestae.

1730. Enteritidi catarrhosae competit doloris, qui obtusus esse solet, vehementia minor, vomitus rarior, loco alvi constipatae diarrhoea, vel dysenteria mucosa, ceu morbosum membranae villosae irritatae productum; cutis arida, decursus minus praeceps, quibus cunctis vicissitudines atmosphaericae, tanquam causa excitans, atque nosogeniae ratio diversa accedit.

1731. Enteritidem rheumaticam discernunt dolores per abdomen vagi, acuti, lancinantes, manifeste remittentes; contemporaneae artuum tensiones, vel praegressum in alio loco rheuma; alvus segnis; sudores profusi et non levantes; urinae lateritiae, sedimentosae, non criticae; febris mitis; causa occasionalis quidem eadem, quae catarrhalem inducere solet, sed substratum alienum (membrana serosa) et nosogenia diversa. — Utraque demum enteritis proprios agnoscit exitus, atque praeter therapiam antiphlogisticam speciales quasdam sibi exposcit in curatione modificationes.

1732. Differentia enteritidis ab enteralgiis non inflammatoriis, quas inter spasmodica, flatulenta, saburralis, et verminosa frequentiores esse consuescunt, desumitur ex dolore minus gravi, qui clare remittit, aut intermittit, sub compressione vix augetur, quin imo interdum lenitur, ex febris angiosthenicae absentia, atque e specificis, quae singulis speciebus competunt, phaenomenis.

1733. Enteritidem acutam validum plerumque orditur frigus, cui mox reliqua succedunt tum generalia phlogopyrae, tum specialia topicae adfectionis symptomata. Etiamsi dolor pro diversitate intestini inflammati variam, ac plus minusve circumscriptam tenere possit plagam, frequentius tamen circa umbilicum furit, atque tunc eminentem intestinorum tenuium irritationem indicat. Levis ab initio, cito crescit, nunc pungens, lancinans, nunc urens, aut stringens, saepe atrocissimus, intolerabilis, assiduus,

absque induciis manifestis, et etiamsi aliquod centrum retinere videatur in umbilico, vel in loco alicujus incarcerationis, per totum abdominis ambitum brevi diffunditur. Hisce cruciatibus continuis non raro atrociores per intervalla superveniunt accessus, sub quibus vultus distortus, et terrefactus, adspectus trux, pupillae contractio, gemitus et ejulatus involuntarie expressi, apnoea transitoria, dentium stridor, desipientia furibunda vel taciturna, crurum adtractio, serpentina corporis contorsio, sudores ad frontem, convulsiones, aliaque similia commiserandum aegri statum abunde indicant, funesto exitu facile terminaturum, nisi ad pristinam magisque tolerabilem redeat moderationem. Tactus tanta esse solet impatientia, ut abdomen continuo nudari cupiant, neque vestimenta, neque stragula ulla ferre valeant, atque explorantis medici manum jam a procul anxie reformident.

1734. Venter dolentissimus pedetentim expanditur, tenditur, et constrictis spasmodice musculis abdominalibus durus evadit; meteorismus inflammatorius; borborygmi intestinum gas elastici motum clare indicant; extricantur ructus inanes, atque sub torminum augmento repetitae vomituritiones, vomitusque molestissimus invadunt, quibus nunc sola ingesta, nunc bilis flava, vel aeruginosa cum impetu ejicitur, viribus postea insigniter collabentibus. Alvus est pertinaciter clausa, vel pigra saltem, faecibus parcis et duris molesto sub tenesmo expressis; quandoque frequens ad emittendum lotium stimulus, hujusque cum ardore excretio.

1735. Motu musculorum abdominalium automatice intercepto, respirationis munus solis potentiis thoracicis absolvitur, inde summopere acceleratur, decurtatur, ac intolerabili jungitur anxietate et inquietudine, quam corporis continua jactatione lenire student aegri.

1736. Reliquis enteritidis in horas crescentis symptomatibus accensentur: lingua arida; sitis clamosa, cum desiderio frigidae, internum ardorem, saltem pro momento, lenientis; gulae constrictio; delirium transitorium; pervigilium; singultus; urinae praeparcae, rubrae; calor adauctus; sub ferocissimis tamen accessibus marmoreus sub-

inde per vices evolvitur extremorum algor; virium insignis, ac inflammatoriae morbi indoli nequaquam respondens prostratio, ast fictitia, et venaesectionibus corrigenda; pulsus velocissimi, duri, parvi, spastici, intestinales per excellentiam dicti; sanguinis e vena educti phlogistica crasis.

1737. Quae crassa intestina prehendit inflammatio, etsi quoad generaliores notas nequaquam discrepet, particularia offert signa distinctiva, potissimum ex sede doloris depromenda. Si colon transversum inflammatione tenetur, dolor ab uno hypochondrio ad alterum, tensae fere chordae adinstar protenditur, vel plane ad intercostales provincias propagatur, epigastrii inflammatione junctus, quo in casu gastritidem, hepatitidem, vel splenitidem mentiri potest. Eminens ad intestinum coecum, vel colon descendens phlogosis dolore, qui eorundem situi respondet, distinguitur, nephritidem vel lumbaginem aemulante. Dum vero rectum incenditur intestinum (architis), doloris et ardoris profunda ad lumbos esse solet sedes, copiosus et tenax cum tenesmo secedit mucus (dysenteria inflammatoria), atque lotii frequenter laeditur excretio. Collimat tunc cum proctitide, de qua serius mentio subjungetur, et primo intuitu pro kystitide vel metritide occulta imponere poterit.

1738. Quocunque autem in loco inflammatio intestinum teneat, dummodo ejus lumen tumidis membranis obturetur, vel pertinaci spasmo coarctetur, vel herniosa strangulatione prorsus aboleatur, eum quidem in modum, ut contentorum eductio intercepta maneat, — tunc continuante vomitu, motuque peristaltico superiora versus urgente non solum materies chymosae e tenuibus, sed etiam faeculentae, superata Tulpii valvula, e crassis ad stomachum propelluntur, foedo spectaculo ore ejectae; ileus inflammatorius. Sub hacce rerum funestissima positione haud raro contingit, inferiorem intestini inflammati et coarctati portionem a superiore excipi, quem adfectum introsusceptionem seu volvulum nuncupant.

Schütte Diss. de volvulo. Halae. 1821.

Mehlhose Diss. de intestinis se intus suscipientibus. Berol. 1827.

1739. Symptomata enteritidis specialiora tandem variare adhuc solent pro diversitate unius alteriusve strati membranosi eminenter adfecti. Inflammationem tunicae villosae distinguit dolor magis obtusus, diarrhoea aut dysenteria, sitis molestissima, vomitus rarus, meteorismus vix ullus; illam tunicae muscularis manifestae laesiones efficientiae motricis comitantur, uti borborygmi, meteorismus, vomitus et ileus pertinax, doloris per vices dirissima exacerbatio, quae omnia spasmodicam simul intestinorum passionem abunde indicant; inflammatam denique superficiem peritonaealem notat dolor acutus magis diffusus, cum summa abdominis sensibilitate, anxietas, alvus minus pertinaciter clausa, atque nisus in hypoclepsin morbosam. — Cadaverum extispicia quidem docent modo intestinum duodenum, modo jejunum aut ileum inflammatione eminenter correpta esse. Nomina quae hisce corresponderent enteritidis speciebus, forent: dodecadactylitis, nestitis et ileitis. Ast destituimur hactenus signis pathognomonicis, quibus ad lectum aegrorum tuto distingui possent.

John Abercrombie, Oper. cit.

1740. Enteritis pro varietate sedis et vehementiae phlogoseos diversimode modificata, plerumque cito crescit, ita quidem, ut intra tres vel quinque dies summum facile adtingat culmen, atque, nisi funesto finem adducat exitu, die septimo, vel nono criticis soluta conatibus ad optatum inclinet decrementum.

1741. Exlex contra quoad decursum esse consuevit enteritis lenta, criticis destituta moliminibus, et chronicas intestinorum, aliorumque viscerum labes per septimanas, imo per menses comitari visa. Saepenumero adeo occulte delitescit, ut paucis tantum inconspicuisque signis sese manifestet, ac ideo aegerrime cognoscatur. Ea adfecti modo continuam in abdomine queruntur molestiam, modo torminibus per vices excruciantur; quandoque autem, si quieti, omnis fere doloris expertes nonnisi sensum adcusant obtusum et comprimentem in quadem abdominis parte, qui tamen eam rudius contrectando, corpus movendo, sternutando vel tussiendo protenus augetur. Insi-

gnis quoque viget lassitudo; extremitates frigescunt; aestus quavis fere invadit vespera cum genis coloratis, palmis manuum calidis, urinis parcis et flammeis, pulsu exili, accelerato, debili. Vultus, momente jam Vogelio, plurimum trux et languidus cernitur. Ventris meteorismus in uno occurrit casu, in altero collapsus praeter morem, comite mox stypsi molesta, mox continua in diarrhoeam proclivitate. Quo pertinacius et constantius urget alvifluxus, isque malae notae, tanto majorem movet de intestinis induratis vel exulceratis suspicionem, cujus metamorphoseos vestigia haud raro in defunctis reperiuntur, quin conspicua enteritidis signa praecesserint. Hujus generis inprimis esse solent inflammationes membranae mucosae, quae in febribus catarrhosis, gastricis et nervosis haud raro obveniunt, suo loco indicandae. — Chronica phlogosis intestinorum crassorum, et maxime recti, sub schemate dysenteriae decurrit, unde etiam cognitu facilior.

Perroteau, Diss. sur l'éntérite chronique, ou inflammation lente des intestins grèles. Paris 1801.

DIVISIONES.

1742. Praetereundo multifarias enteritidis distinctiones minus essentiales, praecipui pro medico practico valoris esse defendimus sequentes: 1) Enteritis phlegmonosa, catarrhalis, et rheumatica, quibus nonnulli adhuc erysipelaceam addunt. Hanc vero nomine minus apto insignitam vel ad rheumaticam, vel ad miasmaticam, aut metastaticam enteritidem potius referendam censemus. — 2) Enteritis idiopathica, symptomatica, et sympathica, quae ultima plerumque simplicem tantum praebet congestionem, nisu in pathologicas metamorphoses destitutam, communi colicae inflammatoriae adpellatione notam. — 3) Enteritis acuta et chronica. — 4) Enteritis regularis et anomala. — Potiores enteritidis anomaliae ab ejus complicatione cum aliis, quos cunctis febribus proprios esse novimus, characteribus pendent, atque tot, quot pneumonitis, formas offerunt; gastricam videlicet, nervosam, septicam, et pituitosam.

1743. Enteritis gastrica ex unitis inflammationis et saburrae signis haud difficulter dignoscitur. Colluvies saburralis autem mox phlogoseos causam sistit, mox sub continuato intestinorum incendio ab humoribus entericis et biliosis justo uberius secretis secundario evolvitur. Enteritis biliosa epidemiae aestivae non infrequens soboles. — Enteritidem nervosam indicant phaenomena debilitatis, systematisque nervosi multifarie laesi, quae inflammationi pervicaci, male tractatae, aut sub adversis auspiciis decurrenti superveniunt. — Septicae intestinorum inflammationi omnia illa propria sunt symptomata, quae statum gangraenosum comitantur, infra fusius exponenda. — Pituitosae demum enteritidis nomine intelligimus lentum processum phlogisticum in mucosa intestinorum membrana, comite pituitae tenacis secretione morbosa, totiusque productionis organicae cachectica labe, infantibus verminosis et male nutritis per eminentiam familiarem. Respondet quoad indolem peripneumoniae nothae.

1744. Maximam denique adhuc medici adtentionem meretur enteritidis in manifestam et occultam discrimen. Quandoque enim peremptorum cadavera phlogoseos clarissima offerunt vestigia, quin durante vita medentes eam subesse credidissent. Haec interim, monente eximio Petro Frankio, silentis potius naturae, quam medicorum errore saepe saepius praetervidentur. Quamvis ejusmodi diagnoseos difficultas in ipsius enteritidis acutae decursu obvenire possit, praesertim dum dolores vehementiores desunt, dum sui compos non est aeger, delirio vel sopore obrutus, dum alius visceris contemporanea passio intestinorum adfectionem quasi obumbrat, vel subjecti nimis tenera aetas exactiori explorationi obest; — multo tamen crebrius chronica enteritis medici aciem effugit, uti paulo ante monuimus (§. 1741), atque, nisi maxima utamur cautione, ad perversam facile ducit medelam.

Voltelen, von einer verborgenen Entzündung, und Vereiterung im Unterleibe. In den Samml. auserl. Abhandl. für pract. Aerzte. B. X. S. 431.

Rogert Diss. sist. observ. circa fallaciam signorum in inflammat. abdomin. Hafn. 1776.

Karpff Diss. de Enteritide occulta. Vindob. 1830.

1745. In similibus casibus dubiis ad functionem intestinorum laesam, pulsuum exilium et irregularium conditionem, causam praegressam, constitutionem epidemicam, ac praesertim ad abdominis tensionem et sensibilitatem consilium transferendum est; protenus nempe, ut tangitur venter, musculi faciei convelluntur, vel saltem illa nascitur distorsio, qua dolor communiter exprimi solet, atque hoc est signum, quod summus olim observator et Morgagnii magister, Hyppolytus Albertini, discipulo suo inculcavit.

Sprengel, Institut. Pathol. spec. Vol. I. §. 278.

CAUSAE.

1746. Momenta, quae majorem in phlegmasias intestinorum proclivitatem fovent, sunt: plethora abdominalis quaevis, periodus catameniorum, eorumque retentio, haemorrhoides, indigestiones crebrae, flatulentiae, usus aromatum et spirituosorum, vitia organica diversi generis, status herniosus, diarrhoeae recurrentes, et prae caeteris colicae et enteritides perpessae.

1747. Quo magis vegetativam subjectum ducit vitam, eo majorem quoque alit in organis reproductioni inservientibus ad qualescunque morbos, proinde etiam ad phlogoses dispositionem; unde nil mirum pusiones adultis frequentius enteritidi obnoxios esse.

1748. Causis procatarcticis adnumerantur: violentiae quaevis externae abdomini illatae (1), vulnera, contusiones, verbera (Bauchprügel), peregrina corpora deglutita, calculi biliarii, vermes, herniae incarceratae, rudis intestinorum sub herniotomia, vel taxeos tentamine tractatio, sive depsatio, contenta intestinorum mole vel acredine irritantia, uti saburra quaevis, bilis depravata, et copiosius secreta, fluida gasiformia uberius extricata, faeces retentae, sanies, venena acria et corrosiva, drastica, praesertim resinosa, intestinalem mucum deradentia; aromata fortia, liquores alcoholici, caloris excessus, frigus repentinum intestina offendens. In infantibus meconium non solutum, collostrum lactis, gluten spontaneum, lumbrici, et irritamenta umbilici frequentiores offerunt prophases.

(1) Durand, Diss. sur l'inflammation du tube alimentaire à la suite des coups de pied de cheval sur l'abdomen. 4. Paris 1805.

1749. Prouti mox adlatae potentiae vel mucosam, vel serosam membranam immediate feriunt, vel vero in stratis muscularibus vehementiores reactiones concitant, intestina citra eorum contrahendi facultatem distendendo; ita princeps phlogoseos focus nunc in una, nunc in altera parte potentius quidem evolvitur, brevi tamen ad reliquas propagatur.

1750. Symptomaticae et secundariae enteritidis remotas causas largiuntur inflammationes peritonaei viscerumque vicinorum, ventriculi, hepatis, mesenterii, uteri, vesicae, ultra limites propagatae; spasmi diuturni, violenti, nimis calefacientibus exacerbati; haemorrhoeae suetae suppressio, uti menstruorum (menostasia), haemorrhoidum (haemorrhoischesis); vitia organica fistulae alimentaris, indurationes, skirrhi, ulcera, steatoses, anxis, volvulus; latex serosus acris, purulentus, saniosus, aut faeculentus in abdominis cavum effusus; metastases.

1751. Sympathicae demum intestinorum irritationi producendae idonea esse novimus exanthemata et rheumata repulsa, cohibitionem sudoris repentinam, aliasve cuti infensas injurias, quarum indirecta in tubum intestinalem actio potius intimae hunc inter et corporis superficiem philadelphiae et irritationi vicariae, quam materiali humoris transpirabilis versus intestina repulsioni, a Sydenhamo somniata, tribuenda est. Nulla tamen e consensu partium oriunda enteritis decursum phlegmones tenet, sed vel simplicem congestionem praesentat, vel catarrhosam, aut rheumaticam indolem manifestat, prouti vicaria reactio vel in membrana mucosa, vel in serosa fuerit exorta. Quare cuncta, quae de refrigerio pedum, ac de vicissitudinibus atmosphaerae, ceu enteritidis prophases consideratis, proferuntur, etsi experientiae adprime respondeant, ad rheuma et catarrhum intestinorum sunt relegenda.

TERMINATIONES.

1752. Benigna inflammationis resolutio et subsequa salus sub generalibus, quae huicce exitui favere solent, conditionibus obtinetur, et quidem subortis die quinta, septima, vel nona evacuationibus criticis, sudoribus, urinis sedimentosis, diarrhoea mucosa aut biliosa, vel spontaneo haemorrhoidum fluxu. Enteritis symptomatica permanenti obediens stimulo, vel adeo levis, ut congestionis cancellos non excedat, neque determinatae adstringitur periodo, neque criticis solvitur moliminibus.

1753. Sanationis contra spem eludit enteritis gravis, versus aptissima rebellis remedia, e mechanicis aut chemicis texturam intestinorum laedentibus potentiis oriunda, quae vel in lethalem praecipitat gangraenam; vel in alia abit posthuma, nunc dynamica, nunc organica. Prioribus accensemus erethismum intestinalem eminenti in recidivas nisu comitatum, torporem subparalyticum, diutinam congestionem activam aut passivam; posterioribus suppurationem, indurationem, variasque hypoclepseos species. Pro diversitate substrati inflammati varius quoque ejusdem, quoad indolem, phlogoseos in metamorphoses organicas cernitur nisus. Ita membrana mucosa exulcerationem et indurationem, serosa transudationem diligit.

1754. Factam suppurationem indicant doloris acerrimi decrementum, sensus pulsationis, ponderis, et ardoris fixi, meteorismus persistens, borborygmi, nausea, ructus, sitis molesta, alvus pigra, atque febris suppuratoria recentibus horroribus orsa, vesperi constanter exacerbata. — Abscessus, omine minus funesto ita ruptus, ut puris per alvum succedere possit eductio, (diarrhoea purulenta), notabile quidem cunctarum molestiarum inducit lenimen, perfectae tamen salutis restitutionem nonnisi rarissime admittit, et pedissequa phthisi intestinali serius, ocyusve aegrum e medio tollit. — Magis praeceps autem ejusdem posthumi periculum esse consuevit, si fomes purulentus, vel saniosus parietem internum perforat, una cum faecibus dissolutis caveam abdominis inun-

dat, vicinaque viscera corrodit, exulcerat (askites saniosus et faeculentus) ac lethali gangraena adficit. Favente intestina inter et vesicam urinariam coalitu, saniosum laticem, exesis utriusque organi membranis, una cum urinis putridissimis, faecalem foetorem spirantibus per urethram profluxisse visum est (1); diarrhoea urinalis. Neque desunt exempla exulcerationis intestinorum peritonaeo adhaerentium, quae corrosis abdominis parietibus, saniosum liquorem una cum faecibus extrorsum effudit, unde fistula stercoraria raro sanabilis, sed plerumque lenta enecans tabe.

(1) Frank, Epitome de curandis hominum morbis. Lib. II. §. 243.

1755. Praeter diversitatem secretionis nunc purulentae, nunc ichorosae, ipsam suppurationis formam eum in modum variare videmus, ut modo abscessus molis majoris, plerumque solitarius, modo aphthae numerosae et excoriationes in totidem ulcuscula (helcomata) mali moris abeuntes observentur; quem exitum posteriorem catarrhosae enteritidi, dysenteriae sub forma decurrenti, vel febres quasdam nervosas comitanti, proprium agnovimus, suo loco prolixius indicandum.

1756. Diutina, saepiusque recidiva enteritis haud infrequenter callositates et indurationes relinquit, quarum tamen diagnosis ob defectum signorum pathognomonicorum maximis premitur difficultatibus, nisi manifestus pateat sub exploratione ventris tumor durus, inaequalis, circumscriptus, cum vomitu, ructibus, alvo durissima, dolore obtuso et fixo, torminibus per vices recurrentibus, stypsi, ileo, et lenta corporis consumptione conjunctus. Quo ditior vasculis rubris et glandulis muciparis est intestini portio quaedam, eo facilius in huncce tendit exitum, quem ideo etiam frequentiorem in intestinis crassis, et praesertim in recto observare licet. — Pro diversa inflammationis intensione et extensione, ipsa scleromata partialia intestinorum varias offerunt formas; nnnc enim leves nonnisi membranarum obdurescentium callositates, nunc tumores skirrhosi majoris magnitudinis, nunc exallaxes steatomatosae, vel plane canceraticae (1) deprehenduntur.

Ea ratione, qua canalis alimentaris variis in locis obdurescens angustatur (enterostenosis) (2), ciborum semidigestorum, vel faecum transitui haud parva obstacula ponuntur, pars, coarctato intestini loco, superior tum a materiebus illis, tum a flatibus retentis in ampliorem dilatatur saccum, unde tympanites, et ileus stercoraceus cito lethalis.

(1) Carkinoma intestini recti eximium Formey e medio tulit.

(2) White Observations on strictures of the Rectum and Colon and other affections, which diminish the capacity of the intestinal Canal in those parts. 4. Edit. Bath 1824.

1757. Alia tandem non minus communia enteritidis consectaria e variis hypoclepseos modis derivant. Mox enim liquor serosus trans internam sudat tunicam, unde hydropis acuti intra paucas saepe horas crescentis origo; mox puriformis, floccosa, lacti coagulato similis secedit materies, intestinis hinc inde tenacissime adhaerens, vel ad pelvis fundum desidens, askites puriformis; mox vero lympathico-plasticus suffuratur latex, cujus brevi coëuntis ope intestina vel inter se invicem coalescunt, vel peritonaeo aliisque visceribus nectuntur, vel pseudomembranis obducuntur, intestinales inspissantibus parietes. Hydrokoeliae qualiscunque diagnosis plerumque facilis esse solet, depromenda e signis fluctuantis in ventre liquidi; difficilis contra concretionum morbosarum redditur notio, ob summam symptomatum, quae alias quoque comitantur intestinorum labes, analogiam.

1758. Etiamsi serosa intestinorum superficies frequentissimam effusionis et transudationis scaturiginem largiatur, quam modo ceu effectum incitationis capillarium adauctae successive oriundum, modo ceu erroneam crisin considerare licet; — nihilosecius tamen non desunt casus hypoclepseos per externam, sive mucosam fistulae cibariae faciem contingentis, transudantis utpote lymphae plasticae, ac in pseudomembranas coëuntis, quae interdum feliciori omine a subjecta separantur tunica, atque forma exuviarum, intestinalem formam referentium, per anum secedunt. Ejusmodi transudationis speciem pariter

tanquam crisin quandam erroneam (non quoad locum, sed quoad materiem) sub illius enteritidis catarrhosae decursu nasci videmus, quae particulari et insolita humorum coagulabilitate distinguitur; — adfectus anginae membranaceae summe analogus.

1759. Paralyses artuum inferiorum, graviorem enteritidem interdum sequi visae (1), rarius successionis genus constituunt, atque fors ex mechanica nervorum per skirrhos, aliave vitia posthuma compressione pendent.

(1) Raimann Handbuch der speciellen Therapie. 4. Aufl. 1. Th. §. 382.

1760. Exitus enteritidis in mortem vel ex parte febris inflammatoriae comitis, ad maximum vehementiae gradum elatae, vel ex parte posthumorum organicorum immedicabilium concipiendus erit.

1761. Respectu inflammationis, ad insolitam ferociae potentiam evectae, duplex lethi ratio, quam gastritidi pariter propriam esse diximus, esse consuevit; vel enim moriuntur aegri, praesertim infantes et feminae irritabiliores, sub convulsionibus et animi deliquiis, quorum genesis ex summa intestinorum sensibilitate, et pessumdata, quasi siderata, nervorum splanchnicorum efficientia colligitur; vel vero suborta gangraena perimuntur.

1762. Enteritidis in gangraenam conversae phaenomena repetuntur ex subitanea doloris prius acerbissimi cessatione, quin tamen reliquorum symptomatum respondeat decrementum, e meteorismo, singultu continuo, lingua arida et fusca, siti tantalea, voce rauca, ructibus graveolentibus, vomitu pessimo materiae biliosae, insipidae, vel stercorosae, ex alvo pertinaciter clausa, vel secessu faecum ichorosarum, olidissimarum, ex anxietate summa, facie hippocratica, oculorum infracto splendore, deliriis aut sopore, frequenti deliquio, extremorum algore, sudoribus viscidis, nervorum distensionibus, ex pulsu demum exili, debilissimo, myuro, quibus tandem post viginti quatuor, vel quadraginta octo horas immoritur aeger, serena haud raro, et proximae resolutionis inscia mente. Quae tamen in defunctis inveniuntur, maculae lividae et spha-

kelosae, non semper infallibile praegressae inflammationis signum praebent, quatenus interdum post febres typhosas et putridas, citra omnem phlogoseos praesentiam, e simplici congestione passiva, et corruptione in ultimis vitae momentis oriri possunt.

1763. Quamvis saepe saepius exigua plaga gangraenosa, praesertim in tenuibus intestinis lethali exitui sufficiat, vires vitales mirum in modum pessumdando; non est tamen sine exemplo, quandoque intestini alicujus hernia strangulati laqueum separari, et reliquam partem cum annuli abdominalis margine consanescere, relicto ano artificiali; vel vero gangraenosas intestini intus suscepti portiones, vita tamen superstite, excerni.

1764. Quaecunque in cadaveribus enteritide peremptorum inveniri possunt, e supradictis terminationum modis facile intelliguntur. Subinde plures in eodem casu deprehenduntur exitus inflammationis non resolutae. Adnotasse solum juvabit, eo obscuriora manere inflammationis praegressae vestigia, quo vastior et gravior fuerit organica metamorphosis suborta, ita quidem, ut concludere liceat processum phlogisticum recentis producti creatione prorsus exhauriri, unde haud justa quandoque formatur phlogoseos absentis conjectura. Id praecipue enteritidis in hydropem acutum conversae specimina offerre solent.

PROGNOSIS.

1765. Enteritis, aeque ac gastritis omni jure inter summe periculosas relegari debet inflammationum species, et quidem ob summum organi in gangraenam nisum, adeoque facilem, quae sub colicis adfectionibus nasci observatur, virium resolutionem. Majori, caeteris paribus, discrimine stipatur inflammatio ex toxico, vel ex hernia incarcerata oriunda, primis neglecta diebus, vel plane perversa methodo tractata; anomala; complicata, praesertim in nervosum vel putridum versa characterem; ab organicis pendens intestinorum, aliorumque viscerum vitiis; tenellis infensa; saepius recidiva.

1766. Signis mali augurii accensentur: doloris saevi inopinata cessatio, meteorismus gangraenosus, vomitus

materiae aeruginosae, regurgitatio ejusdem sine conatibus, singultus sonorus, ileus stercoraceus, vultus teter et cadaverosus, debilitas summa, sudores glutinosi, extremorum frigus, deliquia, convulsiones, irresolubilis alvi oppilatio, vel dysenteria foetida, ichorosa, maculae lividae in cute.

THERAPIA.

1767. Sequendo generales therapiae rationalis regulas, omnium primo de causis amovendis cogitandum est. Hinc irritamenta gastrica, acria, venenata, corpora peregrina evacuanda, vel saltem innocua reddenda; quem in finem si specifico antidoto extingui nequeunt, oleosis, pinguibus, mucilaginosis, mannatis, diluentibus, tum ore ingestis, tum per clysteres injectis, eorum inimicam actionem infringere, eductionem promovere studemus. Si hernia strangulata subest, intestinum incarceratum prompte, ast cautissime reponendum, vel herniotomia suscipienda. Suetae evacuationes revocandae.

1768. Ubi directae curae, ob causam ignotam, vel non amovendam, locus non conceditur, methodum antiphlogisticam in omni sua extensione adhibere oportet, contempta pulsuum summe fallaci debilitate. — Generosa itaque, et pro casus gravitate repetita venaesectio princeps suppeditat auxilium, cujus fundatum selectum insurgens sub ipsa emissione pulsuum libertas et energia sat facile corroborat. Docuit tamen experientia, venaesectiones, quas enteritidi opponimus, nunquam illud manifestum et promptum adducere emolumentum, quod v. g. in pneumonitide, carditide, vel hepatitide observare licet, cujus ratio ex anatomica organi adfecti consideratione intelligitur, perpendendo, quod phlogisticus turgor in minimis, ac a centro circulationis distantibus vasculis obtineat, depletionem e majoribus venis minus prompte sentientibus. Porro gravitati phlogoseos topicae, neque febris comitis, neque diatheseos inflammatoriae gradum respondere videmus.

1769. In topicas, hirudinum vel cucurbitularum abdomini impositarum ope praestitas, depletiones minorem ponimus fiduciam, tum quod majori copia admotae irritationem haud indifferentem producant, minori autem non

juvent, tum quod vasa externa inter et illa intestinorum nonnisi remota existat communio, tum quod abdomen sub taediosa hirudinum adplicatione a summe damnoso refrigerio praecaveri nequeat. Quapropter sub pertinaci malo, cui venaesectio repetita optatum non praestat subsidium, sanguisugas potius ano adplicandas suademus, quibus haemorrhoidalia vasa cum solemni plerumque levamine depleri solent.

1770. Reliquam remediorum catervam componunt quaevis emollientia, eccoprotica, diluentia, temperantia, parcis tamen, ne vomitus excitetur, dosibus porrecta: uti sunt decocta mucilaginosa radicis Salep, vel Altheae, emulsiones Amygdalarum, vel seminum Lini cum eorundem oleo et mucilagine Gummi arabici confectae, Manna, pulpa Tamarindorum vel Cassiae. Pariter ab externis, rite selectis, maximum aegri trahunt levamen, quae inter eminent cataplasmata ex mica panis cum lacte, e seminibus Lini in farinam redactis, vel alius generis herbis emollientibus conflata; vel si molestum eorum evaderet pondus, epithemata simplicia, toti abdomini imposita, et semicupia; litus ventris oleosi; clysteres relaxantes, mannati, saepius de die injecti; suppositoria e butyro seminum Cacao confecta.

1771. Pertinax alvi constipatio efficaciora postulat aperientia. Praestant hunc in finem olea pressa Amygdalarum, Olivarum, seminum Lini, non rancida, cochleatim propinata; his enim intestina lubricantur, faeculentae materiae dissolvuntur, et alvus absque stimulo reseratur. Oleum ex seminibus decorticatis Ricini per expressionem vel coctionem obtentum virtute sua a reliquis oleis unguinosis parum differt; ejusque adeo decantatas laudes confirmare nondum potuimus. Quod e seminibus non deglumatis paratur oleum, differentem, magisque drasticam exerit actionem, enteritidi nullatenus convenientem. Mercurius demum dulcis pro aperienda alvo obstinate clausa eminens subministrat praesidium, cujus eccoproticas et lubricantes virtutes ex incitata secretione salivae pancreaticae concipere liceret. Requiruntur autem majores, saepiusque repetitae doses. A cunctis reliquis impetuose purgan-

tibus, drasticis aeque ac salinis remediis, sedulo cavendum hortamur, abominando audacium quorundam medicorum methodum.

1772. Absolute nociva sub decursu enteritidis evadunt quaevis stimulantia, stomachica, carminativa, ipsaque opiata, ad quorum usum vel meteorismus, vel dolorum saevities minus adtentum adlicere posset medicum. Doloris intestinalis ab inflammatione pendentis princeps anodynum praebent mucilaginosa, oleosa, et tepor aequabilis, madidus. Non minus damnandus est usus Mercurii vivi, vel fumi Tabaci per clysteres immissi, contra ileum sine ulla differentia commendatus. Itidem damnosum declaramus tractamen frigidum, nisi peculiares circumstantiae aliter dictent, uti origo enteritidis, ab omni initio captae, traumatica, vel suspicio haemorrhagiae internae.

1773. Regimen diaeteticum indicationibus antiphlogisticis adprime respondens esto. Irritamenta quaevis, praesertim intestinis infensa, anxie vitanda; victus tenuis, et potus temperans, egelidus, vel tepidus, parce, sed crebro exhibendus; tepor lecti aequabilis servandus; a corporis motu et refrigerio cavendum.

1774. Expositis adminiculis, quae omnino gradui morbi adaptare, necesse est, eousque continuandum erit, donec omne malum sedatum sit; quin imo eccoproticis, mucilaginosis, et clysteribus emollientibus per plures insistendum dies, ut omnis dissipetur recidivae, vel damnosae constipationis metus.

ANOMALIAE.

1775. Quandoque sub continuata methodo antiphlogistica incitationis universalis hypersthenica conditio quidem ad amussim componitur, imo manifestus subintrat reactionum vitalium languor, quin tamen adfectio localis ad optatum perducatur decrementum; atque in tali casu unica spes in revellentem curam prudenter directam reponenda. Hinc pediluvia irritantia, epispastica suris admota, vel etiam largum vesicans ipsi abdomini impositum suam utilitatem defendunt. — In quantum sub ejusmodi — in-

ter statum incitationis universae et localis — discrepantia, nervosus potius quam arteriosus in intestinis eminet erethismus, faciliori compressionis tolerantia distinguendus; in tantum mucilaginosis narcotica et nervina adsociare licet; ita emulsa ex seminibus Papaveris albi, ex Amygdalis amaris, granulum extracti Hyosciami, vel Laudani cum Mercurio dulci junctum, infusum florum Chamomillae, frictiones linimento volatili factas. — Ea ratione, qua nervosus character manifestius evolvitur, ad stimulantem pedetentim transire oportet methodum, ita tamen modificatam, ne a directa remediorum in canalem intestinalem actione recens promoveatur irritamentum.

1776. Complicata cum saburrali colluvie enteritis, ejus diligentem expulsionem postulat, eccoproticis acidulis, salinis et lenioribus enematibus saponaceis efficiendam. Inter sales medios praeferimus Sodam phosphoratam, Magnesiam, salem Seignetti et amarum, Cremorem tartari in connubio cum Manna vel Tamarindo, mucilaginosas interpolando decoctiones.

1777. Enteritis septica, sive in ipsa origine talis, sive sub decursu in putridum versa characterem, evolutae gangraenae causa, efficacissimorum remediorum promptum imperat usum. Mucilago camphorata, decoctum Chinae, infusum florum Arnicae, Opium, acida mineralia, clysteres excitantes, fomenta aromatica, et vesicantia sistunt potiora praesidia, quibus in deplorato hocce statu aegris succurrere studemus.

POSTHUMA.

1778. Qualiscunque generis sit posthumum, quod enteritis relinquit, curae princeps scopus consistit in cauto moderamine lentae phlogoseos aut congestionis, quae vel continuo serpit, vel saltem per vices recrudescit. Quare dum suppurationis indicia patent, ab initio semper remediis utimur blandis, emollientibus, aperientibus, ut puris exitus facilitetur, stercus durum et crassum diluatur, atque peripherica, quae ulcus cingit, inflammatio leniatur. Victus nimius interdicendus, atque ex alimentis illa commendanda, quae minori copia nutriunt. Pro potu inser-

viant aquae soteriae cum lacte; clysteribus saepius injectis alvus aperta servetur. Decoctis balsamicis, detergentibus, mellitis, saponaceis, vel succis herbarum leviter adstringentium, uti Hederae terrestris, Plantaginis, Veronicae, naturae vires in consolidationis opere adjuvari poterunt. — Non desunt exempla phthiseos intestinalis ab initio captae, quae in perfectam salutem abivit.

1779. Indurationes et angustationes fistulae alimentaris radicalem medelam vix unquam admittunt, non raro tamen medicamentis resolventibus, saponaceis, aperientibus, frictionibus mercurialibus, balneis et apto regimine diaetetico placantur, ac diu sine magnis incommodis feruntur. Acria, drastica, stimulantia, stiptica, diaeta nimis lauta, atque neglectus exercitii corporis malum exasperant, et facile praecipitant.

1780. Si autem skirrhus intestinalis, opitulante phlogosi per vices recidiva, in cancrum abit, quem ex dolore fixo, rodente, acerrimo, omni patientia majori; ex dysenteria continua, foetidissima, saniosa; ex febri colliquativa et marcore sicco dignoscere licet, tunc, exclusa vel minima sanationis probabilitate, nonnisi de miserrima sorte lenienda cogitare possumus. Decocta mucilaginosa, serum lactis, cremores Hordei et Oryzae, juscula concentrata cum vitello ovi, clysmata blandissima, interpolatis Opii dosibus, vel si debilitas et liquatio increscit, decoctum Chinae, et vinum unica sistunt remedia, quibus saltem immanes cruciatus mitigare, atque mortem procrastinare tentamus.

1781. Hydrops abdominis acutus, ab intestinorum phlogosi perverse judicata oriundus, promptum jubet omnium illorum usum, quibus absorbentium vasorum actio incitari, exhalantium contra continuans secretio infringi, laticisque morbose collecti eductio promoveri poterit. Digitalis cum Nitro, Mercurio dulci, vel Cremore tartari, et si irritationis indicia evanuerint, diuretica et hydragoga potentiora, uti Squilla, Gummi guttae, Aloë, una cum replicata vesicantium adplicatione, principem laudem merentur. Contumax laticis serosi retentio, vel nimis praeceps ejusmodi collectio promptam parakentesin postulat.

HEPATITIS.

Willan, Diss. de jecinoris inflammatione. Edinb. 1780.
Bovel, Diss. de hepatitide. Edinb. 1797.
Kiesselbach, Diss. inaug. de hepatitide. Marb. 1798.
Brondfort, Diss. de hepatitide acuta. Edinb. 1803.
Saunders, A treatise on the structure, oeconomy, and diseases of the liver. London. 1793. Trad. Thom. Soemmering.
Klein, Diss. de hepatitide. Vien. 1816.
Griffiths, An essay on the common cause and prevention of hepatitis. Lond. 1817.
Bonnet (A.) Traité de maladies du foie. Paris 1828. — Gekrönte Preisschrift a. d. Franz. übers. von Fitzler. Ilmenau 1831.

1782. Hepar maxima pathologi consideratione dignum viscus est; etenim non solum insignem in oeconomia animali defendit dignitatem, verum etiam inflammatione frequenter corripitur, pro qua subeunda cunctas includit conditiones, simulque in plurimis febribus epidemicis, uti biliosis, intermittentibus, typhosis, plus minusve adfectum esse solet. Etiamsi immediatus non pateat hujus visceris cum potentiis extra nos positis nexus, mediatam tamen relationem manifestissimam habemus e consensu vel antithesi cum organis externis concipiendam.

NOSOGRAPHIA.

1783. Symptomata constantiora, e quibus ad praesentiam inflammationis in hepate concludimus, sunt: dolor ad hypochondrium dextrum, mox obtusus, mox acutus; tensio et anxietas epigastrica; decubitus in oppositum latus difficilis; bilis in primis exuberans viis, vel icterus, ceu signa functionis laesae; febris inflammatoria comes.

1784. Caeterarum inflammationum adinstar hepatitis cum horrore inchoat, interdum sat vehementi et diuturno, cui aestus sequitur, indies quidem auctus, ast matutinis plerumque horis remittens, comite siti, kephalaea, turgore universali, ac reliquis angiosthenicae febri propriis satellitibus. Consuetissimum, quod illico evolvitur, symptoma est dolor, cujus tamen varia esse solet intensio et qualitas; nunc enim acutus, pungens et acerrimus, hypochon-

drio non solum infixus, verum etiam ad loca intercostalia, ad scapulam et claviculam, aliave ejusdem lateris confinia protenditur, sub omni respirationis profundae conatu, tussi, sternutatione, valdopere auctus; mox vero adeo obscurus et obtusus esse consuevit, ut nonnisi tactu rudiori, et dum alte spirat aeger, animadvertatur, sensum ponderis, plenitudinis et oppressionis referens. Quare sub minima hepatitidis suspicione solertissima requiritur hypochondrii, et locorum, quae circa costas spurias lateris dextri sunt, contrectatio et pervestigatio. Dolores autem plurimum augentur, quando sinistro lateri incumbit aeger, ob ligamentorum tensionem. Ipsius hypochondrii tumor circumscriptus nonnisi sub inflammationis gradu altiori, vel si ante morbi exordium jecinoris volumen auctum fuisset, deprehenditur; tensio tamen major, praesertim sub decubitu supino, vel in oppositum latus tentato, constanter adesse solet. Incitata in hepate vehementius inflammato caloris evolutio aestum hypochondrii intestinum, fomentorum adpositorum evaporationem, et citam exsiccationem producit. — Super dolorem anxietas summe molesta, et spiritus difficultas notanda est, quae maxime sub sensus cadit, dum aër adtrahitur, comite quandoque tussi clangosa et arida.

1785. Ea ratione, qua turgor hepatis crescit, ejus quoque functiones pervertuntur; bilis utpote vel intenditur, vel supprimitur secretio et excretio, ejusque nunc in primis, nunc in secundis viis cernitur abundantia et praedominium. Inde fastidium ciborum, lingua sordida, sapor oris amarus, nausea, ructus, vomituritiones, vomitus bilis flavae, vel porraceae, pondus in praecordiis, gastrodynia, icterus, vel saltem flavida albugineae oculi decoloratio, urinae croceae, diarrhoea biliosa, vel e contrario immorigera alvus cum faecibus griseis, albidis, lutosis. — Levis hepatitis secretione fellis plerumque adaucta incedit, cujus, ni excretio per ductus choledochos praepediatur, major in primis viis copia manifestis saburrae signis dignoscitur. Infracta vero per altiorem phlogoseos gradum bilis separatio, distingui poterit ex ejus per universam humorum massam abundantia, atque vicario per su-

perficiem secessu. Prouti vel hepatica, vel kystica retinetur bilis, decoloratio nunc flava, nunc viridescens conspicitur.

1786. Hisce jam magis fidelibus inflammati jecinoris symptomatibus, quorum si non omnia, saltem plura, et diversimode modificata observare licet, alia adhuc accedunt minus certa, quae suam originem vel ex intimo hepatis cum organis vicinis et remotis nexu, vel ex universali irritatione, vel demum ex ratione subjecti, causaeve producentis depromunt. Huc spectant: pervigilia, deliria, singultus (1), cardialgia, lumbago, tormina, meteorismus, torpor brachii dextri, molimina haemorrhoidalia, epistaxis e nare dextra (2), pulsus arteriarum pleni, fortes, duri, veloces, facile inaequales et intermittentes. Non rarum postremo est, dum morbus ingravescit, sinistrum de dolore participare hypochondrium. Hydrophobiam accedentem semel observavit Portalius (3). Sanguinis e vena educti conditio eo differt, quod crusta phlogistica flavicante tincta adpareat colore, ipsumque serum non raro viridescere soleat.

(1) Hippocratis Aphorism. V. 58.
(2) Sprengel, Handb. der Pathologie.
(3) Cours d'anat. med. V. 300.

1787. Diversa mali extensio et intensio decursus rationem determinat; unde inflammatio jecinoris acuta per tres vel quinque crescit dies, ad septimam, nonam, rarius ad decimam quartam usque in acme consistit, atque solemnibus fracta crisibus, mox brevi, mox lentiori passu ad decrementum inclinat, nisi praecox mors morbi cyclum truncaverit.

VARIETATES HEPATITIDIS,

EARUMQUE DIFFERENTIAE.

1788. Habito sedis respectu, inflammatio hepatis duas palmarias offert varietates, quarum una in parenchymate, altera in membranaceo amiculo irritationis focum agnoscit; — distinctio maximi sane momenti, quatenus formae istae non solum evidenti symptomatum et decursus

differentia stipantur, sed etiam vario periculi gradu incedunt.

Val. ab Hildenbrand, Ratio medendi clin. Vindob. T. I. p. 67. etc.

1789. Si parenchyma hepatis, intacto peritonaeo, inflammatur, quod quidem rarius contingit, dolor visceris aut nullus, aut summopere obtusus est, ponderis contra et plenitudinis sensus, comite anxietate, inquietudine maxima, corporisque jactatione; functio jecinoris aperte laesa, vomitus cum lingua spurca, orisque amaritie, diarrhoea biliosa, aliave symptomata gastrica, polycholia et auriginis indicia vix unquam desunt, atque pulsus arteriarum inaequales, quandoque intermittentes sunt, qui abunde indicant manifestum in systemate venae portarum obstaculum, ac praepeditum sanguinis debita aequabilitate in atrium cordis venosum influxum. Decubitus in latus adfectum tolerabilis, in oppositum summos angores creans; non infrequens dolor lienis; febris inflammatoria vehemens, critica.

1790. Dum vero hepatis serosum velamentum, — sive illa peritonaei pars, quae jecur ex omni parte cingit, investit, ligamenta componit, ac ipsos lobos connectit, — inflammatione obsidetur, parenchymate intacto, vel levissime tantum irritato (hepatitis peritonaea), tum dolor est acutus, plus minusve acerbus, sub corporis motu, contrectatione, inspiratione profunda auctus, saepe punctorius, ad continguas aeque, ac ad magis dissitas partes, praesertim ad pleuram dextram facile propagatus. Desunt viceversa cholepoëseos perversae indicia; symptomata gastrica, aurigo, pulsuumque irregularitas.

1791. Propter amplissimam peritonaei hepar obducentis extensionem, ac multifariam cum vicinis organis connexionem, cum remotis philadelphiam, hepatitis membranacea summe proteiforme constituit malum, quod pro diversitate sedis specialioris alias libenter mentitur adfectiones, nec adeo facile, quam crederetur, distingui potest.

1792. Quae partem hepatis gibbam, sub diaphragmatis fornice sepultam, tenet phlogosis, dolore stipatur acuto, punctorio, lancinante, sub tussi, inspiratione pro-

funda, et risu augendo, ad dorsum propagato; respirio accelerato, decubitu in latus adfectum plerumque dolente; unde nonnunquam medico sub imagine pleuro-pneumoniae, vel diaphragmitidis imponit.

1793. Si inflammatio imam, sive concavam jecoris superficiem occupat, in sinistrum latus difficilius convertitur aeger; plura etiam circa stomachum urgent incommoda, dolor acerrimus, urens, super ventriculum vel intestina diffusus, tensio epigastrii, vomitus rebellis, singultus strangulans, vel lumbago molesta. Hujus formae cum gastritide, enteritide vel nephritide similitudo, ac facilis proinde confusio clare patet.

1794. Inflammatio vesiculae felleae, cholekystitis, non posset ex aliis, nisi eis, quae imam hepatis partem inflammatam indicare solent, symptomatibus supponi, praesertim si materies vomitu rejecta continuo aeruginosa, vel herbacea, dolor profundus, acer, et acutus, icterus repentine ortus, dolores colici feroces, febris levis cum pulsibus valde contractis et exilibus, atque manifesta diatheseos calculosae indicia in connubio fuerint. Nihilominus tamen diagnosis plerumque anceps manet; atque interdum in cadaveribns consueta inflammationis consectaria inventa fuere, uti membranarum callositates, concretiones, exulcerationes, quin durante vita primitivi mali in vesicula delitescentis suspicio mota fuisset.

1795. Si hepatis lobus sinister inflammatur, quem non raro ad lienem usque protensum observare licet, praesertim in subjectis junioribus, et febre intermittente diuturna, vel saepius recidiva vexatis; summa tunc ad epigastrii regionem evolvitur tactus intolerantia, et facilis minimae ingestorum copiae vomitio; unde maxima hepatitidis cum gastritide analogia. — Si vero inflammatio in inferiori et dorsali hepatis portione sub costarum arcu profunde latet, singultus frequens, dyspnoea et lumbago fixa prae aliis urgent symptomatibus, atque dextri quasi renis cruciatus aemulat.

1796. Praeter varias hasce hepatitidis quoad sedem specialem differentias, celebrata a quibusdam invenitur in arteriosam et venosam distinctio. Etiamsi negari ne-

queat, in uno casu ramos arteriosos, in altero venosos eminentius turgere, testantibus id etiam cadaverum sectionibus; hocce tamen discrimen ad lectum aegrorum definitis signis nequaquam evinci poterit, neque alicujus in dirigenda therapia vel prognosi utilitatis esse videtur.

1797. Aliam hepatitidis in decursu et symptomatibus variantis rationem offert constitutio epidemica et climatica. Notum abunde est calorem aestivum, atque torridae zonae fervidum coelum hepatis functiones, et speciatim cholepoësin mirum in modum exaltare, unde mox periodicus genii epidemici biliosi circuitus, mox stabile morborum biliosorum dominium. Si jam nunc positivi cujusdam stimuli influxus accedit, quo systema arteriosum ad vehementiores incitatur reactiones, illico major in hepate jam praedisposito, ac justo plus turgido nascitur congestio, quae facili negotio ad verae phlogoseos culmen evehitur. — Hancce hepatis inflammationem tropicis regionibus, praesertim ad Gangis ripas familiarem (1), ac sub ardente Syrio in nostris quoque terris moderatioribus quandoque obviam distinguit: 1) maxima biliosi laticis redundantia, unde consueta, quae febribus biliosis aestivis propria esse novimus, phaenomena, uti linguae sordes, vomitus, dysenteria, cholera, aurigo intensa, urina fomite bilioso saturrima, originem trahunt; 2) facilis phlogoseos topicae in suppurationem, atque febris comitis in characterem nervoso-typhosum et putridum nisus. — A febre ardente sive Causo parum differt haecce hepatitis, a Fischero et Külbelio in ditione Pegaviensi (1); et a Sarconio circa Neapolin 1764 observata (2); leviori in gradu sub larva febris biliosae medicum fallit, cui, etsi non inflammatio, saltem turgor quidam hepatis fere constanter adhaeret. Ipsam febrem flavam, malum Indiae occidentalis endemicum, a Causo et hepatitide graviori vix differe, clariss. Moseley (4) contendit.

(1) Murray Diss. de hepatitide maxime Indiae orientalis. Goet. 1779. — Girdlestone Essays on the hepatitis and spasmodie affections in India. Lond. 1788. — Saunders (W. Observations on the hepatitis of India. Lond. 1809. — Johnson the Influence of tropical climates. 1827. pag. 187.

(2) Halleri, Diss. pract. Vol. V p. 146.
(3) Geschichte neapolit. Krankheiten I. §. 248.
(4) Moseley Treatise on tropical diseases. Lond. 1792. pag. 391.

1798. Spectata duratione inflammatio jecinoris in acutam et chronicam dispesci meretur. Acutae notionem jam prius exposuimus. Chronicam sequentia indicant phaenomena: sensus caloris intestini, ponderis, aut plenitudinis ad regionem hepatis; dolor obtusus, quandoque nonnisi sub compressione, vel dum erectus altius adspirat aeger, percipiendus; decubitus in latus oppositum difficilis; tumor jecoris saepe sat manifestus; anxietas epigastrica; dyspnoea; fugax ad scapulam dolor; ructus et flatus copiosi; inappetentia; oris amarities, nausea, per vices vomitus; dyspepsia; molestiarum omnium constans post mensam augmentum; alvus dura; albugineae flavedo diverse intensa; faciei squalor, vel auriginis stationariae clara indicia; urinae croceae; molimina haemorrhoidalia; animi desponsio; facilis in iram pronitas; febricula vespertinis exacerbata horis; corporis extenuatio. Ad faciliorem morbi conceptum plurimum adhuc contribuit causarum praegressarum, temperamenti, vel contemporaneae labis organicae in eodem viscere adtenta consideratio.

1799. Quamvis sat vulgarem adfectum in praxi diutina hepatitidis forma sistat, haud raro tamen adeo obscure delitescit, ut ab aegris vilipendatur, a medentibus praetervideatur; hepatitis occulta. Vix unquam solitaria decurrit, nisi cohibitae cujusdam evacuationis suetae vicarium turgorem constituat; plerumque organica hepatis vitia comitatur, uti vomicas, ulcera, emphraxes, calculos, atque tunc denuo mox simplicem congestionem, mox veram phlogosin per vices recrudescentem, atque per septimanas, imo menses protractam offert.

1800. Ultimam denique, ac summi momenti formam hepatitidis in ejus anomaliis invenire licet, quae plerumque a variis derivant complicationibus. Praeter gastrico-biliosam, supra adlatam, notari adhuc meretur hepatitis typho nupta. Non solum typhus europaeus, sed praecipue typhus occidentalis crebro cum notabili jecinoris irritatione, aut vera phlogosi incedit, cujus com-

plicationis diagnosis ex copulatis invicem symptomatibus hepatitidis et febris nervoso-typhosae depromitur.

1801. Omnes reliquas differentias quoad originem, causam, hepatitis cum reliquis inflammationibus communes habet.

CAUSAE.

1802. Quamquam in phlogosi qualicunque contrahenda, nisi stimuli violenti supponatur actio, dispositio in organismo delitescens principalem geneseos partem tenet; eam tamen in hepatitide construenda tanto majoris momenti esse, vel inde patet, quod immediatus injuriarum cosmicarum in jecur influxus non existat, sed sub omni hujus visceris reactione morbosa aliorum organorum, vel systematum intercessio requiratur. Quare ad rectum nosogeniae conceptum pervenire nequimus, nisi maximus ad momentum proëgumenon, ad morbi atrium, ad organa cum hepate per sympathiam juncta, vel per antithesin discrepantia habeatur respectus.

1803. Si perpendimus hepar summae in oeconomia animali dignitatis viscus esse, quod non solum specifico muneri praeest, scilicet cholepoësi, sed etiam in adsimilationis processum plurimum influit (1), talique pacto cum plerisque organis in intima relatione existit; — nil mirum sane est, ejus functiones ab epidemicis influxibus non minus, ac ab injuriis accidentalibus aliarumque partium morboso statu alterari posse. Et revera experientia abunde confirmat, hepar in omnibus febribus epidemicis plus, minusve occupatum esse; aestivo enim tempore manifeste turget, ac biliosae dyscrasiae primitivum largitur fontem; saeviente bruma non minus exstimulatum, ac saepe inflammatum deprehenditur; sub aequinoctiis, dum vastissimum imperat febrium intermittentium dominium, diversis adfectibus obnoxium cernitur; intercurrentibus demum contagionibus typhosis pariter pati consuevit.

(1) Hartmann Theorie der Krankheit etc. Wien 1823. §. 165.

1804. Quum immediatus potentiarum extra nos positarum, quibuscum machina organica continuo collucta-

tur, in absconditum jecur influxus vix detur, necesse est, ut ortus dispositionis, quae hepatis passiones invitat et fovet, ex aliis morborum atriis repetatur. — Potest autem triplex adsumi via, per quam injuriis externis in hepar conceditur actio, nempe via circulationis, adsimilationis, et systematis dermatici.

1805. Per viam circuli hepati infensa redduntur, quin tamen adsimilationem alterent: constitutio atmosphaerica hyemalis; aër utpote frigidus, oxygenio dives, positiva eminens electricitate; abusus spirituosorum; cursitatio nimia; inflammationes pulmonum; profluviorum habitualium retentio, praecipue haemorrhoischesis. — Per adsimilationis iter hepatis labem inducunt omnia illa, quae bilis secretionem quantitate augent, et qualitate alterant, uti temperamentum cholericum, atrabiliarium, victus animalis, aromaticus, dyspeptus, calor aestivus, dyscrasiae humorum, diathesis calculosa, vel quae in ipso viscere processum vegetativum intendunt, praeprimis febres intermittentes, obesitas excessiva, vita sedentaria. — Mediante systemate dermatico tandem hepar exstimulare valent vicissitudines atmosphaerae, refrigerium repentinum aestuanti corpori admissum, maxime sub natatu, et suppressa inde transpiratio, diarrhoeae chronicae derepente cohibitae, metaschematismi rheumatis, erysipelatis, scabiei. — Quae per circuli, vel assimilationis viam in hepar influunt, potentiae nocivae parenchymatis phlogosin creant; quarum contra actio e superficie cutis versus jecur dirigitur, velamenti serosi eminentem irritationem producit, ex intimo inter singulas membranarum sphaeras consensu concipiendum. — Videtur viscus biliferum sub omni aestu corporis, vel atmosphaerae multum, ac peculiariter expandi, sub refrigerio repentino autem derepente contrahi, talique ratione diversos systematis biliosi morbos invitare.

1806. Qualiscunque autem generis fuerint mox adlatae injuriae, si leviori gradu in organismum agunt, hepar ita disponunt, ut minimi stimuli accedentis actio versus partem proclivem et praeparatam dirigatur; si vero intensiores redduntur vel majori numero concurrunt, procatarc-

ticas offerunt causas. Inde concipitur major, minorve genii epidemici, vel endemicae constitutionis in hepatitide procreanda potestas, nec non multo insignior dispositionis, quam causae occasionalis in hepatitidis nosogenia influxus, quo quidem adhuc plurimum contribuunt temperamentum cholericum innatum, haereditaria labes, vita sedentaria, aetas tenera, nativitati proxima, cui jecur citra proportionem evolutum, et voluminosum esse compertum habemus, atque aetas virilis.

1807. Inter causas excitantes, quae idiopathicam, modo primariam, modo secundariam hepatis inflammationem provocare valent, et quarum quaedam nulla praedispositione speciali egent, enumerandae inprimis veniunt omnes violentiae mechanicae versus jecur directae, vulnera, contusiones, commotiones ex lapsu, verbera; inde frequens morbus inter captivos, qui birotos carros ducere coguntur; vomitus pervicax; producta organica morbosa, uti calculi biliarii, sive in ductibus hepaticis, sive in kystide fellea formati; vermes hepar incolere soliti, Distoma hepaticum (Leberegel) et Ecchinococcus hominis (Hülsenwurm); vomicae; ulcera; steatomata; skirrhi; tubercula; incitamenta organismi dynamica, prae aliis ira vehemens: impedita fellis excretio per spasmum, vel saburram tenacem in duodeno; metastases (1).

(1) Rouly Diss. sur les depôts, qui ont lieu au foie, consécutivement aux blessures. Paris 1803.

1808. Symptomaticam jecinoris phlogosin e passione analoga viscerum contiguorum, ventriculi, diaphragmatis, intestinorum; sympathicam irritationem e graviori sensorii communis adfectu, praesertim post capitis laesiones, haud infrequenter proficisci videmus.

TERMINATIONES.

IN SALUTEM.

1809. Optatissimus hepatitidis in sanitatem transitus mediante resolutione benigna contingit, quo quidem, dum de acuta agitur morbi forma, medicatricis naturae molimina plurimum contribuunt. — Inter evacuationes

criticas, quas die septimo, nono, vel decimo quarto cum luculenta symptomatum declinatione suboriri conspicimus, referuntur tum apostaticae, uti sudores copiosi, lintea quandoque flavido tingentes calore; urinae profunde rubrae, cum hypostasi furfurea, lateritia, vel albicante; restitutus haemorrhoidum fluxus; epistaxis spontanea; tum idiostaticae, fomitis utpote biliosi per alvum, vel vomitum secessus. — Eo tempore, quo bilis, jecinoris opplens parenchyma, in duodeni depluit cavum, non raro aliquid cruoris simul separatur, unde diarrhoea biliosocruenta comparet, cui hepatorrhoeae nomen tribui solet. — Quandoque icterus ultimis morbi diebus cum notabili aegrorum solamine evolvitur, quem fors ceu crisin quandam erroneam considerare liceret. — Observatum est etiam dolorem modicum lienis tumidiusculi, dum ad initium inflammationis accederet, avertere salubriter nimium sanguinis impetum in hepar ruentis, quod e mutuo utriusque visceris commercio derivandum, talique pacto saltem signis imminentis resolutionis adnumerari potest.

IN ALIOS MORBOS.

1810. Gravior, pertinax, ac saepius recidiva hepatitis, quae resolvi recusat, in organica libenter nititur posthuma, inflammationibus generatim communia. Ad eorum tamen diversitatem, praeter alia, in subjecti dispositione, causis, genio epidemico, complicationibus quaerenda, momenta, plurimum sane confert substrati eminenter inflammati natura. — Parenchyma hepatis, ceu organi glandulosi, maxima sanguiferorum vasorum copia instructi, in suppurationem, parectama, et indurationem pronum videmus, — serosum contra velamentum, dum inflammatur ad hypoclepsin, et concretionem inclinat.

1811. Frequens et plerumque infaustus hepatitidis exitus est suppuratio, cui tamen saepe et alia adhaerent vitia. Ulcera hepatis crebrius in lobo dextro, et parte convexa reperiuntur, quandoque adeo vasta, ut tota ferme hepatis substantia exesa pateat, superstitibus solis vasis et ductibus biliferis. — Materies, quae in vomicis separa-

tur, libenter mali moris esse consuevit, saniem referens foetidissimam, quasi faeculentam; unde praeceps visceris corrosio pendet. Inter rariores omnino spectat casus, apostema adeo firmo cingi sacco, ut vicinas arrodere nequeat partes, per annos tunc excurrere visum. Mox unica tantum pyokystis molis majoris, mox plures abscessus huc illuc sparsi efformantur, mox vero hepatis substantia innumeris conspersa cernitur punctis suppuratis, unde mirum in modum friabilis redditur; caries hepatis. Suppurationes manticulae serosae quidquam melioris notae esse solent, teste jam Hippocrate.

Haase, Diss. de abscessibus hepatis. Lips. 1776.

Kieselbach (Ph.) Diss. de hepatis abscessibus. Marb. 1798.

Günther Diss. de hepatitide, adjuncta observatione de suppuratione hepatica. Rostock. 1819.

Louis über Leberabscesse. (In Heidelberger klinische Annalen. Suppl. Band. 1828. S. 59.

1812. Factum in jecore abscessum noscimus: ex inflammatione praegressa, et non resoluta; ex remanente sensu ponderis, plenitudinis et pulsationis; dolore ad scapulas; ictero persistente, quin imo indies aucto (icterus purulentus); faciei lurido squalore; ex tumore et fluctuatione ad hypochondrium, plus minusve manifesta; ex alteratis primarum viarum functionibus, dyspepsia, flatibus copiosis, borborygmis et alvo dura; e phaenomenis consuetis febris suppuratoriae, corporisque gradaria extenuatione, quorum omnium syndrome phthisin hepaticam constituit. — Non desunt tamen exempla suppurationum adeo clandestine delitescentium, ut neque dolorem, neque alia symptomata sibi propria producant. Recentiorum observatione non solum, verum etiam antiquissimorum, praesertim Galeni et Celsi auctoritate constat, viscera abdominalia saepe inflammari, pus in iis colligi, sedemque apostematum ventris difficulter, et quandoque dubiis signis explorari.

Schroeder, Comment. de phthisi hepatica. Goett. 1783.

Roussin Diss. sur la phthisie hépatique. Paris. 1805.

1813. Si vomica hepatis rumpitur, purulentus latex

varias sibi eligit vias, quibus e corpore, vel saltem e viscere adfecto educitur; 1) mox enim per ductum hepaticum intestinis infunditur; 2) mox in cavum abdominis eructatur; 3) mox in massam circuli resorbetur; 4) per corrosa integumenta abdominis extrorsum eliminatur; 5) mox diaphragmate perfosso thoracis caveam inundat.

1813. Interdum contenta in hepate materies purulenta per ductus biliferos sibi viam sternit, atque varia copia in duodenum intestinum destillat. Inde nascitur vomitus purulentus, diarrhoea saniosa, foetidissima, subcruenta, sub doloribus colicis, sudoribus profusis, ac debilitate summa, cum transitorio et doloso levamine, successu tamen plerumque lethali. Rarissime accidit, pristinam valetudinem ulcere sanato recuperari (1).

(1) Garnett, in Medic. Comment. Edinb. Dec. II. B. III. p. 30. — Portal, Cours d'anat. med. V. 304.

1814. Pejor adhuc exitus suppurationis in hepate latentis est, cum rupta vomica sanies in caveam abdominis effunditur. Repente aliquid intus ruptum sentiunt aegri, abdomen inflatur et tenditur, succedunt animi deliquia, sudores viscidi, anxietas intolerabilis, tympanites, collabitur facies, ac cito extinguuntur, qui ante pauca minuta salutis spe alebantur.

1815. Ubi tenaces vomicae hepaticae parietes rupturae resistunt, purulentus quandoque resorbetur latex, atque in massam circuli delatus vel per urinas eliminatur faustiori omine, vel vero ad alia metastatice deponitnr organa, ad pulmones, enkephalon, ad suras. Ideo dum pertinacia in suris nascuntur ulcera, suspicionem hepatis exulcerati movet Sprengelius.

1816. Quando hepar inflammatum sub costarum spuriarum marginibus prominet, atque sic ejusdem abscessus, cum peritonaeo facile cohaerens, ad exteriora divergit, vel spontanea accidit diruptio, vel vero aperturae chirurgica manu suscipiendae occasio conceditur. Nisi pertinaces nascantur fistulae, vel notabilis jam consumpta fuerit hepatis portio, sanationis interdum aliqua spes arridere potest; praesertim si pus effluit, album, homogeneum, inodorum, ac specillum non colorans fuerit. Maxima vero circumspec-

tione opus est, ne ejusmodi abscessus hepatis pro fluctuante kystide fellea, monente Svietenio, habeatur. Dolet autem ille tumor initio durus, calet, rubet, pedetentim extenditur, ac deinceps fluctuat, concurrentibus simul reliquis, quae suppurationem indicant, signis.

1817. Rarissima demum sunt exempla ulcerum hepatis, quae diaphragma corrodendo in pectoris cavum evacuantur, vel et concretum cum diaphragmate pulmonem depascuntur, sanie in ipsa bronchia effusa, et tussi ejecta (1). — Quocunque autem loco visceris ichorosus liquor emoveatur, spes salutis semper dubia et fallax erit.

(1) Bang, Diarium pract. P. I.

1818. Specificum, quod chronicam praesertim hepatitidem quandoque excipere visum est, consectarium sistit steatoma (1), cujus genesis e processu suppuratorio peculiarem in modum modificato, pseudopyosi, fors haud sine jure, concipi poterit. Ignorantur adhuc conditiones specialiores, quae huic metamorphosi producendae favent; ast summa inde elucescit hepatis cum glandulis conglobatis, eundem exitum libenter petentibus, analogia. — Steatosin hepatis raro solitariam, saepe saepius suppurationi et cariei (Mürbheit) junctam observamus. Quandoque unicus in nucleo visceris delitescit saccatus tumor, ita quidem, ut ab extus (dissecto cadavere) neque conspiciatur; quandoque notabiliter prominet, praesertim ad superficiem convexam, atque fungosam quasi praesentat excrescentiam; discissus massam offert melliformem, flavescentem, vel caseosam, albidam, friabilem, granulosam, vel lardaceam, cultro renitentem; subinde numerosa reperiuntur tubercula, analogis substantiis referta (2). Symptomata, quae huncce adfectum chronicum comitantur, ab illis hepatitidis lentae et phthiseos hepaticae vix differunt. Ejus genesi favere videntur organi textura, ejusque facilis in hyperepidosin (nimium incrementum) nisus, nec non nutritionis universae excessus; in obesis enim hominibus aeque, ac in anseribus saginatis analogam hepatis metamorphosin contingere abunde notum est.

(1) Val. ab Hildenbrand, Ratio med. P. II p. 145.

(2) Farre, Morbid anatom. of the liver. London 1814. Fasc. I. Pl. I. — Vide Meckel's deutsches Archiv für Physiologie 1815. 1. B. 3. H. S. 432.

1819. Satis vulgaris hepatitidis tum acutae, tum praeprimis chronicae exitus est durities morbosa, quae in gradu minori obstructio, infarctus, emphraxis, ad maximum vero evecta gradum skirrhus vocatur, et frequenter cum visceris mole aucta (parectasia), rarius cum ejusdem imminutione (mejosi), ut plane nequeat tactu explorari, juncta incedit. — Digestionis vitia, flatus copiosi, alvus segnis, gastrodynia, dyspnoea, vomitus, icterus squalidus pertinax, cum fuliginosa quasi adnatae oculi decoloratione, inflammatio saepius recidiva, tandem hydrops abdominis secundarius, et marcor universalis praecipua sistunt, quae hepatis scleroma comitari solent, symptomata. — Quandoque totum jecur aequabiliter induratum observatur, eum tamen in modum, ut illius fabricam et naturam nonnisi parum alteratam conspicias, duritie excepta; quandoque vero singuli tantum parenchymatis vasculosi fasciculi et acini obdurescunt, unde hepar numerosissimis conspersum cernitur tuberculis, a magnitudine pisi ad eam nucis avellanae, quorum nonnulla praeter duritiem nil morbosi offerunt, alia vero alteratam diversa ratione texturam (exallaxin) patefaciunt, de qua in priori paragrapho. Degenerationem substantiae hepaticae, a Laennecio nomine kirrhoseos (a κίρος, flavus) insignitam, quatenus concrementum coloris flavo-aurantiaci praebet, Andral nonnisi pro specie hypertrophiae cum textura granulosa declarat. Bilis in ductibus et acinis biliferis stagnans et coagulata procul dubio coloris culpam habet. — Conditiones potiores, sub quibus hepatitis in indurationem nititur, sunt: latens in corpore diathesis febris intermittentis, vel inductus jam per easdem infarctus, obesitas, stases abdominales, tardus sanguinis per venam portarum motus, haemorrhoides, abusus adstringentium.

Koenig, Diss. de hepatis induratione et abscessu. Goett. 1803.

Freudenberg Diss. de tuberculorum in hepate et pulmonibus causis atque cura. Bonnae 1824.

1820. Quemadmodum ab incitato, simulque qualitative vitiato per phlogosin chronicam nisu plastico in hepate mox enumeratae metamorphoses morbosae progignuntur; ita quoque ab analogo processu phlogistico adaucta, nec non qualitative alterata biliosi principii secretio concipitur. — Etsi omnem, sine distinctione, lithogenesin ex unico phlogoseos fonte derivare velle, veritati et experientiae absonum foret; sub certis tamen circumstantiis, opitulante praesertim specifica reproductionis organicae conditione, ipsam calculorum biliarium genesin, sive cholelithiasin, quandoque ceu specificum hepatitidis lentae effectum considerari posse, nihil obstare videtur. Abunde enim notum est, quantam phlogoses diuturnae in alteranda humorum secretorum, muci, urinae, lacrymarum qualitate exerunt potestatem, et quantam in formandis productionibus et crystallisationibus organicis possideant efficaciam.

Mosovius, über die Natur und Entstehung der thierischen Concremente, insbesondere aber der Gallensteine. (Vide Archiv der Physiologie von Reil und Autenrieth. Bd. XI. St. 2.)
Richelmi Essai sur les calculs biliaires. Nice 1824.
Bittner Diss. de Cholelithis humanis. Pesthini 1825.

1821. Hactenus de illis posthumis organicis, quibus hepatis parenchyma, dum inflammatur, obnoxium esse solet. — Alia vero sunt consectaria, quae amiculi serosi inflammationem excipiunt, atque ab ejus textura et functione laesa determinantur. Huc prae caeteris numerari debent diversae hypoclepseos species. Saepe tota superficies gelatinoso latice vel pseudomembrana obducta, et quasi velata adparet; vel mediante quodam coagulo plastico jecur cum vicinis coalescit organis, cum ventriculo, diaphragmate, intestinis, quo vitio levior duntaxat nascitur digestionis et motus peristaltici difficultas, cum perenni in recidivas phlogoses pronitate.

1822. Secedens majori copia latex serosus hydropem abdominis acutum creat, ex solitis, quae eundem morbum a peritonaeitide, vel enteritide ortum indicant, phaenomenis cognoscendum. — Rarius hypoclepseos specimen praebet fluidi aquosi serosam visceris mem-

branam inter et parenchyma, vel in separatis capsulis, hydatidum nomine notis, collectio. Neque desunt exempla ossificatarum in superficie hepatis insularum, quod specificum exallaxeos genus, membranis serosis per eminentiam commune, saepe saepius lentae phlogoseos effectum esse, jam alibi monuimus (§. 870).

1823. Parietes kystidis felleae haud raro incrassati, callosi, exulcerati, pseudomembranis obducti, cum duodeno coaliti, vel ductus biliferi concreti reperiuntur; e quibus vitiis quidem tuto ad praegressam inflammationem concludere licet, quin tamen eorundem praesentia durante adhuc vita cognosci possit.

Sabatier, Diss. de cystidis felleae tumoribus. Par. 1757. — P. Frank, Interpraetat. clinicae. Tub. 1812. P. I. p. 366.

IN MORTEM.

1824. Mediantibus illis successionibus diversis, quas nonnisi raro salutis restitutionem admittere novimus, mox lenta tabe pedetentim consumuntur aegri, mox derepente obeunt, uti id post acutam hydrokoeliam, vel ruptam in cavum abdominis vomicam accidit. — Infelix tamen eventus non semper a topica adfectione dependet, sed nonnunquam per febrim comitem, in characterem nervosum, aut putridum versam, adducitur.

1825. Directae mortis rationem praebet: 1) phlogoseos et febris angiosthenicae gradus adeo vehemens, ut omnis in systemate venae portarum aboleatur circulus, viscerisque in conservando processu vitali influxus; 2) gangraena et sphakelus, cujus notionem ex signis generalibus, jam alibi repetitis, nec non ex contemporanea functionis hepaticae laesione sine negotio desumere licet.

PROGNOSIS.

1826. Ex diversis, quibus inflammatio jecinoris terminari solet, rationibus jam quodammodo patet exitus futuri praesagium. Organi praestantia, ejusque in morbosas metamorphoses eminens nisus indicat, haud indifferens es-

se, dum inflammatur, discrimen. — Acutam hepatitidem chronica minus funestam agnoscimus. Quae sub decursu in characterem nervosum, vel putridum vertitur, periculi plena. — Hepatitis, aestivae epidemiae aut tropici climatis progenies, intra paucos saepe dies lethalis evadit. — Parenchyma jecoris semper majori discrimine, quam ejus superficies membranacea inflammatur; pariter hepatitis cum eminente partis convexae adfectione magis renitens esse consuevit. — Mali augurii phaenomenis accensentur: anxietas et dyspnoea continua, vomitus rebellis cum prasinae materiei ejectione; dolor fixus et vehemens, venaesectionibus non minuendus; diarrhoea saniosa et foetida; aurigo pertinax; cuncta demum, quae exitialem inflammationis in suppurationem, hydropem acutum vel gangraenam transitum indicant, signa. Singultus non tanto, quanto in aliis morbis, periculo incedit, monente Petro Frankio. — Maximam in cujusvis hepatitidis eventu futuro praedicendo circumspectionem inculcant ejus in congestionem chronicam, in vitia organica, et clandestinas devastationes nisus, nec non summe dolosus mali occulte saevientis, ac non raro sub schemate alius morbi delitescentis decursus.

THERAPIA.

1827. Hepatitidis cura iisdem fere, ac aliarum inflammationum medela, submittitur regulis, atque tum causae, epidemiae regnantis, vehementiae, tum denique subjecti aegroti et complicationis considerationem sibi exposcit. — Quo gravior adfectus est, eo citius ob visceris nobilitatem, brevique mora pertimescendam organi destructionem, venaesectio sat ampla instituenda, ac pro casus necessitate repetenda. A sanguinis emissione plerumque promptum levamen trahit parenchymatis inflammatio, ob faciliorem vasorum turgidorum, quae majoris diametri sunt, depletionem, ubi e contrario, dum peritonaealem ejusdem visceris superficiem tenet phlogosis, plures requiruntur phlebotomiae ad analogum decrementum obtinendum. Dyscrasia biliosa hepatitidem graviorem, et praesertim aestivam comitari solita, valentissimo huicce

adminiculo nequaquam obstat, dummodo adfectio localis et virium status incitationem ultra modum adauctam sufficienter probent.

1828. Ab hirudinibus ad ipsam hepatis regionem adplicitis nunquam illud obtinetur lenimen, quod plerumque sat prompte sequi videmus, dum haemorrhoidalibus admoventur vasis, cujus quidem ratio rerum anatomicarum gnaro sine difficultate patebit.

1829. Plurimum denique conferunt remedia alvum laxantia, mannata, salina leniora, Tamarindi, Tartari emetici refractissimae doses, potus emollientes, aperientes, temperantes, parca copia, ne vomitus cieatur, et egelide propinati, uti decocta Althaeae, Hordei, Graminis, serum lactis, emulsa nitrata; prae caeteris autem acida vegetabilia, quibus insignes bilem corrigendi, ac aestum internum complacandi vires inesse novimus, qualia sunt oxymel, acetum aqua dilutum, acidum citricum, tartrates cum praedominante acido, uti Cremor tartari, Acetosella, succi et syrupi fructuum acidulorum, Ribesiorum, Berberidum. In eundem »topicam incitationem sedandi« scopum collimant cataplasmata et fomenta relaxantia, hypochondrio dextro diligenter admota, clysteres mollitivi, oleosi, saponati.

1830. Singulares laudes in hepatitide tam acuta, quam chronica, praesertim illa, quae tropicorum accolas invadit, sibi omni jure promeruit Calomel, cujus refracta ad unum, alterumve granum dosis, cum saccharo vel Magnesia in pulverem redacta, aliquoties in die propinatur, sub continuata reliquorum antiphlogisticorum administratione. Efficacem hujus remedii actionem potius a blanda pancreatis emulsione et alvi subductione, quam a tumultuario ptyalismo (1) exspectamus, atque ideo graviorum medicorum monitis ducti (2), a nimis protracto Mercurii dulcis, usque ad salivationem, usu sedulo abstinemus. Majoribus dosibus hujus pharmaci effectum optatum salubris catharseos tutius obtineri, cel. Annesley (3) docuit.

(1) Acrel Diss. de hepatitide ejusque per ptyalismum curatione. Upsal. 1797.

(2) Vogel, Handbuch der pract. Arzneywiss. 4. T. p. 375.
(3) Annesley Sketches of the most prevalent diseases of India. Lond. 1829. pag. 404.

1831. Omnibus hisce antiphlogisticis eousque continuandum erit, donec sedato inflammationis vigore manifestum pateat decrementum. Eodem tempore aptum regimen diaeteticum prudenter combinandum, habito simul ad molientis naturae indicia respectu, pro quorum diversa directione mox urinarum, mox alvi fluxus caute promovendus, mox subortum e naribus, vel haemorrhoidibus stillicidium fomentis et vaporibus emollientibus sustinendum.

1832. Hepatitis complicata et anomala juxta generales regulas therapeuticas tractanda. Colluvies biliosa, quae ventriculum, vel intestina opplet, purgantibus lenioribus deorsum evacuanda; vel etiam blandiori emetico, nisi gravior inflammationis gradus obstaret, sursum movenda. Imminens sub decursu hepatitidis virium lapsus, quin tamen topica adfectio decrescere videatur, promptum emplastri vesicantis suris, vel ipsi loco dolenti adplicandi usum, atque refractas Camphorae Mercurio dulci nuptas doses postulat.

1833. Hepatitis chronica eandem fere cum acuta agnoscit medendi rationem, morbi violentiae, causis producentibus et comiti vitio organico adcommodatam. Inter alia commendantur hirudines ad anum replicate admotae, unctiones unguento neapolitano factae, protractus eccoproticorum usus, Calomel cum Magnesia vel Rhabarbaro, Natrum carbonicum, aquae minerales aperientes, Selteranae, Sedlitzenses, Egeranae, Marienbadenses, Carolinae, et s. p., serum lactis, decocta amaricantia radicis Taraxaci, Cichorei, sapones medicati, clysteres, balnea, diaeta exquisita. Pediluvia nitro-muriatica novum suppeditant praesidium therapeuticum, quod Angli medici, praeeunte clariss. Scott (1), in casibus hepatitidis chronicae cum infarctu et vitiosa secretione bilis humorumque intestinalium junctae valdopere laudant. Johnson (2), Wallace (3), Coyne (4), et Annesley (5) eximios inde effectus obtinuisse testantur. Quatuor unicae acidi nitrici, ac totidem

acidi muriatici cum libra aquae commixtae, solutionem largiuntur nitro-muriaticam usui medico dicatam. Hujus 2—5 unciae duobus tribusve congiis aquae calidae, 28 circiter graduum Réaum. infunduntur, talique modo pediluvium paratur, quotidie ante cubitum per 20 vel 30 horae scripula usurpandum. Quibusdam praeplacet lavatio trunci et femorum ope spongiae, quam drachmis tribus praedictae solutionis cum quatuor sextariis aquae calidae dilutis imbui suadent.

(1) Med. chirurg. Transactions. Vol. VIII. p. 173.

(2) Johnson (J.) Treatise on derangement of the liver. 3. Edit. London 1820.

(3) Wallace Researches respect the medical powers of Chlorine, particularly in diseases of the Liver. London 1822.

(4) Coyne Observations on the aid obtained in various diseases by the external application of the nitro-muriatic acid in a bath. London 1822.

(5) Annesley Oper. cit. pag. 451.

POSTHUMA.

1834. Hepatis suppuratio vix unquam sanari, sed nonnisi leniri potest. In primordiis mali scopus medentis eo directus sit, oportet, ut superstes processus phlogisticus debite frangatur, quare leniter antiphlogisticis sedulo continuandum. Altera indicatio eo vertitur, ut evacuantibus blandioribus latici purulento vel sanioso per ductum choledochum et intestina exitus paretur, eodemque tempore febris suppuratoria comes moderetur, fractae vires refocillentur, languens reproductionis munus restauretur, dyscrasia corrigatur; aegri proinde phthisicorum more tractandi. Quodsi vero ad hypochondrium tumor durus, calens et rubens, cum manifesto fluctuationis indicio compareat, fotus et cataplasmata tumori superhabenda sunt, ut abscessus quantocyus maturari possit, quem denique promptissime chirurgica manu aperire oportet, priusquam major succedat jecinoris consumptio. Patens denique ulcus injectionibus blandis solicite purgandum, ejusque consolidatio remediis internis cardiacis et nutrientibus, externis roborantibus suffulcienda.

1835. Antiquissimi chirurgi hos abscessus ob hae-

morrhagiae metum, ferro candente aperiebant (1), vel superstratum musculosum caustico destruendum proponebant. Obsoleta utraque methodo, recentiores vel acum triquetram in cavum pure plenum immitunt, vel scalpello incisionem faciunt, priori adhuc praeferendam.

(1) Aretaei, de morbis diuturnis. Lib. I. Cap. 13.

1836. Insanabile prorsus malum constituunt pyothorax et pyokoelia ex rupto introrsum hepatis abscessu orta; neque a prompta parakentesi aliud, quam momentaneum levamen obtineri solet.

1837. Hepatis induratio skirrhosa non minus pertinax sistit consectarium; mollibus enim remediis non auscultat; acribus in cancrum horribilem vertitur, cujus dein terrifici effectus ex dolore acerbissimo, ictero perpetuo, vomitu rebelli, diarrhoea foetida et amurcosa, ex hydrope immedicabili, corporisque praecipiti contabescentia intelliguntur. Ut tamen miserrima aegrorum sors quodammodo leniatur, ad remedia aperientia, solventia, amara, mercurialia mitiora, aquas soterias cum sero lactis, ad paregorica, si dolores atroces urgent, vel si vires deficiunt, ad cardiaca, tonica et nutrientia refugere solemus. — Facilius ex adverso plurimis in casibus cedit levior hepatis induratio, infarctus vel obstructioni nomine passim nota. Praeter remedia, quae hepatitidi chronicae auxiliari diximus, quaedam praeparata Antimonii, maxime Sulfur auratum et Kermes, pulveres Plumeri, extractum Chelidonii, Aloë atque gummiferulea suppetias ferunt. Insignes demum sunt in resolvendis hepatis stasibus diutinis thermarum Carolinarum virtutes.

PANCREATITIS.

Wedekind, Aufsätze über verschiedene Gegenstände der Arzneywissenschaft. 1791.
Barforth Diss. de pancreatis morbosis affectionibus. Lund. 1799.
Harless, über die Krankheiten des Pancreas. Nürnb. 1812.
Schmackpfeffer Diss. de quibusdam pancreatis morb. Halae 1817.
Vogel (C.) Diss. de pancreatis nosologia generali. Halae 1819.

1838. Pancreatis inflammationem nequaquam adeo rarum et indifferentem morbum esse, ut silentio praeterea-

tur, valentiores unanimi consensu pronunciant medici. Mirum autem non est, ab antiquis prorsus praetervisum fuisse huncce adfectum, quum functio pancreatis nonnisi post inventum a Wirsungio ductum excretorium (anno 1642) clarius innotuerit.

1839. Ast maximae in dignoscenda inflammatione hujus glandulae abdominalis sese obtrudunt difficultates; nam 1) pancreas, dum inflammatur, ob naturalem et absconditum, quem intra mesocoli duplicaturam occupat, situm, intimamque cum contiguis visceribus, hepate, ventriculo, duodeno, mesenterio connexionem, horum adfectiones libenter mentitur; 2) ceu instrumentum minoris dignitatis graviter laedi potest, quin notabiles pariat turbas, 3) in gratiam penuriae nervorum parum dolet; 4) evidenti ac sensibus obvia functione non distinguitur, quare etiam ejus laesio — certissimum alias in determinandis inflammationibus internis criterium — difficulter innotescit; 5) raro acute decurrit, sed plerumque lento serpit passu, adeo clandestine delitescens, ut nonnisi tardius ex effectibus successive inductis pateat.

1840. Potiora, quae pancreatitidem comitari dicuntur, phaenomena sunt: sensus pressionis, caloris interni, vel doloris obtusi et gravativi ad regionem stomachi, profundus, ad dorsum porrectus, a compressione vix exacerbandus, sub extensione trunci incurvati auctus; praecordiorum anxietas et constrictio, oris et faucium insolita siccitas, vel e contrario continuus humoris salivalis, per oesophagum ascendentis, adfluxus, eumque exspuendi necessitas (sialorrhoea); anorexia; nausea; pyrosis; vomitus materiei insipidae, albicantis, aquoso-mucosae, vel etiam biliosae, si hepar simul in consensum trahitur; diarrhoea sialodes, sive secessus copiosus liquidi mucoso-salivalis, spumosi; singultus; febris inflammatoria levis. Praeter horum omnium, aut plurium praesentiam, aliorum, quae hepatitidi, vel gastritidi propria sunt, phaenomenorum absentia caute respicienda.

1841. Abunde notum est, secretionem qualemcunque leviori irritamento incitari, graviori contra phlogosi supprimi, unde etiam liquet, sialorrhoeam per varia emunc-

toria adparentem non semper constans esse pancreatitidis symptoma, iisque in casibus adhuc difficiliorem reddi diagnosin. Opinioni Wedekindii, qui fluxum coeliacum lenioris pancreaticae inflammationis effectum esse contendebat, plura sane opponi possunt.

1842. Inter causas excitantes recenseri solent: violentiae mechanicae, metastases et metaschematismi diversi generis, inflammationes organorum adtiguorum, hepatis, stomachi, duodeni, mesenterii. — Si perpendimus inter glandulas salivales et pancreas, ob structurae et functionis homoeomeriam, maximum vigere consensum, concipi quodammodo posset pancreatitidis origo ex analogis, quae salivales glandulas exstimulare solent, potentiis. Haec inter Mercurius primum sane locum tenet, ejus saltem remedii interne, ac majoribus dosibus porrecti insignem in alvo movenda efficaciam plerique practici ex incitata pancreatis secretione explicandam esse non haesitant.—Neque ab omni pancreas infestandi suspicione liberum esse crederemus abusum fumi Nicotianae, praesertim dum prava jungitur continuae sputationis consuetudo; recordamur enim amici et commilitonis pie defuncti, quem suctioni fumi Tabaci valdopere indulsisse, et copiose sputasse novimus; hujus in cadavere pancreas volumine auctum et induratum repertum fuit.

1843. Inflammatio pancreatis, quae resolvi recusat, mox in chronicum nititur decursum (1), mox posthuma organica machinatur, glandulis conglobatis universim communia. Suppuratio glandulae nunc clausa furit, ac totam depascitur substantiam, nunc proxima brevi corrodit organa; utroque in casu cunctis illis notatur symptomatibus, quae phthiseos statum componunt. Obscura tamen semper manet hujus phthiseos pancreaticae cognitio, relate ad sedem mali exacte definiendam. — Frequentius consectarium praebet pancreatis parectama et induratio, quam non raro ad skirrhi gradum evectam (2), vel in steatoma degeneratam fuisse, extispicia cadaverum docuerunt.

(1) Pancreatitis chronica; beobachtet und behandelt von Dr. Eyting. (In Hufeland's Journal. 1822. 54 B. 4 St.)

(2) Rahn Diss. sistens scirrhorum pancreatis diagnosin, observationibus illustratam. Goett. 1796.

1844. Ubi sub combinatione circumstantiarum suspicio de latente pancreatis phlogosi formari potest, cura juxta easdem, quae hepatitidis medelam dirigunt, regulas suscipienda est. In casibus pancreatis indurati Kali carbonicum profuisse Jos. Urban testatur.

SPLENITIS.

Cammerlander, Diss. de splenitide. Altd. 1758.
Marcus, Entwurf einer speciellen Therapie. Thl. II. §. 1474—1493.
Heusinger, Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündung und Vergrösserung der Milz. Eisenach 1820.
Pleischl Diss. de splenitide. Pragae 1815.
Grotanelli Animadversiones ad varias acutae et chronicae splenitidis historias. Florentiae. 1821.
Heusinger Nachträge zu den Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündung der Milz. Eisenach. 1823.
Gabba (Aloys.) Diss. de splenitide. Ticini 1828.

1845. Etiamsi nemo inficias ibit, lienem, dum stimuli positivi influxui exponitur, inflammari posse; id tamen nonnisi rarissime contingere, maxima pars practicorum confirmat, atque nobismet ipsis inter millenos, quos tractandos habuimus, aegros, nec unum adhuc occurrit verae splenitidis aut suppurationis (certissimi praegressae phlogoseos argumenti) specimen. Et tamen occasio neutiquam defecit, cum inter Longobardos per longam seriem annorum praxin exercuerimus, et quidem recte in uda planitie, ubi numerosissima extant vitiorum lienis exempla. Quare frequentiorem hujus inflammationis apud quosdam antiquiores, uti apud Alexandrum Trallianum, Sennertum, et Riverium, mentionem aeque, ac prolatam peculiari arrogantia opinionem Professoris Bambergensis, Marcus, qui creditam raritatem splenitidis nonnisi ex ignorantia et imperitia medicorum circa hocce objectum derivare vult; aliter concipere nequimus, nisi quod vel contiguarum partium phlogoses pro splenitide perperam agnitae fuerint, vel vero quod omnis, etiamsi alius indolis, dolor ad hypochondrium sinistrum, et quilibet

sanguineus turgor lienis in cadaveribus repertus, nimia facilitate, pro inflammatione splenis haberetur. Ipsum Grotanellium, praestantissimum caeteroquin de morbis lienis scriptorem, in huncce errorem inductum fuisse, non sine ratione suspicamur.

1846. Qui lienis structuram et functionem paulo curatius perpendit, absque negotio minorem hujus organi in phlogosin proclivitatem perspiciet. Est enim viscus mollissimum, spongiosum, paucissimis nervis instructum, insensile, quod sanguine scatet fluidiori, coloris tristis, nunquam congelato, hydrogeneo, destillatione plus aquae et ammonii, quam aliarum venarum cruor, largiente; viscus igitur, quod venosum magis, ut ajunt, offert characterem ac propter minorem irritabilitatis vigorem multo magis anomaliis laesae vegetationis, quam inflammationibus obnoxium esse solet. Si autem quaedam reactiones morbosae excitantur, sive id in manticula lien amplectente, sive in ipso parenchymate contingat, ad verae inflammationis potentiam rarissime extolluntur, sed intra simplicis congestionis cancellos consistunt, sphenalgiae symphoreticae nomine potius insigniendae; quem adfectum in praxi omnino frequentissimum, a vera splenitide tamen differentem declaramus.

Audouard des congestions sanguines de la rate. Paris 1818.

NOSOGRAPHIA.

1847. Splenitidem, habito sedis specialioris respectu bifariam distinguere licet, hepatitidis instar, prouti nempe vel parenchyma, vel superficies membranacea eminenter adfecta. Utroque autem in casu diagnosis manet ambigua. — Dum parenchyma inflammatur, nullus ad eam, qua lien collocatur, regionem urget dolor, nisi sensum ponderis, gravedinis, vel oppressionis excipiamus, aliorum organorum parenchymatosorum, pulmonum, hepatis, ad exemplum. Topicae igitur adfectionis in ipso liene existentis idea aliter concipi nequiret, nisi ex functione organi laesa. Quale autem est incomprehensi hujus visceris munus? — Juxta valentissimorum Physiologorum, Autenrie-

thii praeprimis, Doellingeri, et Waltheri indagines lien tanquam organon hepati et ventriculo succenturiatum considerari debet, quod non solum copioso sanguini refugium largitur, sed etiam ejus qualitatem eum in modum permutare juvat, ut pro cholepoësi et secretione succi gastrici aptior reddatur. Videtur autem specifica illa metamorphosis in eo consistere, ut sanguis arteriosus aliqua oxygenis portione privetur, seu quod idem est, ut sanguis arterioso-plasticus, in venoso-hydrogeneum mutetur. — Quomodo jam nunc de laeso hocce multiplici, cum aliis adeo intricato lienis munere convinci poterimus? — Ex manca hepatis et ventriculi functione. — Quomodo autem determinabitur hancce laesionem a vitio lienis, et non ab idiopathica illorum viscerum labe pendere? — Ardua semper erit quaestionis solutio.

1848. Ubi agitur de inflammatione capsulae splenicae fibroso-serosae, sat manifestum signum praebere videtur dolor acutus et fixus ad sinistrum hypochondrium; fallere tamen facile potest, quum aliis etiam ejusdem provinciae partibus irritatis, uti peritonaeo, pleurae sinistrae, intestino colo communis esse consuescat, neque semper ab inflammatione pendeat.

1849. Deficientibus itaque definitis et pathognomonicis signis splenitidis, diagnosis nonnisi ex syndrome plurium symptomatum, quae ab experientia huicce morbo familiaria esse comperimus, construi poterit. En potiora: dolor in hypochondrio sinistro fixus, profundus, nunc acutus, punctorius, urens, pulsatilis, nunc obtusus, oppressivus, sub contrectatione, tussi et inspiratione exasperatus, quandoque ad humerum, claviculam et mammam ejusdem lateris per sympathiam protensus; — tumor, lienis molem et figuram referens; — decubitus in latus affectum molestus, quandoque etiam in dextrum; — icterus specifica ratione modificatus, ita quidem, ut nulla pateant bilis in primis viis deficientis indicia, bilis enim e lienis functione laesa in qualitate alteratur, quin ejus per duodenum eductio praepediatur, unde aegri flavent, squalent, aut fuscedine quadam, seu flavitie atrori admixta foedantur; (color μελαγχλώρος graecorum), oculi conjunctiva

urinis et faecibus colorem naturalem servantibus; — dyspepsia, cum ardore stomachi et ructibus acidis; — nausea, vertigines, et leipothymiae, erecto corpore facilius oriundae, tanquam symptomata, quae inflammationibus organorum multo sanguine scatentium universim communia esse novimus; — animi desponsio; — vomitus biliosus, subcruentus, vel cruentus; — anxietas, dyspnoea, tussis vel singultus, si convexa et diaphragmati contigua lienis pars inflammata; — alvi obstructio; febris inflammatoria. — Major adhuc de liene adfecto certitudo habebitur, si alia simul visceris alio modo laesi, vel causarum eidem infensarum indicia pateant, uti febres intermittentes diuturnae praegressae, praesertim autumnales, emphraxis chronica, haematemesis, hepatis vitia, haemorrhoides, diathesis scorbutica, cachexia splenica.

1850. Decursus splenitidis chronicus et clandestinus acuto multo crebrior esse solet; unde denuo confirmatur, conditionem pathologicam splenitidis in simplici potius congestione, sive turgore, plerisque saltem in casibus consistere, atque nonnisi cum aliqua licentia inflammationis nomine insigniri.

Leue Diss. de splenitide chronica. Berol. 1825.

CAUSAE.

1851. Ut processus phlogisticus in organo ad eum minus proclivi oriri possit, dispositionis concursus prae caeteris requiritur, ad splenitidem producendam tanto magis necessarius, quum directa organon inter et mundum externum communio non detur.

1852. Momenta, quae lien ita disponunt, ut accedente stimulo, etiamsi relativo, facilius inflammetur, consistunt: 1) in peculiari quadam climatis et atmosphaerae constitutione. — Quoad clima, illud praesertim morbis splenicis universim favere novimus, quod perennem febrium intermittentium scaturiginem praebet; atque hoc intuitu certas Hungariae et Insubriae provincias humidas et paludosas per eminentiam infames dici posse, experientia compertum habemus. Etiamsi endemica haecce

splenis vitia plerumque secundaria esse soleant, a diuturnis saepiusque recidivis febribus intermittentibus relicta, nihilominus tamen haud infrequenter citra omnem febrem a solo influxu climatico nascuntur. Si vero excessivam atmosphaerae humiditatem, supradictas splenis labes invitantem, atque ipsius organi functionem (§. 1847) computamus, aliqua nosogeniae idea elucescit. — Habito anni temporis respectu aestas adulta et autumnus lieni praecipue infensa observantur. — 2) In specificis quibusdam diathesibus morbosis, lienis functionem constanter laedentibus, uti sunt febres intermittentes, maxime quartanae, scorbutus, et haemorrhoides. — 3) In chronicis adfectionibus non inflammatoriis splenis et hepatis, horum nempe obstructione et parectamate.

1853. Causis procatarcticis adnumerantur: violentiae traumaticae; cursitatio vehemens et protracta, qua turgorem lienis et dolorem acutum progigni quotidiana docet observatio; refrigerium repentinum, praecipue vero potus frigidus aestuante corpore, et opitulante atmosphaerae calore siccitateque avide ingestus, unde saltem in brutis morbum splenicum oriri vulgare est; retentio haemorrhoeae habitualis, praecipue fluxus haemorrhoidalis; inflammationes organorum vicinorum, hepatis, ventriculi, diaphragmatis; metastases, ipsa demum momenta proëgumena ad altiorem gradum evecta, vel majori numero concurrentia. — In cadaveribus hydrophobia defunctorum Medicus Locher lienem aliquoties inflammatum, parique tempore ejus superficiem vesiculis tum miliaribus, tum pustulosis coopertam invenit (1). Desunt adhuc aliae observationes, quae nexum causalem inter virus kynolyssicum et lienem confirmarent.

(1) Locher J. H. Diss. inaug. exhibens magnum lienis in hydrophobia momentum. Goetting. 1822.

1854. Clariores notiones de splenitide brutorum ruminantium, cui — ob nisum in sphakelum ac fere constantem characteris putridi evolutionem — gangraenae splenicae (Milzbrand) nomen impertitum est, atque adtentum examen omnium illorum momentorum, quae origini hujus cladis, quandoque epizootice dominantis fa-

vent, etiam splenitidis in homine nosogeniam plurimum illustrare valerent.

EXITUS.

1855. Splenitis haud difficulter in sanitatem abit, dum benigna succedit inflammationis resolutio, quo simul et molimina naturae critica suam contribuunt symbolam. — Quemadmodum haemorrhoeas moderatas, morbo jam adulto, in aliis inflammationum speciebus salutares observamus; ita quoque splenitis per epistaxin e nare sinistra, per vomitum, vel alvi fluxum cruentum solvi visa est.

1856. Transitus in suppurationem omnino inter rariores spectat, quae dum succedit, mox totum viscus exedit, mox stomachum (1), aut intestinum colon arrodit, purulento latice per vomitum, vel diarrhoeam rejecto, rarius diaphragma perfodit, atque vel immedicabili empyemate aegrum cito enecat, vel pedissequa tabe purulenta, phthisi splenica, pari ratione lethum parat (2).

(1) Mayer, Vomicae lienalis, quae rupto ventriculi fundo pus in illum effundebat. Francof. 1781.

(2) Contrelli Lettera sopra la suppurazione della milza. Messina 1819.

1857. Multo frequentius phlogoseos et congestionis, praesertim lentae, posthumum sistit lienis parectama et induratio, maxime dum febres intermittentes recidivae et diuturnae, stases haemorrhoidales, atque peculiaris climatis constitutio suffragatur, qualis per eminentiam in locis udis et paludosis viget (§. 1852). — Haecce splenis vitia specificam inducunt cachexiam, splenicam dicendam, quae cum leucosi kenotica et scorbuto aliquam analogiam habet, eminentem in haemorrhoeas, praesertim in epistaxin, vomitum cruentum, melaenam, et haematuriam dispositionem fovet, atque eundem constituere videtur adfectum, quem μεγάλοι σπλῆνες Hippocratici auctores nuncuparunt.

Drelincourtii, Diss. de Lienosis. Lugd. Bat. 1711.

1858. Remotiori itaque intuitu splenitis ad diversa conducit vitia, praesertim ad cachexias, eccrises, nec non ad hypochondriasin, quibus tandem medelae renitentibus

lenta mors invitatur. — Directae mortis ratio ex organi minus nobilis adfectione concipi nequiret, nisi rupturam huc referre vellemus, cujus ortui abnormis splenici parenchymatis emollitio (splenomalakia), in praxi haud infrequens, favere posset.

CURA.

1859. Splenitis non aliam, quam antiphlogisticam sibi exposcit curam, quae tamen aliquas patitur modificationes, ex parte loci adfecti, atque specificae organi naturae. Venaesectio a medicis lubentius in brachio sinistro instituitur, quin tamen sufficiens hujus praxeos pateat ratio. Hirudines hypochondrio admotae parum praestant; ad anum adplicitae melius operantur. Emollientia, diluentia, et eccoprotica generali indicationi adprime satisfaciunt. Mercurii usus, recte monent Marco, maxima eget circumspectione. Idem de Nitro adjungendum. Eminent contra pro usu interno acida, praesertim vegetabilia, quorum insignem efficaciam in cunctis morbis inflammatoriis haemorrhoea comitatis, aut in eam pronis experientia confirmatam habemus, in spleniticis adfectionibus eo facilius concipiendam, quum agatur de organo, quod ex sua natura plasticam et oxygenatam sanguinis indolem destruere adnititur, atque etiam processum phlogisticum aegrius subire valet. Regimen frigidum calido praeferendum. Pertinax haematemesis, sive splenitidis comes, sive effectus secundarius posthumi cujusdam organici fuerit, glacie condita frenanda.

NEPHRITIS.

Troja, über die Krankheiten der Nieren, der Harnblase etc. Leipzig 1788.

Espenmüller, Diss. de nephritide. Giess. 1790.

F. A. Walther, einige Krankheiten der Nieren, etc. Berlin 1800.

Hencke, Diss. de nephritide. Hal. 1806.

Pourcelot, Considérations sur la nephrite. Paris 1806.

Laurent (Victor) Considérations générales sur la néphrite. Paris 1814.

Duhalde Diss. sur la néphrite ou inflammation des reins. Paris 1815.
König Prakt. Abhandlung über die Krankheiten der Nieren, durch Krankheitsfälle erläutert. Leipz. 1826.
Ströfer Diss. de nephritide acuta. Lips. 1827.

1860. Renibus natura minorem sensus organici acutiem vel ex eo impertiisse videtur, quod acerrimo humani corporis liquori secernendo sint dicati, cujus corrosiva virtute frequenter irritari debuissent, si aequabili ratione distributus foret sensibilitatis gradus. — Inde etiam liquet minor ipsorum renum in phlogoses dispositio, ac nephritidis raritas, etiamsi ex altera parte structura vasculosissima, et arteriosus visceris character contrario favere deberet.

1861. Ren sinister frequentius dextro, parenchyma magis velamento inflammari solet. Organi tamen profunda sedes, ac intimus cum contiguis partibus nexus, cum remotis consensus, haud exiguas in dignoscenda ejus inflammatione difficultates ponit, praesertim dum morbus lente et clandestine serpit, vel dum peritonaeale amiculum laeditur, quo in casu renum functio saepe saepius illibata continuat, vel modo vix observabili alteratur. — Prae caeteris confundi posset nephritis cum inflammatione mesenterii, medullae spinalis, musculi psoae cui renes incumbunt; porro cum lumbagine rheumatica et haemorrhoidali, vel etiam cum nephralgia non inflammatoria, a quibus omnibus distinguitur recta phaenomenorum comitantium et causarum producentium consideratione.

NOSOGRAPHIA.

1862. Nephritis plerumque consuetis febris inflammatoriae prodromis invadit, quos illico dolor sequitur acerbus, profundus, continuus, mox acutus et lancinans, mox obtusus, oppressivus, vel ardens in lumbis circa ultimae vertebrae dorsi confinia, ad trium circiter digitorum transversorum distantiam a spina, altior, dum sinister, profundior, dum dexter inflammatione corripitur ren, ab ultimis costis spuriis ad ossis ilium cristam usque pertingens, quandoque juxta uretherum decursum ad vesicam,

vel per vasa spermatica plane ad testes usque protensus. Ab adtactu rudiori, tussi, aspiratione profunda, gressu, et decubitu cruciatus crescunt, unde aegri vel lateri sano, vel etiam abdomini, dum uterque ren inflammatur, incumbere coguntur; levior tamen morbus decubitum in latus adfectum non impedit. Functio renum constanter laesa adparet (nisi velamenti fibroso-serosi solitariam congestionem excipias), modo tamen juxta inflammationis sedem et vehementiam diverso; levidensis enim irritatio, praesertim spasticae adfectioni juncta, secretionem urinarum promovet (diabetes inflammatorius); graviori contra phlogoseos gradu secretionis officium infringitur (oliguria), vel prorsus intercipitur (ischuria renalis), simulque in qualitate a norma deflectit parcum illud, quod cum difficultate et tenesmo secedit, lotium, est enim flammeum, turbidum, fuscum, saepe cruentum.

1863. Reliqua symptomata, quae partim a laesis organi confinibus, partim a gradu phlogoseos altiori, partim a reactione universali systematis arteriosi dependent, sunt: vomitus porraceus, et anxietas maxima, praesertim dum ren dexter hepati proximus patitur; tussis spastica, clangosa, dolentissima; dyspnoea, et singultus ob irritatum diaphragma; tormina ventris cum murmuribus, meteorismo, et alvi oppilatione; testium spasmodica versus annulum abdominalem adtractio; cruris in adfecto latere stupor, et myrmekismus, e nervis ilium compressis; aestus intestinus ad lumbos; pervigilia; sitis flagrans; calor animalis adauctus; pulsus veloces, duri, pleni, haud raro contracti; quandoque nervorum distensiones et desipientia.

1864. Talis esset imago nephritidis acutae, quae vix ultra septimum excurrit diem, atque nunc benefica resolvitur crisi, nunc lethali eventu terminatur, nunc insanabilium malorum germen ponit. Nephritis lenta, sive in simplici consistat turgore (nephralgia symphoretica), sive organicae cujusdam labis, lithiaseos, suppurationis, comitem constituat, minori quidem decurrit vehementia, per vices remittit, ac non raro dolosas inducias praesentat, ast eo magis improvisas devastationes parit.

CAUSAE.

1865. Potissimae, quae nephritidem producere valent, causae sunt: violentiae quaevis extrinsecus illatae, vulnera, contusiones, ictus, lapsus, verbera, onerum gravissimorum gestatio, equitatio, vectio in rhedis per vias recenter stratas; calculi renales, praesertim hispidi, acuti, et asperi; vertebrarum vicinarum fracturae, stimuli chemici versus uropoëticum systema directi, idque specifico modo incitantes, uti Cantharides, Meloë majalis, balsama et substantiae resinosae, praesertim Sabina et Terebinthina, abusus vini recentis, imperfecte fermentati; refrigeratio dorsi et lumborum, sudore praegresso madentium; vitia organica in renibus latentia, uti vomica, skirrhus, steatoma; inflammationes partium vicinarum, peritonaei, hepatis, lienis, intestini coli, musculi psoae; spondylitis et caries vertebrarum; retenta diutius per spasmum urina; suppressio fluxus haemorrhoidalis, vel menstruorum; metastases et metaschematismi aliorum morborum.

1866. Harum potentiarum nonnullae renum parenchymati infensae redduntur, aliae nonnisi velamentum offendunt; — aliae, ceu stimuli magis absoluti, absque ullo dispositionis favore reni inflammando pares sunt, aliae e contrario nephritidem excitare nequeunt, nisi quaedam opituletur opportunitas, atque hanc praecipue vitiis organicis, diathesi calculosa, ebriositate, vita sedentaria, exercitiorum venereorum abusu, atque haemorrhoidibus parce fluentibus induci compertum habemus.

TERMINATIONES.

1867. Sanitas consequitur sub consuetis molimini-bus criticis die quinta, septima, vel etiam tardius subortis, quibus colatoria corporis cum solemni levamine aperiri solent. Praeter sudores copiosos et aequales, quibus febres inflammatoriae passim judicantur, plurimum ad solvendam phlogosin topicam conferunt urinae saturae, multae, crassae, cum sedimento lateritio, potum quasi coffeanum referentes, atque fluxus haemorrhoidalis spontaneus. Uror-

rhoeam in hocce casu idiostaticam sistere crisin, facile intelligitur.

1868. Quae vero intra septem dies resolutionis signa non offert, nephritis, infausti exitus omen incutit. — Potioribus renis inflammati successionibus accensentur suppuratio, induratio, hypoclepsis, exallaxis, et lithiasis, quarum posteriores tamen lentae potius nephritidi competunt.

1869. Suppurationem renis indicant doloris vehementis cessatio, superstes vero sensus ponderis, vel pulsationis, quovis corporis motu, et praesertim trunci incurvatione exacerbatus; anxietas continua, vomitus, stupor femoris, et cuncta reliqua fomitis purulenti genesin indicantia phaenomena, quae quidem diu morari possunt, quin pus cum lotio excernatur; membrana enim renem obvestiens sat firma est, ac saepe resistit destructo penitus visceris nucleo et parenchymate.

1870. Quodsi vero abscessus ita rumpitur, ut latex purulentus vel saniosus, cruore non raro permixtus, in pelvin urinariam effundatur, eum una cum urinis profluere vicemus, subsequo transitorio aegri levamine, phthiseos tamen renalis metam lethalem perraro effugientis. Exulcerationis in renibus certitudo tunc solum habebitur, ubi praeter pyuriam foetidam, simul et reliqua renis praegressam inflammationem, ejusque functionem continuo laesam indicantia phaenomena combinant; toties enim fomes purulentus ex aliis partibus absorptus cum urinis educitur, rene incolumi. Per alias vias pus aut sanies nonnisi raro exire solet. Non desunt tamen exempla ulcerum, quae, postquam renem depascerentur, vel colon intestinum perforarunt, unde diarrhoea purulenta brevi lethalis; vel vero consumptis musculis psois et lumbalibus, vertebras devastarunt, mortem aeque ineluctabilem adducentia. — In similibus lentae et clandestinae suppurationis casibus mali cognitio plerumque perquam difficilis esse solet; praesertim ubi simul aliorum organorum, lienis, hepatis, mesenterii, vesicae, vel prostatae devastationes secundariae succedunt; pseque medicorum facile princeps, Petrus Frank, latentem in rene suppurationem praetervidisse,

laudabili sua modestia confessus est. Cum eodem maximo Viro consentimus, saniem acrem e renibus in vesicam continuo depluentem, hanc ipsam irritare, spasmodicas contractiones, ac lentam phlogosin provocare, talique pacto morbi hic loci primariam sedem mentiri, quin imo in solidiorem massam coire, atque calculosae incrustationis nucleum largiri posse.

1871. Rariorem priori exitum constituit renis alterutrius induratio et skirrhus, chronicae potius, quam acutae nephritidis effectus, cujus suspicionem desumimus, si absque resolutionis et suppurationis signis durities hos in viscere ad tactum manifesta, sed indolens supersit, sensu ponderis molesto juncta; si stupor coxendicum, et claudicatio adsit; si aeger pauciora mingat, hydropicus evadat, ac pedetentim emacietur.

1872. Eodem tempore, quo inflammatus ren in scleroma tendit, non infrequenter ejus textura adeo alterari consuescit, ut primitivum prorsus amittat organisationis typum, talique modo omni urinas secernendi facultate privetur, exallaxis renum; unde mox steatomatosa, mox lypomatosa, mox alia metamorphosis succedit. Interdum varias degenerationis species in uno eodemque rene subortas observavimus, steatomata utpote, melikerides et hydatides, distinctis loculamentis a se invicem separatas. — Sub analogis vitiis organicis, quae unicum tantum destruxerunt renem, germanum constanter volumine auctum, ac ampliori pelvi instructum vidimus, quod haud ambiguum nobis dedit de duplicata ejus functionis energia indicium.

1873. Dein potest etiam uberior laticis vel serosi, vel lymphatico-plastici per superficiem peritonaealem contingere secessus, sive hypoclepsis; unde mox ankites, mox hydatides, vel colluvies serosa inter membranam firmam, quae renes obvestit, et tunicam adiposam, mox coalitus morbosi cum partibus adjacentibus.

1874. Praeteriri tandem nequit lithiasis renalis, ceu specificum nephritidis lentae consectarium, cujus originem ex incitata non solum humoris urinosi secretione, sed maxime ex alterata ejus per phlogisticum processum

qualitate concipimus, dum nempe lotium majori acidi phosphorici vel urici copia foetum una cum secedentibus particulis laticis albuminosi congelatur, atque in renis pelvi colligitur. Quanta phlogoseos pervicacis ac lente serpentis universim in formandis productionibus morbosis varii generis sit efficacia, opitulante praeprimis processus vegetativi labe, humorumque dyscrasia, cuivis medico abunde notum est. Nil mirum itaque, sub eminente in renibus oxysi — conditione ad calculorum genesin necessaria (1) — concrementa calcarea efformari, quin tamen ideo omnis lithogenesis, sine distinctione, ceu phlogoseos productum considerari debeat.

(1) Mosovius, über die Entstehung der thierischen Concremente. — In Reil's Archiv für die Physiologie. II. B. S. 259.

1875. Lethalis nephritidis exitus triplici ratione consequi solet: 1) vel suppressa ex integro utriusque renis functione vicariae nascuntur laticis urinosi secretiones, quae dum in enkephalo contingunt, apoplexia invincibili aegrum trucidant. Aperto defunctorum cranio urinosus foetor de funestissima hacce metastasi extispices convincit. Vel 2) gangraena consuetis signis comitata, virium prostratione extrema, animi deliquiis, sudore frigido, pulsu exilissimo, intermittente, deliriis, singultu, vomitu, lotii suppressione, vel ejus putridissimi et nigricantis secessu, necopinam parat necem. 3) Vel tandem fatalis inflammationis non resolutae in suppurationem, aut skirrhum exitus (1), aut febris inflammatoriae in characterem nervosum, putridum versio, mortis causam praebet.

(1) Vastus abscessus renis dextri atque vesicae unacum degeneratione skirrhosa pretiosam eximii Burserii vitam ademit.

1876. Praesagium futurae sortis in cunctis nephritide adfectis maxima circumspectione instituatur, oportet; quae enim ex absolutis proficiscitur irritamentis renum inflammatio, vehementiae causa exitialis evadit; quae contra e relativis oritur stimulis in organo ad phlogoses universim minus disposito, funestam in eo diathesin, et labem plerumque organicam supponit, unde non minores, utut lentiores, struit insidias. Sanationem respuit omnis nephritis

secundaria, ex suppuratione, skirrho, vel calculis oriunda. Pessimi ominis signa sunt: vomitus et singultus rebellis, dolores acerrimi, urinarum perfecta suppressio, deliria, sopor, convulsiones, animi deliquia.

CURA.

1877. In nephritidis cura, praeter regulas in quacunque alia viscerum inflammatione observandas, imprimis ad causam producentem, morbi vehementiam, contemporaneam alius organi adfectionem, ac ad substrati naturam et functionem adtendendum.

1878. Venaesectio, pro violentia morbi frequentius repetenda, princeps suppeditat auxilium. Post illam hirudines ad lumbos, circa anum, vel ad pudenda, si forte suppressus haemorrhoidum aut catameniorum fluxus subfuerit, adplicandae erunt. A scarificationibus in acuta nephritide libenter abstinemus. Ad sedandos dolores optime conveniunt fomenta emollientia, balnea tepida, semicupia, et clysteres laxantes. Traumatica nephritis in principio epithematum frigidorum usum admittit. — Levioris gradus irritatio, spasticis insultibus nupta, inuncto oleo Hyoscyami lenitur. Interne alia non convenient remedia, quam blandissima, mucilaginosa, oleosa, diluentia, et eccoprotica. A diureticis acribus abstinendum esse ratio suadet; a lenioribus tamen, quae secretionem urinarum blande movent, atque actionem remediorum interne captorum versus uropoëticum determinant systema, semper solamen observavimus. Hunc in finem emulsis tenuibus cum paucis Nitri granis, decoctis emollientibus radicis Althaeae, vel Ononidis cum Oxymelle, vel acido tartrico, sero lactis, aquis soteriis acidulis, vel Cremore tartari uti solemus; quorum benefica actio tanto evidentior evadit, si a Cantharidibus nephritica pendet adfectio.

1879. Ubi pertinax morbus, erga antiphlogisticam medelam rebellis, revellentium necessitatem inducit; a communi tamen emplastro vesicatorio cavendum, atque vel sinapismis, vel alius generis epispasticis revulsio tentanda. Aura Camphorae in connubio cum emulsis et mucilaginibus pariter convenit.

1880. Nephritis chronica, quae calculos renales, suppurationem, aliasve organicas labes comitatur, ab initio quidem eccoproticis, relaxantibus, et oleosis oppugnari debet, quamprimum vero irritationis inflammatoriae signa componuntur, ad alia transire oportebit medicamina, quibus languorem secretionis corrigere, qualitatem acriorem urinae temperare, debilitatis, et dyscrasiae purulentae, aliusve effectus moderari adnitimur. Haec inter a practicis laudantur aquae soteriae acidulae, et martiales, folia Uvae ursi, aqua Calcis, aqua mephitica alcalina, Lichen islandicus, balsama nativa, extractum Myrrhae, aliaque similia, quorum nonnullis lithontriptica virtus perperam tribui solet. Cura phthiseos renalis juxta diversitatem stadiorum, et characteris praedominantis dirigenda, habito praesertim regiminis diaetetici exquisiti respectu.

1881. Adprime quidem hic incideret occasio inflammationem capsularum suprarenalium adnectendi. Abstrusa autem hucusque earundem functio, atque intimus cum renibus nexus practicis nondum permisit, ut status phlogisticus ex propriis signis dignosci, ac a nephritide distingui possit; etiamsi in dissectis cadaveribus exulcerationes deprehensae fuerint, quae sine phlogoseos praegressae existentia oriri nequibant.

PSOITIS.

Schoenmezel, Observ. de musculo psoa et iliaco suppuratis. Heidelb. 1776.
Meckel, Diss. de psoitide. Halae 1796.
Reindl, de psoitide. Landish. 1820.
Pelzer Diss. de psoitide. Berol. 1825.
Weil Diss. de psoitide. Rostock. 1826.
Willert Diss. de psoitide, adnexis morbi historiis. Berol. 1830.

1882. Inflammatio musculi psoae et iliaci majorem sane, quam a nonnullis hucusque factum est medicis, adtentionem meretur; saepe saepius enim sub alius morbi schemate delitescit, superficialis observatoris aciem effugit, atque irreparabilia, nisi cognoscatur et apte tractetur, damna producit. Velamentum serosum et textum

cellularem, qui lacertos musculares nectit, inflammatione multo crebrius corripi, quam ipsas fibras motrices, repetitis defunctorum sectionibus confirmatum fuit.

1883. Primam psoitidis notionem exactiorem, utut quaedam apud veteres, et in specie apud Hippocratem morbi saltem analogi vestigia haud deficiant (1), Anglo medico Fordyce (2) in acceptis referendam habemus. Serius idem argumentum excolere studebant prae aliis Tomlinson, A. F. Vogel, et Siebold.

(1) Sprengel, Institut. pathol. special. Vol. I. §. 296.
(2) Grundriss der ausübend. Arzneylehre. S. 101.

1884. Praesentiam occultae hujus phlogoseos indicant dolor fixus, continuus, vel remittens, obtusus, oppressivus, vel punctorius et lancinans in ea regione, qua psoae musculi pone renes a vertebris lumbalibus ad articulum femoris descendunt; sensus caloris, et tensionis dolorificae ad inguina, vel super fasciam latam extensus; regio lumbalis adeo patibilis, ut tangi nequeat; motus cruris alterutrius impeditus, ut nec elevari, nec extrorsum verti possit, vel dum id tentat aeger, ingentia concitantur tormenta; concesso quodam femoris motu, dum in principio versatur morbus, pedibus insistere nequit infirmus, vel dum graditur, claudicare cogitur; trunci incurvatio similiter difficilis, unde supinum decubitum conservandi necessitas; cruris torpor et formicatio; febris valida comes, cum aestu intestino praecipue ad partem adfectam, cum pulsibus duris, urina flammea, cute arida, ac intolerabili inquietudine; quandoque dolores colici cum tenesmo, et sphincteris vesicae spasmo.

1885. A nephritide distinguitur defectu laesae functionis renalis, aliorumque e consensu originem ducentium symptomatum, uti sunt vomitus, singultus, deliria etc.; a lumbagine qualicunque dolore fixo, magis continuo, inferiora versus propagato, atque impotentia crus elevandi, aut flectendi; ab ischiade nervosa sede et ratione doloris, febre vehementi, et quod in hac motus cruris praepeditus non sit; a cotylitide, sive articulationis magnae phlogosi, quam coxalgiam passim nominant, differt psoitis, quod in illa princeps tormentum ad tro-

chanterem, et ad genu urgeat, crus ipsum manifeste elongetur, et quod tentata a medico femoris flexio (passiva) impossibilis evadat, ubi e contrario sub psoitide, utut dolores excitet, tentari tamen potest.

Rust, Arthrocacologie. Wien 1817. §. 75.

1886. Inter causas musculis psoae et iliaco inflammandis idoneas recenseri merenter omnes violentiae externae, praesertim saltus, lapsus, ictus, corporis nixus sub ponderum elevatione, distorsio femoris, concussiones, synchondrotomia, quibus omnibus vel peritonaeum psoam tegens tenditur, irritatur, laceratur, vel vero ipsae fibrae musculares e sua positione removentur, distorquentur; unde inflammationis biasticae, sive traumaticae idea. Remotiori itaque intuitu bajulorum opificium, et equitatio violenta ad genesin psoitidis concurrere potest. — Stimulos relative incitantes, uti essent injuriae atmosphaecae, vix unquam psoitidem excitasse, observationes confirmarunt; cujus quidem ratio in musculorum universim ad phlogoses proclivitate minori latere videtur. — Ad chronicam psoitidem, ceu disponens momentum, contribuere visa est diathesis rheumatica, et scrofulosa, nec non vicinorum organorum labes diuturnae. Metastaticae inflammationis in psoa excitatae rara sunt exempla.

1887. Quae inter paucos dies non resolvitur, musculi psoae, vel iliaci phlogosis, vix non constanter in suppurationem terminatur, cujus funesti exitus fidem faciunt sequentia phaenomena: doloris acuti in sensum ponderis et pulsationis mutatio, continuus femoris torpor, et movendi impotentia, febris hectica, horroribus orsa, vesperi evidenter exacerbata, cum mordaci volarum, plantarumque calore, et sudoribus antelucanis.

1888. In dies crescens purulenti, vel potius saniosi liquoris copia multiplici titulo periculum minatur; vel enim nullo exitu invento aegrum consumit, sub vulgaribus febris colliquativae symptomatibus; vel vero rupta vomica varias sibi parat vias, dubiam semper relinquendo patientis sortem. — Solet autem pus, vel ichor deorsum pluere, ac psoae utriusque ita eligere oras, ut eo loco, quo psoas minor cum fascia lata coit, tumorem elevet frigidum, qui

subsidet dum cubat aeger, augetur contra, dum erectus stat. Hoc in casu cum hernia crurali confundi posset, nisi caute perpendantur cuncta phaenomena, quae psoitidi propria esse diximus. Quandoque purulentus latex directionem tendinis majoris psoae sequitur, qui una cum iliaco interno trochanteri minori inseritur; quo in casu vel ad articulationem femoris, vel ad insertionem glutaeorum subnascitur abscessus, atque vix non semper manticula juncturae inflammatur, corroditur, omnem illorum malorum seriem inducendo, quam claudicationis spontaneae, aptius ischiarthrocakes nomine insigniunt. — Ita quoque interdum apostema versus inguina demergitur, tumorem ibi efficiens cum scroti inflatione; vel etiam per foramen et incisionem ossis ischii saniosa serpit materies, molestias haemorrhoidales et fistulas ani simulat, musculos glutaeos, vel ipsos dorsales exedit, ac tandem cum carie vertebrarum maciem insanabilem adducit. — Ultimo tandem in abdominis cavum lethali rivo vomicas psoae evacuatas fuisse (pyokoelia), quaedam testantur observationes. — Qui ex labente pure hinc inde formantur, tumores, non solum sub mutata corporis positione mox crescunt, mox collabuntur, sed etiam sub tussi et clamore inflari solent.

1889. Variis hisce modis sponte ruptus abscessus, vel arte apertus, diversa inducit mala, uti claudicationem, cariem vertebrarum, arthrocakiam acetabuli, phthisin psoicam, paraplegiam, quae nonnisi ancipitem sanationis spem relinquere solent. — In quibusdam aegris phthisi psoica peremtis integra psoae substantia in saniosam putrilaginem conversa reperiebatur.

1890. Cura psoitidis juxta generales canones therapiae antiphlogisticae suscipienda, habito praesertim sedis morbi respectu. Venaesectio, hirudines ad anum, vel ad lumbos, fomenta, balnea, remedia eccoprotica, et revellentia inferioribus extremitatibus adplicata, principalia praebent subsidia.

1891. Imminentibus factae suppurationis signis medici alia esse nequit intentio, quam residuam prudenter moderari phlogosin, ac eum locum, quo natura purulen-

tum eliminare molitur laticem, fomentis et cataplasmatibus fovere, donec incisione rodens liquor emitti possit.

UROKYSTITIS.

Sommerer, Diss. de vesicae inflammatione. Vien. 1787.
Wil. Schmid, über die Krankheiten der Harnblase, Vorsteh-drüse etc. Wien 1806.
Soemmering, über die Krankheiten der Harnblase. Frankf. 1809.
J. Howship, Pract. Bemerk. über die Krankheiten der Harnwerkzeuge. Leipz. 1819.
Bell (Charles) Treatise on the diseases of the Urethra, Vesica urinaria, Prostata and Rectum. Lond. 1820. — A. d. Engl. Weimar 1821.
Pitsch Diss. de vesiea urinaria inflammata. Greifsw. 1822.
Bingham Practical Essay on diseases and injuries of the Bladder etc. Lond. 1822. — A. d. Engl. von Doblhoff. Magdeb. 1823.
Chopart Traité des maladies des voies urinaires. Nouvelle edition. Paris 1830.

1892. Sensibilitatem organicam in vesica urinaria peculiari modo distributam et modificatam admirari omni intuitu oportet. Acerrimus enim humor, cui recipiendo et colligendo destinata est, adeo indifferentem pro vesicae externa, sive mucosa superficie (externam dicimus, quod cum mundo externo immediatam habeat communionem) sistit stimulum, ut illius praesentiam neque advertamus, nisi prorsus impletum receptaculum evacuationis necessitatem inducat; ubi e contrario minima lotii guttula, dum internam sive serosam faciem adtingit, illico summe violentas excitat reactiones, non minus ac in aliis organis, ei non adsuetis. — Torpidam vero, ac insensibilem erga urinae stimulum vesicam ab alius generis incitamentis, utut cum priori comparata longe minora videantur, facillimo negotio incendi, abunde confirmatum habemus.

1893. Vesica urinaria relate ad specificam hancce sensibilitatem, vel potius insensilitatem, cum aliis partibus exacte collimat, in quibus similiter eadem sphaerae sensitivae differentia cernitur; vigente universim illa lege, ut erga stimulum humoris, quem ipsaemet secernunt, vehunt, conducunt, includunt, excernunt, vix aliquam exerant re-

actionem insolitam, quousque eorum quantitas a norma non deviet. Ita intestina, ut alibi monuimus, ab acri stercore nullum detrimentum patiuntur; ita peritonaeum a maxima interdum seri effusi copia ne hilum irritatur, a paucis vero sanguinis, puris aut lotii guttis violentissima inflammatione corripitur.

1894. Urinae conceptaculum dominio constitutionis epidemicae vix obnoxium esse solet; quapropter etiam ejus phlogosis nunquam populariter grassatur, ac rarius in praxi occurrit, e domesticis et accidentalibus causis plerumque orta. — Collum vesicae crebrius, quam fundus inflammatione tentatur, tum quod plerumque ex adfectionibus urethrae, prostatae, intestini recti, vel uteri nascitur, tum quoniam in collo facile aliquid colligitur, stimulo suo mechanico, vel chemico nociturum.

NOSOGRAPHIA.

1895. Symptomata eminentia, e quibus inflammatio vesicae urinariae, usitate kystitis dicta, rectius urokystitis dicenda, (ut a cholekystitide distinguatur) dignosci poterit, sunt: dolor fixus, assiduus, ardens, punctorius, lancinans ad regionem pubis et perinaeum, tactum reformidans; functio vesicae laesa, excretio utpote lotii difficilis (dysuria), cum fervore molesto ac mejendi conatu continuo (stranguria), vel etiam prorsus intercepta (ischuria); urinae qualitas plus minusve alterata, febris inflammatoria comes.

1896. Doloris, aliorumque symptomatum vehementia, ac ad partes vicinas extensio plurimum variat pro gradu et sede aegritudinis. — Quae enim ad latera vesicam paulo profundius adoritur phlogosis, juxta uretheres libenter propagatur, ac praeter ardorem doloremque profundum in regione vesicae, ad lumbos usque oblique propagatum, lotium vel ex parte, vel omne avertit, ac nephritidis symptomatibus jungitur. — Si anteriorem magis vesicae parietem inflammatio investit, tunc ad pubem dolor ab adtactu vel minimo vehementer auctus urget, et manifestus tangitur tumor durus, ardens, tensus, citra urinae depletionem persistens. — Ad collum vesicae haerente morbo,

sensatio doloris praesertim ad perinaeum figitur, vexat micturitio dolentissima, et irrita mejendi cupiditas, vel si aliquot exprimuntur guttulae, illico reprimitur fluxus, atque ex retento lotio (quo spasmus ab inflammatione excitatus plurimum confert) tumor ovalis ex imo abdomine exsurgit. Instituta per intestinum rectum exploratione, dolens percipitur tumor, ac haemorrhoidum tubercula, quae faecum excretionem praepediunt, et molestissimum tenesmum sustentant; immissi per urethram catheteris sub immani cruciatu negatur in vesicam introductio. His simul symptomata partium vesicae adjacentium laesarum sociantur, dolores utpote per totum abdomen diradiati, in viris ad colem et testiculos, in feminis ad uterum et vaginam propagati; virga etiam rigescit, et glans doloribus, pruritu, et titillatione cruciari consuevit, praecipue ubi calculi vesica includuntur. Per consensum vesicae cum partibus remotioribus nascuntur angores et spirationes creberrimae, vomituritiones, vomitus, singultus, deliria, sopor. Febris incenditur ardens cum pulsibus duris spasticis, viriumque insigni prostratione. Urinae, quae expelluntur, vel arte extrahuntur, solent esse crudae, nunc aquosae, nunc flammeae, pro diversa earum mora; quandoque filamentis mucosis, aut sedimento albicante inquinatae.

1897. Vera et phlegmonosa vesicae urinariae inflammatio plerumque acutus, dolorosus, ac periculi plenus est morbus, intra quinque, septemve dies, nisi feliciter resolvatur, mortem adducens, vel saltem irreparabilia pariens posthuma. Urokystitis chronica mox simplicem sistit vesicae congestionem, mox ulceris, aliusve degenerationis organicae comitem, mox vero catarrhalem tunicae mucosae imflammationem, obtuso dolore, continua blennuria, dysuria, ac perenni in recidivas nisu dignoscendam. Plerumque in connubio cum diathesi calculosa, haemorrhoidali, vel podagrica decurrit.

Gerber Diss. de cystitide chronica. Halae 1823.

CAUSAE.

1898. Idiopathicam et primariam vesicae phlogosin cient: violentiae externae, vulnera, contusiones, lapsus in

corpus durum hypogastrio, vel perinaeo illidens; compressio fortis et diuturna sub partu difficili; kystotomia calculi extrahendi gratia suscepta, praesertim rudior vesicae per immissos eum in finem forcipes tractatio; peregrina vesicam infestantia, uti v. g. particulae syringarum elasticarum, vel cereolorum, calculi salebrosi, angulati, praegrandes, copiosi (1); urinae qualitas per diuretica, vel dyscrasias universales acrior reddita; sanies a renibus depluens; injectiones substantiarum irritantium scopo lithontriptico, vel chronicam blennuriam solvente in vesicam factae; diuturna urinae per spasmum retentio; haemorrhoides vesicae.

(1) Buffa Caso d'una Cistide con raccolta straordinaria di (398) calcoli. Voghera 1821.

1899. Inter praecipuas organorum labes, secundariae kystitidi producendae pares, spectant inflammationes uteri, prostatae, peritonaei, intestini recti; vitia organica earundem partium; haemorrhoides ad anum; retroversio uteri; exostoses vertebrarum lumbalium; caries ossis pubis, urethritis blennorrhoica; — porro metastases et metaschematismi rheumatis, podagrae, scabiei retropulsae. Aetatem in lustris consumptam eminenter in morbos vesicae dispositam esse, omnibus abunde notum est practicis; idem de suppresso haemorrhoidum, vel menstruorum fluxu valet. Frequentiorem maribus, quam feminis esse vesicae phlogosin, experientia docuit, ipsaque ratio tale phaenomenon concipere suadet, si organisationis differentia perpenditur.

TERMINATIONES.

1900. Urokystitis acuta quandoque resolvitur, suborto urinae multae, mucosae vel puriformis secessu, sudoreque profuso et vaporoso. Quandoque restituto in pristinum haemorrhoidali fluxu, vel revocata denuo ad cutem adfectione illa, e cujus funesto metaschematismo pendebat, solvi visa est. Per longum tamen tempus assidua mejendi cupiditas, vel contra incontinentia lotii, aut saltem aliqua urinam diutius retinendi impotentia, tensio, et dolor remanere solet.

1901. Sub conditionibus benignae obstantibus resolutioni in organicas nititur metamorphoses, quas inter exulcerationes, parietumque membranaceorum callositates frequentissimas esse novimus.

1902. Ulcera vesicae, praesertim in senibus vulgaria, nunciantur doloribus rodentibus, pulsatoriis, urinae furfuraceae, — unde scabiem vesicae veteres statuerunt, — cum tormentis emissione, vel interceptione, ac febri hectica comite. Quodsi pus simul ejicitur, illud facillime fundum matulae petit, neque intime commixtum cum urina cernitur, indicio, id haudquaquam e renibus provenire. Inde phthiseos urokysticae concipitur imago, quae cum catarrho chronico vesicae non raro confunditur. Quandoque suppuratio vicinas arrodit partes, prostatam, vesiculas seminales, cervicem uteri, intestinum rectum, atque fistulas parit, quibus urina per alienas profunditur vias (uroplanesis). — Qui in cavum abdominis saniem eructat, vesicae abscessus, lethalem gignit pyokoeliam.

Friedlaender (B. N.) Diss. de rara vesicae urinariae cum intestino recto coalitione et exulceratione. Berol. 1824.

1903. Indurationes et callositates parietum vesicae urinariae, maxime ad ejus cervicem, inflammationes recidivas et chronicas haud infrequenter excepisse, copiosae testantur medicorum observationes. Harum origo multiplici ratione concipi potest; vel enim nutritio partis per phlogosin eum in modum incitatur, ut major producatur massae organicae copia; vel lymphatico-plasticus latex inter strata membranacea exsudat, morbosam efficiens densitatem et duritiem; vel vero subnascitur nimia fibrarum muscularium, ruborem amittentium, crassitudo (1). — Neque sine exemplo est fasciculos floccosos et fungosos ex interna vesicae tunica, tactu facillime sanguinem fundentes, excrevisse (polypi), qui una cum vesicae parietibus eodem tempore notabiliter obdurescentibus skirrhi ideam largiuntur; et dum tota degeneratio ad majorem increscit molem, in feminis pro uteri scleromate imponere potest. Haecce skirrhosa tubera quandoque in cancerati-cum ulcus degenerant.

(1) Soemmering, Oper. cit.

1904. Symptomata potiora, quae ejusmodi chronicas vesicae labes comitantur, sunt: pondus ingratum, et obtusus dolor ad regionem pubis; durities et moles insolita, quae vel in hypogastrio patet, vel exploratione per anum aut vaginam instituta innotescit; functio vesicae, quae in urina colligenda, ac ad nutum voluntatis emittenda consistit, diversimode laesa, lotium enim vel retinetur, vel insciis aegris effluit; quandoque etiam nervorum sacralium debilitas succedit, ita, ut pedes assiduo vacillent, vel fere resolvantur.

1905. Utut genesis calculorum in renibus ex horum processu phlogistico haud difficulter concipiatur, quatenus renes organon secretioni urinae dicatum sistunt, calculi vero nil, nisi productum secretionis in qualitate vitiatae praebent; — vesicae inflammationem tamen in generandis concrementis calculosis nequaquam inculpari posse existimamus, nisi remotiori quodam intuitu, quatenus nempe aliud quoddam ejusdem inflammationis productum, uti mucus, pus, vel lympha plastica, a mucosa secedens tunica, nucleum pro formanda incrustatione sistere posset.

1906. Infaustum exitum kystitis petit vel per gangraenam et sphakelum, doloribus derepente cessantibus, ac aliis, quae ad hancce terminationem referuntur, symptomatibus subortis; vel per inopinatam ac repentinam virium vitalium dejectionem, quam interdum in senibus citra ulla gangraenae indicia evolvi vidimus, mors mere dynamica; vel per urinae invincibilem suppressionem, unde vesica nimis panditur, ita, ut mox paralytice resolvatur, mox rumpatur, urina lethali rivo abdomen inundante (urokoelia), mox lotium in uretheres regurgitare juvet, hos mirum in modum extendat, urachumque praeter naturam aperiat, quo in casu liquor urinosus per umbilicum effluere visus est (1); vel tandem per posthuma organica, phthisin kysticam, skirrhum, et tabem lentam.

(1) Walther, von den Krankheiten der Nieren, S. 37.

CURA.

1907. Curatio vesicae inflammatae ex iis, quae de inflammatione in genere, et de ea renum in specie inno-

tuerunt, sunt repetenda; observata partis adfectae diversitate.

1908. Venaesectione praemissa, eaque, dum casus urget, repetita, hirudinum perinaeo vel ano adplicitarum laudabilis est usus. In eundem scopum collimant potus emollientes, diluentes, emulsa cum Nitro; eccoprotica; fomenta, cataplasmata, et balnea tepida; clysmata laxantia, oleosa, a quibus promptum lenimen dolorum trahere solent aegri. — Frigidae fomentationes nonnisi in morbi primordiis, eoque a traumatica violentia orto, convenire possunt. Ab injectionibus cavendum suademus; qualecunque enim, etsi blandissimum injiciatur, liquidum pro vesica insolitum sistit stimulum, qui si non chemice, saltem mechanice infestus redditur. Spasmo juncta vesicae phlogosis Opii cautum usum permittit non solum, verum etiam expostulat; interne emulsionis gummosae, externe clysmatis, vel litus forma exhibetur.

1909. Si urinae retentio, inflammationis licet effectus, eandem tamen perpetuo sustentans, imo augens prius adlatis solvi recusat remediis, atque vesica lotio plenissima uteri gravidi adinstar in abdomen ascendit; absoluta urget evacuationis necessitas; quare catheteris, et quidem elastici, oleo illiniti ope eductio lotii debita mansuetudine tentanda, quam quidem facilius in feminis, quam in viris succedere novimus. — Invento autem pertinaci, ob summam tumentis cervicis constrictionem, obstaculo, ac increscentibus ab introducto specillo tormentis, desistendum potius, et ad vesicae punctionem recurrendum, quam plerumque quatuor viis tentare solent chirurgi, nempe per anum, per vaginam, ad perinaeum, et ad hypogastrium.

1910. Organica posthuma, quae inflammationem vesicae sequuntur, mitigari quidem possunt, ast radicalem vix unquam admittunt sanationem. Praeter remedia, quibus chronicam nephritidem lenire studemus, a practicis laudari solent mercurialia interne, et externe in usum tracta. Relictae fistulae urinariae opem chirurgicam deposcunt.

METRITIS.

Brotherson, Diss. de utero et inflammatione ejusdem. Edinb. 1776.
Stoelzel, Spec. inaug. de metritidis diagnosi et cura. Lips. 1797.
Berends, Diss. de inflammatione uteri. Fr. ad Viadr. 1800.

1911. Uterus femellae humanae, cujus mirifica structura adhuc in contentione est, omnes quidem pro subeundo processu phlogistico includit conditiones, ast nonnisi rarius in parenchymate inflammatur (1), crebrius in tunica mucosa, et creberrime in velamento seroso, quod a peritonaeo recipit. Phlegmonosa tamen inflammatio, quamvis modo in una, modo in altera uteri sphaera praecipuum agnoscat focum, facile super totum diffunditur organi ambitum.

(1) Walther, de morbis peritonaei. §. 44.

NOSOGRAPHIA.

1912. Metritis, sive hysteritis cognoscitur ex dolore fixo ad regionem pubis, ex laesa functione uteri, partiumque contiguarum et consentientium, ex febri inflammatoria comite, atque causis excitantibus, quas utero infensas esse scimus. — Incipit ab horrore, lassitudine, anxietate, quibus calor una cum reliquis phaenomenis febrilibus, ac specialioribus ad topicam adfectionem referendis symptomatibus succedunt, quae tamen ultima subinde febris exordium anteire solent. In regione pubis emicat dolor fixus, continuus, ardens, aut lancinans, mox per totum abdomen radiatim diffusus, mox ad vaginam, ad lumbos, et os sacrum protensus, tactum omnem reformidans. Non raro dolores hujusmodi per accessus mirum in modum, saepiusque in die exacerbantur, atque tunc spasticam adfectionem inflammatoriae nuptam esse docent, quod quidem praeprimis eminenti sensibilitati uteri tribuendum videtur. Hypogastrium simul tumet ac tenditur, vagina et labiis vulvae dolentibus, aridis, ac inflammatis. Si circa cervicem et osculum est inflammatio, digito vaginae immisso, hoc ipsum clausum, dolens, ac fervens occurrit.

1913. Functionem uteri laesam indicat mensium aut lochiorum prius fluentium retentio, vel e contrario haemorrhagia effrenis (metrorrhagia activa), quandoque abortus, vel saltem ejus periculum sub recurrentibus ad partum doloribus. Accedit urinae difficultas, aut spasmis interceptus fluxus; molesta juxta ilia versus lumbos tensio, sensus torporis et formicationis, vel inflatio leucophlegmatica crurum, ita, ut aegre tantum flecti possint; alvus pertinaciter obstructa, tenesmodes; varicum haemorrhoidalium turgor; specifica matricis sensibilitas, dum levior fuerit morbi gradus, incitata, unde voluptatis illecebrae.

1914. Ob insignem inter uterum, ventriculum, diaphragma, cerebrum, aliaque organa philadelphiam vix non semper consensualia in graviori morbo evolvuntur symptomata, praesertim nervosa, ubi simul eminens viget systematis sensitivi erethismus. Huc referuntur: kephalaea dira, delirium, obtutus ferox, rubor albugineae, photophobia, vultus distorsio quoties pubis regio contrectatur, nausea, vomitus inanis, vel herbaceus, singultus, suspiria, anhelitus, gulae constrictio spastica, dysphagia, jactatio, meteorismus, subsultus tendinum, convulsiones, leipothymiae. Empiricis vetularum signis adnumerantur lunulae liventes ad palpebras inferiores, atque rubedo unguium, quae non raro in nigrescentem livorem mutari visa est, dum in gangraenam abit metritis. Febris denique per totum morbi iter continuat, inflammationis vehementiae respondens, cum aestu intestino, siti clamosa, angore, lassitudine, ac pulsibus acceleratis, duris, contractis, parvis, aliquando inordinatis.

1915. Hysteritis acuta, nisi funesto decursus truncetur exitu, intra septimum et decimum quartum diem finem adsequi solet, atque vel sub consuetis excretionibus criticis, urinis copiosis, sudoribus, plerumque autem sub repristinato mensium, lochiorum, aut haemorrhoidum fluxu, nonnunquam suborto stillicidio mucoso, resolvitur, vel absque manifesta crisi dissipatur illo in casu, ubi topica adfectio simplicis congestionis confinia non excedens, febre mere symptomatica stipatur.

1916. Metritis chronica indefinitum tenet de-

cursum, per menses, imo et annos, a diversitate vitii organici, cujus comitem sistit, vel turbarum nervosarum, quas lubenter concitat, modificatum, ideoque variis vicissitudinibus obnoxium. In medio pelveos, vel ad alterutrum inguen, si ligamenta uteri lata, tubae et ovaria simul adfecta sunt, mulieres dolorem queruntur continuum, fixum, obtusum, ardentem, raro punctorium, qui ex corporis motu, positione mutata, ex coitu admisso, mensiumve stimulo augetur, vel si fortuito conticuerit, rursum excitatur. Accedunt ocyus seriusve catameniorum ataxia, retentio, aut fluxus praeter morem largus, sanguineus, decolor, mucosus, plerumque gravibus ad imum ventrem tormentis comitatus. Tales feminae vel sterilescunt, vel si conceperint in morbi exordio, abortum patiuntur, ac facile in acutam incidunt metritidem, qua feliciter devicta primitivum malum sueto pergit modo. In quibusdam morbosa incenditur salacitas. Inter symptomata consensualia eminent: dyspepsia, ciborum fastidium, alvi excretio inordinata, flatulentia, stranguria, haemorrhoides, adfectus spastici varii generis, moestitia fusca, animi mobilitas, propensio in iram, aliique morbo hypochondriaco et hysterico proprii satellites. Cum malo graviore et adultiore circa vesperam febris excandescit, vel per totam diem febriculosa diathesis aegram comitatur; laetus antea color faciei in squalidum vel chloroticum convertitur; marcescunt carnes, viresque indies magis consumuntur. — Inde liquet hysterismum, chlorosin, fluorem album, sterilitatem, nymphomaniam, aliasque functionum sexualium turbas saepenumero in metritide diutina et occulta proximum agnoscere fontem.

1917. Levem inflammationis, vel potius congestionis uterinae gradum, menstruationis periodo imminente evolutae, colicam catamenialem passim, ast perperam nominare solent; princeps enim turgoris focus in utero et peritonaeo, nequaquam vero in intestinis latet. Quare potius metro-peritonaeitis catamenialis, aut si levior congestionis, spastica adfectione comitatae, gradus, metroperitonaealgia symphoretica adpellanda foret.

CAUSAE.

1918. In metritidis genesi dispositio maximi momenti est, eamque praeprimis in organi structura et evolutione quaerere oportet. Concurrunt omnium practicorum experientiae, uterum in puellis tenerae aetatis ac virginibus necdum menstruatis non inflammari, utut possibilitas inflammationis negari nequaquam possit, dum violentae influunt causae. — Quamprimum autem uterus sanguinolentae adsuevit excretioni, parique tempore systema sexuale eam adipiscitur perfectionem, quae ad persentiendam voluptatem ac ad faecunditatem requiritur, frequenter inflammari solet ob irritabilitatis et sensibilitatis augmentum. Ideo etiam in omnibus illis periodis, sub quibus major in utero viget erethismi gradus, ac major sanguinis versus eum determinatur copia, ubi ergo plethora abdominalis incenditur, ipseque uterus in statu congestionis activae existit, maxima in phlogosin subeundam cernitur proclivitas; ita imminente pubertate, tempore menstruationis, sub copula, vel subito post eam, durante graviditate, partu, puerperio, nec non dum suetum mensile tributum natura muliebris persolvere cessat.

1919. Plurimum denique uteri inflammationem provocare juvat amor sexualis justo magis evolutus; unde feminae temperamenti vividioris, oppidanae, nobiles, luxui et vitae mollioris illecebris indulgentes, salaces, quae amplexibus abutuntur, aliisve modis stimulum veneris excitant, matricis inflammationes crebrius perpetiuntur.

1920. Causae excitantes tum communes aliarum inflammationum versus uterum directae, tum propriae existunt. Earum nonnullae (stimuli positivi absoluti) sine distinctione uteri incendium provocant; aliae (stimuli relativi) nonnisi favente dispositione phlogisticum concitare valent processum. — Notioribus accenseri debent: violentiae mechanicae, vulnera, ictus, percussiones, conculcatio; concubitus rudis et immodicus sub mala proportione genitalium inter coëuntes; sordidum mastuprationis vitium; fasciae abdomini puerperarum strictius circumductae; inepta uteri praegnantis exploratio; abortus causis ordinariis inductus,

vel consulto excitatus, acu textoria, pharmacis ecbolicis, Cantharidibus, Sabina, spirituosis; partus difficilis, praesertim, qui obstetricis manu absolvitur, versio rudis, incautus instrumentorum, forcipis, perforatorii, vectis, ad extrahendum foetum usus; placentae extractio violenta, et maxime ejus a superficie uteri unguium ope separatio; grumus sanguinis, foetus, vel placentae portio, ore uteri clauso in putridam saniem conversa; exstirpatio polyporum uteri; injectiones acres, contra haemorhagias, aliave matricis et vaginae vitia tentatae; pessaria rudia; prolapsus uteri; abusus spirituosorum et drasticorum; frigus repentinum aestuanti corpori admissum, in specie perfrigeratio abdominis et crurum, praesertim in femina menstrua et puerpera, atque orta inde uterini fluoris suppressio, quare inter feminas, quae lavando operam navant, haud rarum esse consuevit malum.

1921. Metritidem secundariam, symptomaticam, vel sympathicam excitare valent inflammationes organorum vicinorum, vaginae, ovariorum, intestini recti, vesicae, peritonaei, intestinorum, eorumque vitia diversi generis, varices, skirrhi, exulcerationes etc.; ipsius demum uteri metamorphoses morbosae, quae saepe inflammationis effectum sistunt, eandemque recenter concitant et sustinent, uti scleroma, polypus, ulcus, carkinoma.

TERMINATIONES.

1922. Quemadmodum inflammationes generatim in organis composita structura distinctis, pro specialis substrati diversitate, atque differente singularum ejus partium textura, varios praediligunt exitus; ita etiam hysteritis, easdem sequendo vitae morbosae leges in varia abire solet posthuma.

1923. Inflammatio phlegmonosa parenchymatis in suppurationem et indurationem per eminentiam nititur. Efformatus in utero abscessus, ac ad maturitatem perductus quandoque purulentum vel saniosum, quem continet, laticem in cavum uteri eructat, atque in rodens facile abit ulcus, quod sub doloribus saevis, febri hectica, tumore ad regionem pubis, crurum torpore vel immobili-

tate, saniei foetidissimae variis intervallis e vagina, cum aliquo levamine, fluxu, secedentibus quandoque flatibus graveolentibus (aedoeopsophia) phthiseos uterinae imaginem praesentat, infausto plerumque eventu terminandae. Interiora versus desaeviens exulceratio, vicinas corrodit partes, vesicam et rectum, fistulas parit, atque faecibus et urinis, foedo spectaculo, per vulvam secedentibus, aegras horrida consumit macie. Rarius in cavum pelveos profunditur sanies, ineluctabili citae mortis periculo. Una cum exulceratione uteri subinde tubercula cartilaginea, vel carnes fungosae ad mucosam uteri superficiem excrescunt.

1924. Scleroma uteri, ejusque altior gradus — skirrhus, inflammationis recidivae et chronicum decursum tenentis haud infrequens esse solet consectarium, quod tamen nonnisi in primordiis aliquam sanationis, vel saltem mitigationis spem relinquit. Cognitio hujus mali desumitur e praegressa phlogosi imperfecte resoluta, et crebro recrudescente, e sensu ponderis in pelvi, tensione juxta ligamentorum uteri insertionem, recurrente per vices dolore punctorio, plurimum momentaneo, suppressione menstruorum, vel continuo sanguinis diluti stillicidio, fluore albo, dysuria, stranguria, tenesmo, absentibus, quae suppurationem indicant, phaenomenis. Feminae simili adfectae vitio, sterilescunt, et coitum plerumque aversantur, non ex eo, quod omni voluptate careant, sed quod dolores sub copula patiantur. Os uteri, si exploratur, durum est, inaequale, magisque inferiora petit. Quandoque in decubitu supino obdurescens uterus ad regionem pubis tangitur Plerumque malo provectiori pallor et squalor faciei, corporisque emaciatio succedit.

1925. Ast nonnisi raro intra mox adlatos cancellos consistere solet malum; serius ocyusve in edacem transit cancrum (metrocarkinoma), cujus genesin ex recurrente in utero skirrhoso inflammatione, eaque in saniosam exulcerationem terminata concipimus, opitulante plerumque specifica alteratae reproductionis labe. Funestissimum hocce malum, quod pro metritidis chronicae effectu non minus, ac fonte permanente declarare oportet, indicant dolores ad uterum perpetui, rodentes, diu noctu-

que saevientes; effluxus saniei foetidissimae, cruentae, propter acrimoniam verendas partes corrodentis, metrorrhagia per vices effrenis; febris hectica; vigiliae assiduae, angores perpetui, aversatio ciborum, glandularum axillarium et inguinalium intumescentia, vitae taedium, desperatio, facies hippocratica, siccus marcor, oedema crurum; donec placida mors, unicum sub tantis calamitatibus solatium, finem imponat.

1926. Inflammatio, quae serosum uteri velamentum eminenter tenet, mox morbosos efficit cum organis limitrophis coalitus, mox vero repentinam producit laticis serosi, lactescentis, aut puriformis in cavum abdominis effusionem, haud ambiguo aegrae periculo junctam.

1927. Frequentissimam lethi, quatenus ab uteri violenta inflammatione pendet, causam sistit gangraena, jam ad tertium, quintum, quandoque ad septimum diem suborta, quam nunciant dolor, ferox prius, derepente evanidus, virium inopinata prostratio, desipientia, sopor, sitis inexplebilis, algor extremorum, facies misera, pulsus exiles, languidi, pallor vel livor cutis, sudores frigidi, vomitus, singultus, meteorismus, alvi foetidae inscia aegra secessus, saniosi liquoris, cadaverosum foetorem spargentis, e verendis fluxus, leipothymiae, convulsiones. Metritis puerperalis a difficili vel instrumentis chirurgicis peracto partu oriunda, favente praeprimis quadam constitutione epidemica, vel endemica, prae caeteris lethalem exitum per gangraenam molitur. — Aliae mortis rationes ex posthumis variis, transitu febris in characterem nervosum aut septicum, vel ex complicationibus accidentalibus fluere possunt.

CURA.

1928. In cura metritidis, acutae imprimis, ad aegrotantis dispositionem, ad causas occasionales, ad phlogoseos, febrisque comitis vehementiam, ac ad organi functionem laesam respicere oportet. Venaesectio, absolute necessarium in graviori morbo auxilium, in pede libenter institui solet, atque phlogistica morbi natura evicta nec graviditas, nec puerperium, nec uteri haemorrhagia valentissimo huic-

ce praesidio obstabit, utut in ejusmodi casibus majori cautione opus sit. Hirudines ad labia vulvae, perinaeum, vel si haemorrhoidaria fuerit mulier, circa anum adplicantur. Interna remedia eccoprotica blandissima, uti mannata et oleosa, emollientia et refrigerantia, uti emulsa nitrosa cum Gummi arabico, decocta mucilaginosa cum Oxymelle, reliquam antiphlogisticae indicationis paginam absolvunt. In eundem scopum collimant cataplasmata, vel fomenta relaxantia, tepida, clysteres aperientes, oleosi; spongia emolliente quodam humore imbuta ac sinui replicatim admota. — Effreni haemorrhagia juncta metritis frigidum admittit tractamen, debita circumspectione limitatum. Ab injectionibus, quae alioquin in uterum non penetrant, ac mechanice irritant, abstinendum suademus, nisi cautissima manu ad acriorem materiem eluendam instituantur; quem in finem semper emollientissima liquida seligantur, oportet.

1929. Quaecunque ad catamenia, vel lochia pellenda propinentur remedia, semper noxia evadunt. Dum eorum retentio ab inflammatione pendet, optima remedia emenagoga et aristolochica sunt ipsa antiphlogistica, venaesectione non excepta. In pediluviis repetitis quandoque adaequatum invenitur praesidium.

1930. Quae spasmis aperte juncta incedit metritis, uti esse solet metritis menstrua, in feminis praesertim sensibilibus et hystericis, prudentem remediorum narcoticorum et nervinorum cum antiphlogisticis combinationem sibi exposcit. Optime his conducere vidimus emulsiones ex Amygdalis dulcibus, adjunctis aliquot amaris, ex seminibus Papaveris vel Citri cum aliquot Laudani guttis, vel pulvisculum e grano Mercurii dulcis cum Opio conflatum, retentis caeterum iisdem, quae supra adduximus, medicamentis relaxantibus. Neque dissuaderi in analogo casu possent injectiones tepidae decocti Cicutae, ab Autenriethio propositae.

1931. Metritis chronica curam antiphlogisticam moderari, aliisque, juxta latentis in utero vitii naturam variantibus, coindicatis combinare jubet. — Immediata hirudinum adplicatio ad portionem vaginalem uteri, quam Guilbert ope speculi uterini fieri posse conten-

dit atque commendat (1), anceps nobis praesidium videtur; topicus enim stimulus, quem suctio in parte adfecta inducit, inflammationem necessario exasperare debet, praescindendo a difficultatibus et incommodis ipsius operationis. — Phthisis uterina juxta generales, quae in atrophiis purulentis observandae sunt, regulas tractanda, habito sedis mali et latentis phlogoseos respectu (2) — Sclerematis initiantis resolutio tentabitur Mercurio dulci, Cicuta, Aconito, Belladonna, Calendulae floribus, interne, et externe propinatis. — Carkinoma uteri radicalem prorsus excludit medelam; immanium tormentorum lenimen, ac funestae sortis procrastinatio quaeritur in opiatis, analepticis, nutrientibus, aliisve symptomatum urgentium varietati oppositis remediis. Virtus decantata florum Calendulae, et Oxydi auri (3) ulteriori adhuc eget confirmatione.

(1) Guilbert Considerations pratiques sur certaines affections de l'uterus, en particulier sur la phlegmasie chronique avec engorgement du col de cet organe, et sur l'avantage de l'application immédiate de sangsues. Paris 1826.

(2) Lair Nouvelle methode du traitement des ulcères et engorgement de l'uterus. Paris 1828.

(3) Westring, Erfahrungen über die Heilung der Krebsgeschwüre. Aus d. Schwed. von Curt Sprengel. Halle 1817.

FEBRIS PUERPERALIS.

Carl White, von der Behandlung der Schwangeren und Kindbetterinnen. Aus d. Engl. Leipz. 1775.

Th. Kirkland, Versuch über die Kindbettfieber. Aus d. Engl. von Scherf. Gotha. 1778.

Hartwig, Diss. de febre puerperarum. Goett. 1803.

Luc. Boër, naturalis medicinae obstetriciae libri septem. Vien. 1812. Lib. IV. — Edit. nova. Vien. 1830.

F. E. Naegele, Schilderung des Kindbettfiebers, welches vom Junius 1811 bis zum April 1812 in der Grossherzogl. Entbindungsanstalt zu Heidelberg geherrscht hat. Heidelb. 1812.

Neubauer, Diss. de febre puerperali. Vien. 1812.

Fiegl, Etwas zur näheren Bestimmung der Natur der Febris puerperalis. (In Horn's Archiv für med. Erfahrung. Jahrg. 1813.)

Armstrong Observations relative to the fever puerperal. Lond. 1819.

Vandenzande Considérations pratiques sur la maladie des femmes en couche connue sous le nom de Péritonite et de Fièvre péritonale. Antverp. 1821.

Siebold (Elias) Versuch einer pathologisch-therapeutischen Darstellung des Kindbetterinnenfiebers. Frankf. a. M. 1826.

Baudelocque Traité de la Péritonite puerperale. Ouvrage couronné. Paris 1830. — Aus d. Franz. von Fest mit Vorrede von Busch. Potsdam 1832.

1932. Febris puerperalis (Kindbettfieber) nomine insignimus quamvis feminarum febrim inflammatoriam, topica uteri ac peritonaei adfectione comitatam, quae puerperas eum in modum infestat, ut in strictissimo et quidem causali nexu cum puerperio sit, ejusque gratia peculiarem modificationem, ne dicam specificam naturam contrahit. Sedulo igitur distinguenda erit a febribus puerperarum (Kindbetterinnenfieber), quae ex mere accidentalibus pendent causis, in nullo nexu cum puerperio existunt, variamque naturam et formam offerunt, puerperii statu quandoque regulariter procedente; uti v. g. essent febres intermittentes, gastricae, rheumaticae, contagiosae, aliaeve feminis post partum supervenientes (1). Hacce distinctione innumerae illae evitabuntur medicorum tricae circa febris puerperalis naturam, simulque clarior innotescet in formandis indicationibus therapeuticis idea. Quo modo a febri lactea differat, ex utriusque hypotyposi exacte combinata (§. 1642) facile patet.

(1) Hüter die Lehre von den Wöchnerinnenfiebern; eine pathologisch-therapeutische Abhandlung. Marburg 1832.

1933. Indolem febris puerperalis saltem in principio, et decursu regulari, semper inflammatoriam esse, extra dubitationis aleam positum censemus, atque hoc intuitu plerosque recentioris aevi medicos sententiae Boëri, doctissimi Scholae Vindobonensis magistri, addictos invenire licet.

1934. Id prae caeteris confirmare juvant: 1) Dispositio; latens utpote in cunctis puerperis plethora abdominalis, et turgor uterinus, quem inducit major sanguinis

arteriosi et humorum plasticorum pro nutriendo foetu necessariorum adfluxus, energia vitalis incitata, atque contractiones violentae, quae sub diris doloribus foetum expellunt, ac uterum enormiter expansum ad minus volumen cogunt. 2) Causae febrem puerperalem inducere solitae, quas indiscriminatim vel stimulos positivos, vel ejus generis noxias esse novimus, quibus salutaris et spontanea uteri turgidi per lochia depletio suspenditur. 3) Symptomata morbum constanter comitantia. — Modificatur autem adhuc haecce diathesis phlogistica in puerperis per plethoram lacteam, et specificam illam organismi materni post partum evolutionem, qua requisitum pro neonato producere et secernere molitur pabulum.

1935. Eapropter tamen alius characteris in decursu febris puerperalis evolutio et coëxistentia possibilis non excluditur, quin imo quotidiana esse exempla characteris nunc gastrici, nunc nervosi aut putridi, diversis morbi periodis extricati, nemo inficias ire poterit. Qualiscunque autem generis ejusmodi characteres febriles fuerint, essentiam febris puerperalis non constituunt, plerumque secundario oriuntur, vel si ab omni initio adpareant, fontem geneseos non in puerperio anomalo, sed in aliis una agentibus potentiis, vel in epidemiae genio agnoscunt, talique pacto semper anomaliam aut complicationem sistunt. Hoc modo concipiendum erit et conciliandum maximi Stolii effatum (1), qui febrim puerperalem specificam esse omni jure negat, eamque a regnante nequaquam differe defendit, solum a puerperio modificatam.

(1) Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus, §. 789.

1936. Febrem puerperalem choro inflammatoriarum topica phlogosi comitatarum aeque maximus practicorum numerus adnumerare consuevit, ea tamen discrepantia, quod a nonnullis ad peritonaeitidem, uti a Petro Frank, ejusque seguacibus, ab aliis ad metritidem, ad epiploitidem denuo ab aliis (1) relegetur. — Etiamsi negari nequit, febre puerperali praesertim graviori peritonaeum, ejusque processus constanter inflammatos, vel saltem irritatos deprehendi; nihilosecius tamen principem incendii focum in utero esse non solum ex momento di-

sponente, sed etiam e symptomatibus, cadaverumque extispiciis facile comprobatur.

(1) Hulme, on the puerperal fever. Lond. 1772. — Leake, Bemerkungen über verschiedene Krankheiten der Kindbetterinnen. Lond. 1775.

1937. Conditio, sine qua febris puerperalis existere nequit, est puerperium, sive ille feminei organismi physiologicus status, qui partum excipit, maturi utpote foetus a praegnante utero exclusionem. Intimus igitur existit, ac inseparabilis nexus inter uterum, ceu substratum organicum, inter partum et puerperium. Sine utero non datur puerperium; hoc itaque si anomalum redditur, nullibi quam in utero fontem et principem passionis sedem agnoscere poterit; proinde puerperium anomalum, sive morbus ex puerperio qualiscunque existere nequit utero illibato. Evicta autem indole inflammatoria febris puerperalis (§. 1634), uteri labes alia non erit, quam congestio activa vel vera phlogosis, quod simul causae procatarctiae, phaenomena et exitus confirmare juvant. Speciale vero hujus metritidis puerperalis substratum mox in uteri membrana interna, velamento peritonaeali, mox in externa, sive mucosa habetur. Pro ejus diversitate et symptomata, et terminationum ratio variare solent.

1938. In primo casu dolores acuti per totum abdomen diradiati, atque transitus admodum facilis in hypoclepsin serosam, vel puriformem, et askiten, — phlogosin peritonaei, ejusque processuum, utut ab utero provenientem, sat clare demonstrant; peritonaeitis puerperalis. — In altero e contrario dolor fixus, magisque obtusus et gravativus ad hypogastrium, vaginae inflammatio, stupor crurum, lochiorum suppressio, ac terminatio in gangraenam et sphakelum, uterum κατ' ἐξοχήν inflammatum designant; metritis puerperalis. Plerumque contemporanea et uteri et peritonaei phlogosis viget; metro-peritonaeitis puerperalis. — Ubique uteri functio constanter laesa, atque puerperium anomalum essentialem constituit characterem, ac topicae adfectionis originariam et principalem sedem extra omne ponit dubium. Peritonaei autem adeo constans, etsi mere secunda-

ria, passio, sine difficultate concipitur, si perpendimus ejus communionem non solum cum velamento seroso uteri, sed etiam cum ipsa membrana mucosa, quae ad margines fimbriatos tubarum Fallopii peritonaeo immediate nectitur.

HYPOTYPOSIS.

1939. Initium febris puerperalis plerumque in eam incidit periodum, qua lactis secretio contingit, primis itaque post partum diebus; quandoque tamen post unam, alteramve ab illa hebdomadam. Ingreditur frigore febrili, subinde vehementi, cui calor intensus suis satellitibus comitatus succedit. Eodem tempore ad hypogastrium emicat dolor mox obtusus, sensum ponderis aemulans, mox acutissimus et lancinans, per totum brevi diffusus abdomen; vel juxta ilia versus lumbos extensus, a compressione vel levissima insigniter crescens, plerumque assiduus; aestus intestinus; meteorismus; anxietas et inquietudo; dyspnoea; tussis sicca. Quandoque symptomata gastrica sociantur, opitulante praesertim epidemia aestiva, vel errore quodam diaetetico: nausea utpote cum linguae sordibus, ructus amari, vomitus, tensio ventris, tormina, alvus dura, vel diarrhoea profusa, biliosa, foetida. Lochiorum cursus redditur parcus, vel penitus supprimitur morbo ingravescente; quae autem ex utero profluit materies, sanguinem sistit muco aut sero permixtum, specifice olentem, subinde adeo acrem, ut verendas excoriet partes, vel vero humorem mucoso-lactescentem. — Aegrae plerumque dorso incumbere malunt, seque sponte difficulter erigunt, tum propter dolorum abdominis exacerbationem, viriumque valde celerem jacturam, tum propter cruris alterutrius torporem, dolorem, ac oedematosam inflationem; quae tamen a communi leucophlegmatia eo differt, quod tumorem album, dolentem, elasticum, digiti impressi foveam vix retinentem, et dum inciditur, paucas tantum guttas humoris lymphatici densioris dimittentem praesentet, recentioribus nomine phlegmatiae albae dolentis notum (1).

(1) Withe, Untersuchung der Geschwulst bey Kindbetterinnen an den untern Gliedmassen. A. d. Englischen. Wien 1802.
Casper, Commentar. de phlegmatia alba dolente. Halae 1819.

1940. Lactis secretio pariter laesa esse solet; mammae saltem dolent, turgent, aut flaccescunt altili liquore privatae. Vultus post paucos non raro dies alienatur, terrorem aut metum exprimens, etenim pleraeque mulieres instans periculum ipsae divinant; hinc frequenter gemunt, profunda suspiria trahunt, ac jectigatione continua molestum angorem exprimunt. — Urinae, nisi lochiis tinctae forent, tenues et crudae, vel jumentariae, interdum cum stranguria excernuntur. Calor urens aridam reddit cutem, praesertim vesperi sub exacerbationis ingressu; nonnunquam vero sudoribus madet superficies, seri lactis odorem spargentibus, aut miliaribus albis obsidetur, quin tamen inde levamen capiant aegrae. Pulsus solent esse frequentissimi, contracti, duri, ob animi corporisque sensibilitatem a re quavis facile mutabiles.

1941. Sub hisce symptomatibus, numero et intensitate variantibus, ac vesperi constanter exacerbatis, morbus, dum regulariter decurrit, intra septimum et decimum quartum ab exordio diem maximum adtingens culmen, sub criticis solvi solet evacuationibus, quas inter sudores profusi, urinae hypostaticae, vel lacteae (1), alvus liquida acidum redolens, ac restitutus fluxus lochialis (ceu crisis idiostatica) frequentissime observantur.

(1) Oswald, in Hufeland's Journal der pract. Heilkunde 14. B. 2. St. S. 131.

1942. Quae autem sub sinistris auspiciis decurrit, febris puerperalis (anomala), non raro jam primis suae existentiae diebus vel ex parte febris in characterem vertitur nervosum aut septicum, vel ex parte phlogoseos topicae in repentinam transudationem aut gangraenam, summe ancipiti semper eventu, terminatur.

1943. Febrem puerperalem in nervosum characterem versam denotant consueta hujus diadoches signa: repentinus utpote virium lapsus, pulsus celeres et debiles, calor mordax, anxietas perpetua, ardor in ventre intolerabilis, meteorismus, facies tetra, hippocratica, lin-

gua et cutis arida, desipientia, delirium, sopor, pavores nocturni, animi deliquia, subsultus tendinum, convulsiones.

1944. Inflammationis, quae uteri serosum velamentum et peritonaeum tenet, in hypoclepsin transitum indicant: inopinata ac dolosa acerbi doloris cessatio, meteorismus cito evolutus, fluctuatio quandoque post paucas jam horas manifesta; increscente laticis effusi copia, enorme abdominis tensi, ac sub concussione undulantis volumen (hydrokoelia acuta); quandoque recentes per totum peritonaei ambitum dolores ab acris materiei stimulo pendentes; virium prostratio momentanea; vultus tristis, torvus, squalidus; pulsus exilissimi; animi deliquia; sitis flagrans; sudores colliquativi, oedema crurum. Morbo ad infaustum properante exitum, omnia illa succedunt symptomata, quae characteri nervoso propria sunt.

1945. Indicia gangraenae, quae acutissimam et gravem aeque, ac dolose delitescentem omnique dolore privam haud raro sequi solet metritidem puerperalem, desumuntur ex generalibus summe fatalis hujusce terminationis notis — alibi jam saepius repetitis —, quibus adhuc foetidissimam adjungere oportet medorrhoeam, acris utpote, fusco-nigricantis, et cadaverosum odorem spirantis saniei, una cum sanguinis grumis, vel membranae deciduae putrefactae particulis commixtae stillicidium. — Sub concursu certarum circumstantiarum, et praeprimis suffragante malefico genio epidemico, metritis puerperalis justo frequentius, et quidem jam primis morbi diebus in putrescentiam uteri nititur, quam etiam sine inflammatione, vel ea saltem vix animadvertenda, oriri posse, Boëri, circa hocce objectum pretiosae, experientiae evicerunt. Quae in tictodochiis quandoque inter puerperas grassatur, insignesque strages edit, metritis putrida, a localibus potius, quam ab epidemicis dependet causis, vix non semper suspicionem serpentis contagii septici movet, quod partim per atmosphaeram contaminatam, partim per lectos, aliamve supellectilem diffunditur, atque hoc respectu maximam offert cum gangraena nosocomiali analogiam. Pari enim tempore puerperas urbanas ab eadem labe immunes mansisse, observationibus constat.

Actenstücke zur Geschichte des bösartigen Puerperal-Fiebers, welches im Jahre 1819 in dem Gebärhause zu Wien herrschte. (Medicinische Jahrbücher des k. k. österr. Kaiserst. Neue Folge. 1822. I. B. 2. St. S. 244 — 271.)

Lippich Observata de metritide septica in puerperas grassante. Vindob. 1823.

CAUSAE.

1946. Dispositionem generalem in febres puerperarum largitur partus brevi absolutus, ac infelix femellae humanae constructio, quae tot, tantasque in graviditate et partus opere anomalias et difficultates creat, ac iniquiorem fere hocce respectu prae caeteris animalibus sortem imponit. — Particularem vero pronitatem observare licet in primiparis, difficulter parturientibus, abortum passis, itidem in mulieribus, quae opulenter vivunt, exercitatione corporis vacant, epulis calefacientibus, potibus Coffeae tostae, Theobromatis nucum, vel Theae delectantur, ad seram graviditatem cum viro concumbunt, vel etiam, quae duro paupertatis onere oppressae ad partum usque laboribus intendunt. Quare matronae nobiliores, vitae mollis, voluptuosae, ac luxuriosae blandimentis indulgentes multo magis puerperii anomaliis succumbunt, quam rusticae, quae corpus laboribus durant.

1947. Causae excitantes febris puerperalis quaerendae sunt: 1) vel in ipso partus negotio, difficili, justo diutius protracto, instrumentis absoluto; 2) vel in aliis citra partum potentiis novicis, systema sexuale et maxime uterum exstimulantibus, aut lochiorum fluxum supprimentibus. — Ad priores spectant omnia obstacula, quae a natura, casu fortuito, prava vivendi ratione, vel inepta obstetricantis medela partui opponuntur; dolores, uterique contractiones sub enixu violentiores; omnes operationes manu obstetricia, vel instrumentis ad partum expediendum tentatae, uti versio, adplicatio forcipis et vectis, excerebratio, rudis placentae avulsio, vel ejusdem in utero retentio; abortus ecbolicis procuratus, aut accidentalibus violentiis inductus; — injectiones et fomenta glacialia contra haemorrhagiam effrenem adhibita. Po-

sterioribus accensentur errores diaetetici, quibus ob insatiabilem quandoque sub ultimis praegnationis mensibus ciborum ingluviem facile exponuntur, refrigerium repentinum, animi pathemata excitantia, vestimenta et fasciae, quae abdomen arctius cingunt et comprimunt, denegata puero lactatio, victus nimis lautus, abusus spirituosorum, aromatum, similiumque medicamentorum, quae titulo spasmos sedante a vetulis propinari solent; corporis exercitia validiora corpore nondum firmato; praecox veneris usus; alvi retentio; traumata omnis generis.

1948. Ex hocce causarum elencho patet, eas omnes esse stimulos positivos, modo absolutos, modo relativos, quorum actio sive immediate in uterum, sive in alias organismi sphaeras dirigatur, semper ibi eminentes reactiones excitat, ubi major dispositio latet. Imo nonnunquam levissimae, ac pro sana muliere indifferentes potentiae sufficiunt ad incendium in recens enixa, quam veluti vulneratam considerare oportet, provocandum. Inde concipitur solius constitutionis epidemicae, praesertim hyemalis ad altiorem gradum evectae, vel et alius atmosphaericae tensionis, cujus specifica qualitas quandoque aciem sensuum effugit, in producenda febri puerperali potestas, quam nil aliud esse, nisi febrem inflammatoriam cum topica passione uteri et peritonaei, puerperio modificatam jam supra indicavimus.

EXITUS.

1949. Ex praemisso febris puerperalis anomalae decursu, ejusque potioribus speciebus (1942 — 1945) exituum ratio facile intelligitur. — Ex parte febris, sive adfectionis dynamicae universalis in characterem nervosum vel putridum; ex parte inflammationis localis in transudationem repentinam (quam saepe saepius ceu crisin idiostaticam erroneam considerare licet) et askiten acutum; in gangraenam et putrescentiam uteri, rarius in suppurationem abire observatur. Mediantibus hisce malis, quae difficulter medelam admittunt, lethum parat. — Posthuma febrim puerperalem in casu minus exitiali sequi visa, pendent vel ab organica quadam metamorphosi

in systemate sexuali, praegressae inflammationis levioris effectu; vel a metastasibus lacteis, quarum haud rara in praxi habentur exempla. Inde apoplexiae, maniae, melancholiae, amauroses, paralyses, epilepsiae, dyspnoeae, hydrothoraces, parotidum indurationes et suppurationes, askites chronicus, phthisis uterina vel peritonaea, articulationum caries et anchyloses, aliaque plura. — De quibusdam malis nervosis, praesertim de vesaniis, quae febrem puerperalem excipiunt, notare oportet, eas interdum recenti graviditate dissipari (§. 1647).

1950. Potiora phaenomena, quae in cadaveribus hac febre peremtarum inveniri solent, sunt: abdomen meteoritice expansum, livens; genitalia flaccida; vagina rubicunda, livida, vel nigrescens; uterus in majus volumen expansus, mollior, marcidus, maculis gangraenosis notatus, materie lymphatico - puriformi obductus; vestigia membranae Hunteri sphakelo corruptae; quandoque tota superficies uteri mucosa putrida dissolutione destructa, livida, atra, foetorem intolerabilem spargens; ovaria, tubae et ligamenta solito plus rubra, innumeris vasculis, quasi arte injectis, perrepta; peritonaeum, omentum, vel etiam intestina phlogoseos, aut saltem congestionis indicia offerunt, pseudomembranis inviscata, conglutinata, granulisque puriformibus obsessa reperiuntur. Latex in cavum abdominis effusus raro uniformis, sed plerumque diversae consistentiae et qualitatis esse solet, serosus, lymphaticus, albuminosus, puriformis, lactescens, caseosus, albicans, flavidus, subfuscus, cruentus, floccis, laciniis, filamentis et membranulis crystallisatis intermixtus, inodorus, vel graveolens. Quousque unitas visceris cujusdam soluta non cernitur (casus in praxi frequentissimus), eousque etiam de vero pure nulla nasci poterit suspicio, atque congeries illa liquoris polymorphi, ceu productum simplex secretionis, per phlogisticum in membranis serosis processum incitatae, simulque in qualitate alteratae considerandum erit.

1951. Etiamsi lacti simillimus subinde adpareat ille latex, alienum tamen ab ejus natura esse confirmarunt chemicae analyses egregiorum Virorum, Hermstaedtii et

Jacquinii junioris. A calore 46° Fahr. corneam quasi tunicam separat; spatio duarum septimanarum putrescit; syrupum Violarum viridi colore tingit; admixto Alcohole et acido nitroso in coagulum abit; cum oleo vitrioli gelatinam format; ab alcalibus turbatur; destillatus aquam insipidam nauseosi odoris, spiritum volatilem, alcalinum, et oleum empyreumaticum largitur; partem butyraceam, aut illi analogam nunquam dimittit. — Quibus positis abunde intelligitur diversum esse ingenium effusi illius in abdomen puerperarum humoris a lactis indole; absonum tamen non videtur, eum inter ac puriformem materiem, post graves pneumonitides et carditides in cavum pectoris et pericardii effundi solitam, quandam supponere diversitatem; coëxistens enim in puerperis polygalia, vel saltem nisus organismi feminei, qui per puerperium specificam patitur metamorphosin, in productionem laticis lactei, ac alienata tali pacto sanguinis crasis, omnibus secretionibus tam sanis, quam morbosis particularem imprimit characterem, atque principia quaedam extricare juvat, aliis vitae periodis non visa, praesertim ubi destinata pro emunctione colatoria, ubera nempe, in suo praepediuntur munere. Inde quoque sudores acescentes, urinae et lochia lactea, miliaria alba, metastases supra notatae.

1952. Quandoque nulla inflammationis, praeter ejus effectus evidentissimos, vestigia deprehenduntur; quin imo uteri velamentum, ipsumque peritonaeum pallidum et exsangue adparet; unde quorundam rimatorum dubia circa existentiam phlogoseos topicae in febre puerperali. Sed satis superque compertum habemus, processum phlogisticum formatione recentis producti organici exhauriri et extingui, idque tanto evidentius succedere, quo major illius quantitas et moles fuerit.

1953. Prognosis in febre puerperali semper maxima circumspectione instituenda; morbus enim utut levis, vix unquam indifferens dici poterit, ob adeo facilem in anomalias, et morbosas metamorphoses nisum. — Malum exitum hariolantur: abdominis sensibilitas maxima, dolores acerbi, vel dolosa anodynia, meteorismus insignis, angores perpetui, dyspnoea, vomitus porraceus, singultus

lingua arida, urinarum cruditas, dejectiones involuntariae, ubera collapsa et arescentia; lochia suppressa, saniosa, foetida; repentinus virium lapsus, febris ardens, status nervosus, animi deliquia, algor extremitatum, signa hypoclepseos repentinae, vel gangraenae. — Quae bene sperare sinunt, e generalibus prognostikes regulis depromuntur.

C U R A.

1954. Evicta febris puerperalis regularis indole inflammatoria, quam praeter totius systematis circulatorii reactiones justo magis incitatas, topicus simul in utero et peritonaeo turgor suis phaenomenis sat clare demonstrat, nulla prorsus in formandis indicationibus curativis nascitur difficultas. Medendi methodus generalis ab illa peritonaeitidis et metritidis (§. 1928 — 1931) nullatenus differt; speciales tamen quasdam modificationes inculcat, in gratiam puerperii, lochiorum et galactopoëseos necessarias.

1955. Praemissa venaesectione, eaque subinde repetita, si casus urgeret, hirudines perinaeo, aut vulvae labiis adplicandae, et cuncta reliqua adparatum antiphlogisticum constituentia subsidia in usum trahenda, quorum efficaciam valentissimi in arte Viri, Thompson, Leake, Kirkland, Mursinna, Zeller, Raimann, ipseque Boër testantur, ac propria experientia abunde confirmavit. Ejusdem vero summe proficuae, ubi rationis limites non excedit, medelae abusum damnosum fieri, cuivis medico patebit.

1956. Lochiorum fluxum promovere juvabunt fomentationes emollientes, toti abdomini et praesertim hypogastrio impositae, spongia tepido quodam decocto imbuta, ac sinui admota, pediluvia repetita. Ab aristolochicis acribus et stimulantibus sedulo abstinendum. — Impeditam lactis jam secreti ac in uberibus stagnantis excretionem expedient suctio, epithemata mollitiva, fomenta pannis fumo resinoso imbutis facta, cucurbitulae papillas ambientes. Arescente vero ipsa secretione, ac imminente metu alicujus metastaseos, ad derivantia, purgantia et revulsoria recurrendum. — Siccam cutem aperient leniter diapnoica, potus tepidi, sambucina, acetum ammoniacale, doses re-

fractae radicis Ipecacuanhae, ab Anglis adeo decantatae, vel Tartari emetici, aliave Antimonii praeparata, pulvis Doweri, aut Mercurius dulcis Opio junctus, postquam phlogoseos impetus antiphlogisticis temperatus fuerit; hisce enim remediis simul processum vegetativum qualitate alteratum ad normam restituere nitimur. Robertus Hamilton jam anno 1764 Mercurium dulcem in febre puerperali magnis extulit laudibus, quas ei pariter tribuerunt sericri aevo Bradley (quum anno 1811 in Angliae Comitatu Sommerset epidemice grassaretur), Hufeland, Schweighäuser, Vandenzande et Baudelocque. Medici Angli Gooch et Ley febres puerperales in tictodochio Londinensi plane terrificam vestem ab illo momento exuisse testantur, quo nova invaluit medendi ratio, consistens in venaesectionibus, atque Calomelanos cum Jalappa copulati usu (1). Arctioribus tamen limitibus, ac ad singulos tantum casus circumscribendas esse hasce laudes, quilibet perspiciet, qui febris puerperalis indolem rite noverit.

(1) Froriep's Notizen. 1826. 13. B. S. 336.

1957. Alvum blandis ciere eccoproticis vix non in omni puerperarum febre convenit, quem in finem, praeter mannata, oleosa, saccharina, Tamarindos, Salis amari et Arcani duplicati virtus a practicis per eminentiam extollitur. Purgantium validiorum ac emeticorum usum nonnisi complicatio gastrica vindicare posset, absente tamen, quae inde necessario exacerbari deberet, inflammatione gradus altioris. Ita accipiendum foret Baglivii monitum: »In puerperis tamquam pestis fugienda sunt purgantia.«

1958. Remediis, quae singularem quandam famam in curandis febribus puerperalibus sunt adepta, adnumerantur adhuc Ipecacuanha, Kali subcarbonicum, Oleum Terebinthinae et fomenta frigida. — Ipecacuanhae radix, cujus usum praesertim Doulcet anno 1782 in Nosocomio Parisiensi introduxit, seriori quoque aevo multos habuit propugnatores, quos inter spectant Hufeland, Doublet, Osiander et Vogel. Nonnulli doses refractas, alii plenas, scopo emesin cien-

di, proponunt. — Kali subcarbonicum, — praeeunte expertissimo Tissoto, qui jam anno 1771 oleum Tartari per deliquium paratum in casibus metastasium lactearum proficuum esse docuit, — a pluribus medicis, Stichel, van Derbelen, Allan, Lafisse, Guinot et Bally, partim ad sudores promovendos, partim ad lactis coagulum praepediendum commendatum fuit. — Usum olei Terebinthinae in febre puerperali primus proposuisse videtur Brenan (1), quem serius sequuti sunt Lucas, Kinneir, aliique plures, specificam plane defendentes virtutem, sive interne forma emulsionis, sive externe forma litus adhibeatur. — Fomenta frigida super abdomen, ipsamque glaciem in quibusdam febris puerperalis casibus profuisse, testificantur van Svieten, Sarcone, Hufeland, Jagielski et Muhrbeck. — Quicunque unum alterumve horum praesidiorum indiscriminatim usurpare vellet, empiricum et damnosum ageret medicum. Quamobrem selectus atque usus singulis tantum ac rite determinatis casibus, secundum generalia therapeutikes principia ac sub requisitis cautelis, adcommodandus foret.

(1) Brenan Thoughts on puerperal fever and its cure by spirits of turpentine. London 1814.

1959. Imminentibus nervosi characteris signis ad revulsiones promptas sinapismis vel vesicantibus faciendas, ad pharmaca alterantia et nervina, Camphoram, Moschum, Valerianam, Chamomillam, Opium, et si debilitas crescit, ad stimulantia altioris potentiae recurrere oportebit.

1960. Quae infaustum hypoclepseos repentinae exitum petit, febris puerperalis, promptissimis et efficacissimis armis erit oppugnanda. Vesicantia cruribus adplicita, plagarum inde excitatarum continuata irritatio, Digitalis, Calomel et Antimonialia unicam spem largiuntur; et si illis nec rapidae effusioni limites poni, nec desiderata effusi laticis absorptio induci poterit, ad parakentesim sine mora recurrere oportet; ulterior autem cura juxta generales hydropis acuti regulas instituenda.

1961. Metritidem puerperalem malignam, quae pu-

trescentiae uteri et characteris septici indicia offert, valentissimis stimulantibus, cardiacis, et putredinem arcentibus pharmacis adgredimur, quae inter cortex Chinae, Arnica, Moschus, Camphora, liquor Mindereri et acida mineralia semper principem locum tenent. Requiritur autem, ut simul topicis auxiliis partium sphakelo corruptarum separatio promoveatur, quem in finem peritissimus Professor Vindobonensis proprium instrumentum (Porte-plumaceaux) invenit, consueti ad uterum siphonis fistulae non multum absimile, cujus ope pulvillos vel turundas in uterum introducit, eumque externae cujusdam partis adinstar deligandum et tractandum proponit (1).

(1) Boëri, Natur. Obstetr. Viennae 1812. p. 194 et 207.

OOPHORITIS.

Rücker, Diss. de morbis ovariorum. Viennae 1815.
Seymour Illustrations of some of the principal diseases of the Ovaria, their symptoms and treatment. Lond. 1830.

1962. Omnis quidem aevi medicis notum erat, in ovariis ac tubis uterinis varias contingere metamorphoses abnormes, uti vomicas, indurationes, concretiones, etc., quas omnes inflammationis constantes effectus esse novimus. — Nihilominus tamen ad principem eorundem vitiorum fontem, phlogosin utpote, minime adtentos fuisse, vel ex inde patet, quod in plerisque libris nosologicis, silentio praeterita inveniatur. Nemo autem inficias ibit, omni indagine dignam esse inflammationem organi adeo nobilis, in quo germen totius posteritatis ponitur; etenim neque therapeutike, neque prognosis firmis inniti poterit fulcris, nisi exacta prius habeatur morbi notio.

1963. Nomen ovarii omnium primo anno 1667 a Nicolao Stenonio fuit introductum; prius enim, uti e. g. a Galeno (De usu partium XIV. C. 12.) testes muliebres vocabantur. Utendo idiomate graeco in designandis morborum generibus inflammationem ovariorum Oaritidem nominavit Ploucquetius (1) (ab ὠάριον, ovum), aptius Oophoritidis appellatione insignien-

dam (ab ὠον ovum, et φέρω fero), cujus exactiorem cognitionem nonnisi recentioribus quibusdam medicis, et maxime Claro Medico (2) in acceptis referendam habemus.

(1) Systema Nosologicum. Tubing. 1791. Tom. I. p. 295.

(2) Annalen des klinischen Institutes im St. Jacobs-Hospitale in Leipzig, 1810.

1964. Praeter dolorem in alterutro hypogastrii latere, sub tactu auctum, caloris interni aut ponderis sensum, non raro tumorem circumscriptum, et durum supra unum alterumve inguen, atque febrim inflammatoriam, — oophoritis adhuc variis stipari solet symptomatibus, quae psychicum statum laesum aperte indicant, uti timiditas et pusilanimitas singularis, anxietas universalis, proclivitas in iram, mox hilaritas animi insolita, mox tristitia ac solitudinis amor, plerumque phantasia exaltata, et incitata cupido sexualis. Interdum convulsivae distensiones observantur. Aegrarum ex oculis et vultu latentis cujusdam gravis curae imago adparet; quandoque clamant, verbis indecoris imaginationis delusae objecta produnt, aut blasphemant, comite continuo motu crurum, quibus cum violentia versus infimam spondae partem nituntur. Praesentia virorum cuncta symptomata intendit. Pulsus est variabilis, nunc magnus et fortis, nunc parvus et contractus; calor parum auctus; urinae parcae et rubrae; alvus adstricta, menostasia, crurum torpor. — Alienati animi status efficit, ut dolorem alioquin levidensem plerumque nauci faciant; si tamen ovarii regio rudius pertangitur, distorsione musculorum faciei, et crurum motibus vehementioribus inflammationis praesentia patefit.

1965. Liquet ex dictis aliquam inter oophoritidem et nymphomaniam subesse similitudinem, quam tanto magis claram videmus, si perpendimus furorem uterinum saepe saepius ex ovariorum vitiis originem depromere, et si animo revolvimus mirificam adfectionum morbosarum systematis sexualis in mutanda psyches humanae conditione influxum, in viris non minus, quam in feminis conspicuum. Differt tamen oophoritis minori gradu alterationis

mentalis, symptomatum inconstantia, atque signis inflammationis topicae febrisque comitis.

1966. Una cum ovariis utplurimum ligamenta uteri lata, tubae Fallopianae, ipseque uterus inflammari solent; quemadmodum pariter sub gravi metritide, praesertim puerperali, vix non semper testes muliebres in morbosae reactionis sphaeram trahuntur.

1967. Causis disponentibus adnumerantur: imaginatio exaltata qer lectionem librorum animum commoventium, aut cupidinem sexualem incendentium, imbecillitas voluntatis ludibriis phantasiae reniti nequeuntis, spes frustrata matrimonii desiderati, stimulus in venerem irritatus, et non satiatus, praecipue tempore menstruorum, conjugium infelix, abortus repetitus, partus difficiles, abstinentia repentina amplexuum in illis, quae deditae fuerunt, unde meretrices, dum incarcerantur, et viduae haud raro ovariorum malis obnoxiae fiunt.

1968. Praesente opportunitate oophoritidem excitare valent refrigerium, praesertim durante quadam cura mercuriali, vel primis puerperii diebus incaute admissum, violentiae abdomini illatae, usus emenagogorum, et ecbolicorum, quibus malitiosae puellae furtivi amoris fructum perdere, vel etiam ex aliis causis silentes menses revocare tentant; partus laboriosus; metastases lacteae; impetigines retropulsae; turbata menstruatio, ac natus inde continuus turgor in utero et ovariis; praecox Venus; systema uterinum in continua adpetentia constitutum; abusus copulae post exantlatam brevi uteri aut ovariorum inflammationem, turgore in illis organis nondum resoluto, quem praecipue meretrices lucri causa toties committunt, ac ideo frequenter inconsiderantiae poenas luunt. Waltherus (1) in meretricum cadaveribus ovariorum inflammationes et concretiones haud raro se invenisse testatur.

(1) De morbis peritonaei. Berol. 1785.

1969. Terminationes oophoritidis ab illis aliarum inflammationum vix differunt, nisi quasdam a substrato pendentes modificationes excipiamus. Mox in suppurationem abit, eventu lethali, vel etiam felici, si abscessus extrorsum aperitur (quemadmodum in Clinico Vindo-

bonensi casum videre licuit); mox in indurationem (1), in concretiones cum partibus vicinis. Ipsum hydropem ovarii et tubarum (Hydroarion et Hydrosalpinx) haud raro ceu consectarium lentae oophoritidis considerare oportet, cujus diversa et mirifica ab auctoribus notantur specimina (2). Plerumque ab initio serum morbose secretum substantiam ovarii hinc inde consumit ac destruit, atque in pluribus colligitur cellulis cavis, quae pedetentim in saccos extenduntur sibi contiguos, ac inter se communicantes; interdum unicus formatur saccus pluribus loculamentis divisus. — Occurrunt denique adhuc ovariorum tumores et degenerationes diversissimae, uti melikerides, steatomata, hydatides, sarcomata, quas generali exallaxeos nomine complectimur, saepe saepius pro chronicae inflammationis effectu habendae. Secundaria, quae ex hisce pathologicis metamorphosibus scaturiunt, mala multifaria esse possunt, uti catameniorum anomaliae, sterilitas, hysterismus, askites, physconia et tabes.

(1) Schlenker, Disss. de singulari ovarii sinistri morbo. Ludg. Bat. 1772.

(2) Murray, Pr. de hydrope ovarii. Upsal. 1780. — Berends, D. de hydrope ovariorum et tubarum Fallopii. Francof. 1805.

1970. Cura ab illa metritidis vix differt, nisi quod ad praevalentem animi alterationem, ad sensibilitatem psychicam, ac ad locum adfectum peculiaris respectus sit habendus. Devicto antiphlogisticis phlogoseos vigore, aut praesente ejus minori gradu, Calomel cum Opio, flores Zinci, Castoreum, illinitiones nervinae, aut fomenta frigida, optime respondent; non negligendo tamen et illa, quae causas, dummodo notae fuerint, directo modo amovere, vel enervare student.

COLPITIS.

1971. Inflammatio vulvae, Colpitis sive Elytritis (a κόλπος, seu ἔλυτρον, vagina) facile dignoscitur ex generalibus phlogoseos signis; nempe ex dolore et tumore in vagina, aut in labiis majoribus; ex ardore et siccitate, unde omnis tactus, proinde etiam concubitus do-

lorificus evadit; e mictu ardente et gressu impedito. In altiori gradu tormina ventris, lumbago, febris inflammatoria vel alia contemporanea metritidis symptomata junguntur.

1972. Causis; quae phlegmonosam vaginae inflammationem inducere consuescunt, adnumerantur: quaevis violentiae ac irritamenta mechanica, vulnera, coitus nimis frequens, brevi temporis intervallo repetitus, disproportio inter vaginae lumen ac membrum virile, praecipue rudior virginitatis privatio, stuprum violentum in puellis impuberibus, onania Priapis artificialibus exercita; partus difficilis, instrumentis promotus; perinaei laceratio; pessaria; injectiones acres; tumores in vagina varii, ejusdem prolapsus (colpoptosis), haemorrhoides, medorrhoea acris, ascarides. — Colpitidem specificam gignunt condylomata et ulcera venerea, blennorrhoea virulenta, cancer.

1973. Chronicae phlogoses vulvae aeque ac illae uteri haud raro variarum neurosium fontem sistunt, animum peculiari modo dejiciunt, syncopticis aut hystericis symptomatibus stipantur, quandoque nymphomaniam invitant, praecipue si ex indole sua pruritum continuum sustinent, uti v. g. herpes vaginae.

1974. Colpitis phlegmonosa, quatenus praeter membranam mucosam interiores simul partes organicas vaginam formantes pro substrato agnoscit, libentissime in suppurationem vel indurationem abire solet. Abcessus vel in vagina, vel in labiis vulvae majoribus formatur, atque pus nunc extrorsum profunditur, nunc introrsum serpit, uterum, vesicam, aut intestinum rectum arrodit, variasque devastationes generat. Ulcera non consolidata quandoque maligna et cacoëthica fiunt, medorrhoeam chronicam malae indolis fovent, vel plane in canceraticam liquationem degenerant. Quae cum excoriatione cuticulae vaginalis jungitur, colpitis phlegmonosa, parietum lymphae plasticae ope concretionem, et atresiam (occlusionem, imperforationem) vulvae parit. —

Cura secundum generales regulas suscipienda.

PROSTATITIS.

Wil. Schmid, über diejenigen Krankheiten der Harnblase, Vorstehdrüse und Harnröhre, denen vorzüglich Männer im höheren Alter ausgesetzt sind. Wien 1806.

Home, (E.) Pract. Beobachtungen über die Behandlung der Krankheiten der Vorstehdrüse. A. d. Engl. von W. Sprengel. Leipz. 1817.

Wagner (C. G.) Diss de Prostatitidis pathologia. Lips. 1822.

1975. Inflammationem glandulae prostatae, sive adstantis (προίστημι, praesum) illius utpote organi, quod secretioni liquoris lactiformis, sperma adtenuantis est dicatum, ex sequentibus desumitur indiciis: dolor, sensus ponderis, pressionis, ac veluti heterogenei cujusdam corporis in perinaeo infixi; plerumque tumor durus et palpabilis, sub rudiori compressione dolens; urinae difficultas, stranguria, cum tenesmo et ardore molestissimo, sub quo, praeter paucas urinae guttulas, mucus tenax et albescens, sanguine interdum mixtus excernitur; turgor venarum haemorrhoidalium, tenesmus sub alvo deponenda; et febricula symptomatica. Vehementiori sub inflammatione dolores per totum hypogastrium dissipantur, atque nunc vesicam, nunc intestina manifeste irritata indicant in connubio cum aliis, quae ad kystitidem, vel enteritidem referuntur, phaenomenis.

1976. Prostatitis phlegmonosa plerumque acuta et praeceps esse solet, praesertim dum e traumaticis proficiscitur causis; quo in casu etiam libenter in pathologicas nititur metamorphoses, suffragante glandulosa organi structura. In chronico decursu vel simplicem praesentat congestionem, vel recidivam phlogosin organicis vitiis plerumque comitatam.

1977. Causae potiores sunt: vulnera, kystotomia; contusiones, uti sub equitatione; metastases et metaschematismi varii generis, prae aliis vero medorrhoea virulenta, vel habitualis derepente suppressa et stimulantibus exasperata, urethritis gravior; haemorrhoides ani, vel vesicae; calculus majoris molis.

1978. Exitus communiores sunt: induratio, pa-

rectama, et suppuratio, determinati per texturam substrati, et gradum inflammationis. Glandula prostata, quae alioquin jam in statu salutis notabilem duritiem praebet, in skirrhum haud raro terminatur, adeoque increscit, ut pugni magnitudinem aequet. Abscessus vel extrorsum rumpuntur, vel vero, quod frequentius accidit (praesertim post medorrhoeas virulentas repetitas et male tractatas), in fistulas et sinus degenerant, quibus vicinae perreptantur et corroduntur partes. Inde denuo diversa mala secundaria oriri possunt, uti dolores ad perinaeum et vesicam chronici, impotentia gradiendi aut sedendi, dysuria, ischuria, uroplanesis, i. e. profluvium lotii per vias praeternaturales, quasi profluvium vagum, errabundum, sive sic dictae fistulae urinariae, phthisis.

1979. Inflammationi prostatae medemur venaesectione, hirudinibus ad perinaeum adplicitis, cataplasmatibus et fomentis emollientibus, remediis eccoproticis, clysteribus et balneis. Quae ex phallorrhoea incaute cohibita originem cepit, prostatitis, fluxum primitivum quantocyus revocari jubet, quod cereolis in urethram immissis, injectionibus acribus caute institutis, vel si casus valde urgeret, insitione viri medorrhoici tentamus. Haemorrhoidalis labes suis remediis oppugnanda. Plurimum autem ad phlogoseos resolutionem contribuunt corporis quies, alviductiones blandae et repetitae, abstinentia a potibus et cibis irritantibus, a venere et equitatione.

1980. Infausto omine in suppurationem terminata prostatitis deposcit, ut abscessus emollientibus ad maturationem perducatur, ac debito tempore aperiatur. Induratam glandulam resolvere conamur unctionibus mercurialibus, saponatis, ammoniacalibus, balneis, eccoproticis, et vesicantibus perinaeo impositis; ast effectum votis nonnisi raro respondere videmus. Nonnullis emetica saepius repetita, usus Cicutae, et balnea marina laudantur: setaceum ad perinaeum Trampel proposuit (1). Tractamen sinuum et fistularum chirurgicae manui committendum.

(1) Med. chirurg. Bemerkungen.

ORCHITIS.

Aubert, Diss. de vera causa et cura inflammat. testiculi Goett. 1797.

1981. Inflammatio testiculi, Orchitis (ab ὄρχις, testiculus), vel Didymitis (δίδυμος, testis) incipit a tensione molesta juxta decursum funiculi spermatici ad inguen usque propagata, ab intumescentia epididymidis, quandoque a nausea, vomitu, doloribus colicis, ac levi irritatione circuli. Pedetentim tumor increscit, primo pulposus et mollis, dein durus, atque vel totus testis, mox alteruter, mox uterque volumine ita augetur, ut quandoque pugni magnitudinem excedat, vel (quod crebrius accidit) sola epididymis tumefacta cernitur. Dolores insurgunt tensivi, ardentes, lancinantes, qui ad inguina, lumbos, femora, ad regionem sacralem, vel urethram diradiantur, omnem adtactum reformidant, scroto praeprimis pendulo, corpore proinde erecto exasperantur, ac ideo gressum impediunt. Graviori sub inflammatione ipse funiculus spermaticus in sphaeram reactionis morbosae trahitur, inturgescit, inflammatur, ac annulo abdominali quasi incarceratur, unde omnia illa suboriri solent symptomata, quae colicas herniosas comitantur. Secundario modo succedunt febris valida inflammatoria, lumbago molestissima, agrypnia, inquietudo, peculiaris anxietas testium, quae non raro animum perturbat, speciem hypochondriaseos, delirium, vel plane desperationem et vitae taedium parit. — Inflammatio parenchymatis plerumque minus dolorifica esse consuevit, quam illa tunicae vaginalis, vel albugineae. Scrotum vel intactum manet, vel una cum testibus inflammatur, (Oschitis).

1982. Inter multifarias orchitidis causas notari praeprimis merentur: violentiae traumaticae, ictus, compressiones, equitatio, operatio hydrokeles; vitia testiculorum organica, kirsokele, scleroma, hydatides, impeditus testiculorum descensus, eorumque in annulo abdominali constrictio (crypsorchis); rheuma tunicae vaginalis; herpes scroti; spermatis retentio sub concubitu, dum ejaculatio instans praepeditur (spermatischesis). Haec omnia idiopathicum malum creant. Symptomaticum aut sympa-

thicam didymitidem invitant repentina phallorhoeae virulentae, vel habitualis suppressio; metastases et metaschematismi varii, calculi vesicae, incautus candelarum usus, injectiones nimis acres, vel adstringentes etc.

1983. Induratio, parectama, et hydrops potiores sistunt inflammationis testium exitus. Induratio sive simplex, sive parectamati juncta fuerit, libenter in skirrhum et cancrum degenerat, sarcokeles nomine communiter insignitum, ad cujus genesin tamen prava corporis constitutio, dyscrasiae, aptorum remediorum neglectus, ineptorum usus, ac diathesis scrofulosa plurimum conferunt. Orchitis cum eminente tunicae vaginalis irritatione in hypoclepsin facile terminatur, plerumque serosam, unde hydrokele. — Suppuratio et gangraena inter rarissima (quod in organo arteriosoglandulari omnino miramur) pertinet posthuma, quae nonnisi maximum gradum phlogoseos verae excipiunt. — Qualecunque vero vitium organicum testiculi utriusque generandi impotentiam relinquit, nisi superficiale fuerit.

1984. Orchitis gravior semper venaesectione eget, ac multum emolumenti inde plerumque trahit; porro hirudines ad perinaeum, vel ad inguina (nunquam ad scrotum), alviductiones generosae et repetitae, balnea, fomenta, vel cataplasmata emollientia, clysteres laxantes et sorbitiones refrigerantes reliquam indicationis antiphlogisticae paginam absolvunt. Ne testiculus turgens et mole auctus suo pondere tensiones funis spermatici inducat, suspensorio erit sustentandus. — Inflammatio levioris gradus in subjectis admodum sensibilibus cautum Opii, Hyoscyami, vel Camphorae usum admittit. Eodem in casu, praesertim si morbus adhuc in origine versatur, fomenta frigida cum aceto, vel saturno laudem merentur. Nota orchitidis causa quantocyus amovenda; haemorrhoides hirudinibus deplendae; suppressa phallorhoea revocanda.

1985. Superstes testiculi durities usum solventium et purgantium sibi exposcit. Pro usu interno commendatione digna sunt emetica repetita, antimonialia, sapones medicati, extracta amaricantia, Cicutae, Dulcamarae. Externe juvant frictiones mercuriales ad internam femorum super-

ficiem; emplastrum Cicutae, mercuriale, saponatum; balnea, et protractus usus suspensorii. Quae resolutionem respuit testiculi induratio, imo sub recrudescente phlogosi in dolentem skirrhum degenerat, orchotomiam sive castrationem sine mora instituendam jubet.

PHALLITIS.

1986. Membrum (Graec. φαλλός) vel totum, vel in parte quadam inflammari potest, et quidem vel urethra (Urethritis), vel glans (Balanitis), vel praeputium (Posthitis), quod ultimum mox supra glandem ita coarctatur, ut haec denudari nequeat (Phimosis), mox infra glandem adeo stringitur, ut super eam impossibilis vel saltem difficilis evadat reductio (Paraphimosis).

1987. Inflammatio urethrae distinguitur ardore, tensione et dolore juxta decursum fistulae urethralis, praesertim sub mictu, difficultate urinas mittendi, ac tenesmo continuo, erectionibus molestis et dolorificis, secretione muci tenuis, non raro cruenti, tumore glandularum inguinalium, tensione testiculorum. Plerumque ad foveam scaphoideam profundus conspicitur rubor.

1688. Inflammatio balani et praeputii consuetis stipatur inflammationis symptomatibus, ac ideo absque difficultate dignoscitur. Ejus altiorem gradum cum nisu in gangraenam, qui speciem carbunculi colis refert, apud Arabes nomine Ignis Persici insignitum invenimus. Olim frequentior fuisse videtur, uti ex Celsi adserto patet, ab impuro potissimum coitu oriundus.

Swediauer, Novum Medicinae rationalis systema. T. II. pag. 452.

1989. Causae communiores inveniuntur in irritamentis mechanicis et chemicis omnis generis, praesertim in abusu veneris, stupro violento, masturpatione, incauta catheteris introductione, cantelis, peregrinis intrusis etc. Phallitis syphilitica et urethritis virulenta specificae inflammationis formas constituunt.

1990. Phlegmone mentulae terminatur vel in suppurationem et abscessum; vel in indurationem

et callositates urethrae corporumque cavernosorum, unde difficultates urinae, membri incurvatio dolorifica sub quavis erectione (phallocampsis), impotentia coëundi, perforatio urethrae incongrua (quos viros hypospadiacos nominant); vel etiam in gangraenam et sphakelum abit, quod imprimis de paraphimosi valet.

PROCTITIS.

1991. Inflammatio extremitatis intestini recti aut sphincterum, proctitis (a Graeco πρωκτός, anus) discernitur dolore ad anum, ardore, atque continua alvum deponendi cupidine, quin tamen aliquid excerni possit, vel si excretio sequitur, dolorum exacerbatione notabili. Non raro inflammata intestini recti pars extrorsum prominet, (Archoptosis), tumet, rubet, calet, ac dirissimi doloris causam praebet, si sphincteribus constringitur.

1992. Causae frequentiores proctitidis sunt: violentiae qualescunque, heterogenea intrusa vel deglutita, et cum faecibus ad anum perducta, ibidemque impacta; turpis paederastia; Oxyuris vermicularis; clysteres acres, rudis canulae aut suppositoriorum introductio; faeces durae, haemorrhoides coecae, rhagades, ecphymata venerea, sudor acer, dysenteria pervicax et mali moris; prolapsus intestini recti; insecta anum irrepentia.

1993. Communissimum exitum sistit suppuratio, quae, si recti intestini ac vesicae parietes perfodit, faecalis materiae excretionem per urethram, vel urinalis laticis per anum producit. Obdurescentes recti tunicae haemorrhoides et stypsin alvi plerumque insanabilem sustinent. Intestinum rectum inflammatum et prolapsum libenter gangraenescit; exemplo proctitidis illius, quae in America meridionali et Africae oris occidentalibus communis esse solet.

1994. Cura consistit in emollientibus topicis, cataplasmatibus, balneis, vaporibns, hirudinibus, clysteribus oleosis caute injectis, suppositoriis ex butyro Cacao confectis, non neglecto simul eccoproticorum et potuum diluentium usu. In morbi exordio vel gradu leviori fomenta frigida desideratum ferunt lenimen.

SYLLABUS OPERIS.

pag.

Praefatio III
Prolegomena 1
Divisiones et Systemata morborum 4

A.

PYRETOLOGIA GENERALIS.

Auctores Monographi 25
Etymologia 26
Nosographia febrium in genere . . . . . —
Febris Symptoma 29
Febris Morbus 32
Descriptio. . . . . —
Diagnosis 37
Differentiae ab aliis morborum familiis 38
Decursus febrium in genere 39
Primum stadium. Opportunitatas . . . . . —
Secundum stadium. Invasio 41
Tertium stadium. Incrementum 42
Quartum stadium. Status 44
Quintum stadium. Crisis 45
Sextum stadium. Decrementum 49
Septimum stadium. Convalescentia 50
Typus febrium 52
Decursus febrium irregularis 53
Aetiologia febrium in genere 54
Remotae causae . . . . . —
Dispositio . . . . . —
Causae excitantes 57
Causa proxima 59
Nosogenia febrium universim 66
Theoria febrium 69
Theoria humoralis 70

pag.
Theoria chemica 74
Theoria solidaris et Nevro-pathologorum . . . —
Theoria incitabilitatis 76
Theoria propria 77
Terminationes febrium in genere 79
In sanitatem 80
In mortem 89
In alios morbos 93
Prognosis febrium in genere 95
Therapia febrium in genere 100
I. Therapia febrium directa . . . . . —
II. Therapia febrium indirecta 101
A. Therapia empirica 103
B. Therapia rationalis . . . . . —
1. Cura vitalis. Moderamen virium . . . 104
a. Actiones vitales exorbitantes 105
b. Actiones vitales debilitatae 120
α., Debilitas febrilis e viribus suppressis . 121
β., Debilitas febrilis e viribus languentibus . 129
γ., Debilitas febrilis e viribus exhaustis . 136
2. Cura symptomatica. Moderamen symptomatum . 142
A. Symptomata febrium morbosa 143
α., Symptomata dynamica 145
Frigus febrile 146
Calor febrilis 151
Sitis febrilis 156
Lassitudo febrilis 158
β., Symptomata adfectionum organicarum . 160
α., Symptomata kephalica . . . . . —
Kephalaea febrilis 161
Vertigo febrilis 162
Syrigmus febrilis 163
Delirium febrile . . . . . —
Coma febrile 168
Pervigilium febrile 169
Spasmi et convulsiones febriles . . 171
β., Symptomata thoracica 174
Anxietas febrilis 175
Tussis febrilis 178
γ., Symptomata abdominalia . . . 180
Nausea et Vomitus febrilis . . . —
Diarrhoea febrilis 185
Constipatio alvi in febribus . . . 188
Flatulentia febrilis 190

pag.
Urinarum difficultates in febribus . 196
δ., Symptomata cutanea 198
Sudor et ariditas cutis in febribus . —
Exanthemata febrilia 202
B. Symptomata critica 216
Cura in decremento febrium 220
Cura in convalescentia 222
Divisiones febrium 224

Opera recentiora praecipua, quae de febribus tractant . . 230

B.

PYRETOLOGIA SPECIALIS

ORDO PRIMUS. FEBRES INTERMITTENTES.

Auctores Monographi 235
Definitio febris intermittentis 236
Analogia cum aliis morbis et differentia 237
Nosographia specialis febrium intermittentium . . . 239
1. Hypotyposis febrium interm. manifest. perfect. regularium 241
a. Paroxysmorum ratio. Febres manifestae . . . —
b. Apyrexiae ratio. Febres perfectae seu meracae . 246
c. Typi ratio. Febres regulares simplices et compositae —
2. Hypotyposis febrium interm. anomal. imperf. et irregul. 255
a. Paroxysmorum ratio. Febres anomalae . . . —
α., Febres inordinatae . . . . . —
β., Febres latentes 256
γ., Febres larvatae 257
δ., Febres comitatae 262
b. Apyrexiae ratio. Febres subintrantes, subcont. complicatae 264
α., Febres intermitt. inflammatoriae 266
β., Febres intermitt. putridae 267
γ., Febres intermitt. nervosae 268
δ., Febres intermitt. gastricae 269
ε., Febres intermitt. cachecticae 272
c. Typi ratio. Febres erraticae 274
Diagnosis 275
Decursus 276
Aetiologia febrium intermittentium . . . . . —
Dispositio . . . . . —
Causae excitantes 288

pag.
De febribus paludum 290
Nosogenia 300
Causa proxima 305
Terminationes febrium intermittentium 312
In sanitatem . . . . . —
In mortem 314
In alios morbos 317
Prognosis febrium intermittentium 322
Quoad subjectum 323
Quoad causas et constitutionem epidemicam . . . 324
Quoad symptomata . . . . . —
Quoad typum et decursum 325
Quoad complicationes 326
Therapia febrium intermittentium . . . . . —
I. Cura sub paroxysmo 327
1. Methodus symptomatica . . . . . —
a., In febribus manifestis . . . . . —
b., In febribus larvatis et comitatis . . . 329
2. Methodus praevertens . . . . . —
3. Methodus confundens 333
II. Cura extra paroxysmum 335
1. Tractamen febrium interm. manifestarum, simpl. regularium 336
A. Methodus rationalis 337
B. Methodus specifica 343
a. Cinchonacea . . . . . —
α., Justa qualitas 346
β., Debita dosis 349
γ., Debita forma 350
δ., Tempus praebitionis et continuationis necessitas 357
ε., Conjunctio Chinae cum aliis remediis 359
ς., Chinae surrogata 361
b. Arsenicum 366
2. Tractamen febrium intermitt. anomalarum et complicatarum 368
III. Regimen diaeteticum 378
IV. Cura convalescentiae 379
V. Cura successionum 380
VI. Prophylaxis 381

ORDO SECUNDUS. FEBRES CONTINUAE.

pag.

De febribus continuis summatim 385
Genus primum Febres continuae charactere inflammatorio . 390
A. Febris inflammatoria simplex 393
Hypotyposis 394
Aetiologia 395
Momenta proëgumena . . . . . —
Causae excitantes 396
Nosogenia et causa proxima 398
Terminationes 400
In sanitatem . . . . . —
In mortem 401
In alios morbos 402
Prognosis . . . . . —
Therapia 403
Complicationes et anomaliae 412
B. Febres inflammatoriae comitatae 416
De inflammatione summatim 417
Hypotyposis 419
Diagnosis 423
Substratum 424
Differentiae ab analogis adfectibus 427
Aetiologia 431
Dispositio . . . . . —
Causae excitantes 432
Nosogenia et Theoria 434
Causa proxima 439
Terminationes 447
In salutem . . . . . —
In alios morbos 450
a. Posthuma dynamica 451
b. Posthuma organica 453
α., Parectama . . . . . —
β., Scleroma 454
γ., Exallaxis 456
δ., Hypoclepsis 458
ε., Symphysis 462
ς., Suppuratio 463
η., Exulceratio 472

pag.
γ., Atrophia 475
δ., Gangraena et Sphakelus . . . 476
In mortem 479
Prognosis 480
Therapia inflammationum in genere . . . —
Medela successionum 484
Divisiones inflammationum 490
De inflammationibus topicis speciatim 495
I. Febres inflammatoriae comite phlegmone . . . —
De Phlegmone generatim 495
A. Inflammationes communes, s. Systematum organicornm 499
Inflammatio textus cellulosi. Furunculus, Anthrax 503
Inflammatio nervorum 505
Inflammatio vasorum 507
1. Arteriitis 508
2. Phlebitis 512
3 Lymphangioitis 514
Inflammatio membranarum 516
Inflammatio musculorum 518
Inflammatio glandularum 520
Inflammatio viscerum 523
Inflammatio junctnrarum . . . . . —
Inflammatio tendinum et ligamentorum . . 525
Inflammatio ossium et cartilaginum . . . 528
B. Inflammationes particulares, s. singulorum organorum 532
A Inflammationes kephalicae 533
Enkephalitis . . . . . —
Analogiae et differentiae . . . 534
Hypotyposis 536
Causae 540
Divisiones 543
Terminationes . . . . . —
In salutem . . . . . —
In alios morbos 545
In mortem 547
Prognosis 549
Therapia 550
Morbi pertinacia et anomaliae . . 556
Posthuma 557
Hydrops cerebri acutus 558
Myelitis 565

pag.
Ophthalmitis 570
Otitis . . . . . —
Nosographia 571
Causae 573
Terminationes 574
Therapia 575
Posthuma 577
Glossitis 578
Ulitis. Dentitio anomala . . . 582
Sialadenitis. Parotitis 586
B. Inflammationes jugulares 591
Angina inflammatoria . . . . . —
1. Angina phlegmonosa faucium . . 593
Isthmitis . . . . . —
Antiaditis . . . . . —
Pharyngitis 594
Oesophagitis 595
Causae 596
Terminationes 597
Prognosis 600
Therapia 601
Anomaliae 603
Posthuma 604
2. Angina phlegmonosa asperae arteriae 607
Laryngitis. Epiglottidis . . . —
Tracheitis. Bronchitis . . . 609
Causae 610
Terminationes . . . . . —
Prognosis 611
Therapia 612
Thyreoadenitis 613
C. Inflammationes pectorales 616
Pneumonitis . . . . . —
Diagnosis 617
Nosographia in decursu regulari . . 619
Nosographia in decursu anomalo . . 624
Pneumonitis lenta . . . . . —
Pneumonitis notha 626
Pneumonitis biliosa . . . 628
Pneumonitis nervosa . . . 629
Pneumonitis septica 632
Divisiones 633
Causae . . . . . —

pag.
Terminationes 636
In salutem . . . . . —
In alios morbos 639
Suppuratio . . . . . —
Hypoclepsis 641
Scleroma 644
Caries pulmonum . . . 645
In mortem 647
Prognosis 649
Therapia in decursu regulari 651
Therapia in decursu anomalo . . . 660
Posthuma 664
Pleuritis 666
Hypotyposis 669
Analogiae et differentiae 671
Divisiones 672
Causae 673
Exitus 674
Therapia 678
Mesodmitis et Thymitis 679
Carditis et Pericarditis 681
Hypotyposis 682
Causae 685
Terminationes 687
Therapia 689
Diaphragmitis 690
Mastitis et febris lactea 693
D. Inflammationes abdominales 698
Peritonaeitis . . . . . —
Nosographia 699
Causae 701
Terminationes 702
Therapia 704
Epiploitis 705
Mesenteritis 707
Gastritis 708
Nosographia 709
Causae 714
Terminationes 715
Prognosis 718
Therapia . . . . . —
Posthuma 720
Enteritis 721

pag.
Nosographia 722
Divisiones 727
Causae 729
Terminationes 731
Prognosis 735
Therapia 736
Anomaliae 738
Posthuma 739
Hepatitis 741
Nosographia . . . . . —
Varietates et differentiae. Cholekystitis . 743
Causae 748
Terminationes 750
In salutem . . . . . —
In alios morbos 751
In mortem 757
Prognosis . . . . . —
Therapia 758
Posthuma 761
Pancreatitis 762
Splenitis 765
Nosographia 766
Causae 768
Exitus 770
Cura 771
Nephritis . . . . . —
Nosographia 772
Causae 774
Terminationes . . . . . —
Cura 778
Psoitis 779
Urokystitis 783
Nosographia 784
Causae 785
Terminationes 786
Cura 788
Metritis 790
Nosographia . . . . . —
Causae 793
Terminationes 794
Cura 796
Febris puerperalis 798
Hypotyposis 802

pag.
Causae 805
Exitus 806
Cura 809
Ooophoritis 812
Colpitis 815
Prostatitis 817
Orchitis 819
Phallitis 821
Proctitis 822

RB 23·8·1991


Some
tight
gutters